Bound by
P. LOW,
21 Beconshire St.
Boston



John Carter Brown.

Alexandri Pomelli Leonis.

JOHN CARTER BROWN

L. ANNEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBRI VII.

Matthæi Fortunati in eosdem libros annotationes.

Index rerum notatu dignarum in calce operis appositus.



Alexandri Pomelli Baron.

"Ce livre est depuis long temps regardé comme un des plus rares de ceux qu'ont imprimés les Alde". Vide Renouard.

Sold in Sir M. Sykes' Sale for £.5.

IO. LVDOVICO SALVTIO PRINCIPI ILLVSTRISS. MATTHAEVS FORTVNATVS S.

VM nuper Stephanus Erodaricius Præpositus Quinquecclesiensis, & a Secretis clarissimi Regis Hungariæ, consilio, linguáq; princeps, atque omnis diuini, humaniq; iuris consultissimus, in legationem ad Senatum V. & ad Max. Pont. mitteretur, LVDOVICE SAluti PRincæps Iucundiss. atque omnibus naturæ fortunæq; bonis illustriss. nos comitibus eius adhæsimus. ut in ipso saltem itinere, quando aliâs per summa eius in Rep. negotia non licet, consuetudine iucundissima uiri sapientissimi frueremur, utq; miratores pariter & cultores essemus tum aliarum eius uirtutum, quæ summæ in eo elucent, tum præsertim humanitatis, constantiæ, integritatis, & eminentissimæ sapientiæ, cum summa eloquentia coniunctæ. Postquam uero Patauium urbem uiris & studijs utriusque facundiæ florentissimam uenimus, iussit me intereatemporis, quoad ipse peracta legatione ab Vrbe rediret, Patauij Græcarum Latinarumq; literarum professoribus operam dare. multa benigne, ut est eximus uirtutis ingeniorumq; patronus, conferens, plura pollicitus ad sumptum meorum studiorum. Quamuis inuitus ab eius diuellebar latere, authoritatem tamen, uoluntatemq; hominis & sapientissimi, & beneuolentissimi negligere non fas mihi putaui. Acquieui itaque eius consilio, desedíq; Patauij. Deinde haud ita multo post, aliquot Pannonij iuuenes ornatissimi, qui hic cultum ingenij capiunt, in maximam me admirationem tui, laudum tuarum, uirtutumq; testimonio excitauerunt, & præcipue humanitatis, comitatis, & beneuolentiæ, qua tu omnes quidem, in quibus aliqua opinio uirtutis esset, sed maxime Pannonios complectereris. Cum autem ego ipse oculatus (ut dici solet) testis tui animi, & uoluntatis honestissimo quoque officio incensæ, humanitatisq; & fidei plenæ factus essem, facile intellexi meos Pannonios longe minora de te, quàm pro tuis meritis prædicare. Nam uel me ignotum, nec unquam ante tibi uisum, Dij immortales, quanta humanitate, comitate, & affabilitate, quàm serena fronte, quàm hilari uultu excæpisti. quàm benigne, ut tua uterer beneuolentia

in omneis Pannonios peculiari ; hortatus es , in nulla re nobis te defuturum pollicitus . Hunc autem tibi & hæreditarium quidem esse , auitumq; in nos amorem , & beneuolentiam . neque enim recens tantum esse Salutiæ gentis in Pannonios meritum . Testari æternis probatissimæ fidei annalibus , multis ante seculis principes , heroësq; Salutios Hungaris contra hosteis Christiani nomnis auxilio ueniisse , communibusq; armis hosteis repulisse . Hoc tamen præcipue te debere aiebas LVDOVICO Regi nostro Serenissimo, hic enim tibi semper in animo, plurimus in ore est. Hunc unum prædicas, ludas ; uenerariis. Illi prospera omnia , ac fausta, feliciaq; ominaris . Illi deum propitium (qui nisi præsens, uolensq; humanis interfit rebus , ludibrium est quicquid homo cogitat, non consilium) in omnia uota precaris. Nullum deniq; tempus nec agendi , nec cogitandi prætermittis , ut tuum erga illum animum officiumq; declares . nec id iniuria . cui enim aut magis affectus esse , aut plus boni optare debeas , quàm Regi clarissimo, summæ spei , summæ uirtutis , tibi autem & beneuolentissimo , & uena alti sanguinis propinquo? Vterque Gastonem Candalæ principem, bellicis ac domesticis rebus , & insignibus clarissimum , tu auunculum , ille auum agnoscitis . Ille Gastonis ex filia , tu ex sorore nepos. Quid mirum itaque si & illi summa omnia exoptas , & nobis tanquam tuis faues? Nos quoque profectò ingrati, & inhumani , indigniq; tuo fauore uideremur , nisi te & priuato , & publico nomine , per omneis occasiones, omnibus officijs ueneraremur , tum propter summam animi ingenijq; tui uirtutem , summasq; & naturæ , & fortunæ dotes , quæ in te plurimum elucent . tum propter singularem in nos beneuolentiam , & humanitatem . sed præsertim , quod te sanguinis propinquitas iungit Regi nostro generosissimo , cuius etiam prima cunabula nos omnibus fausris precationibus , acclamationibus , & plausibus uenerati sumus . nunc quoq; ab eo , postquam felicibus adoleuit auspicijs , omnes nostræ spes, omnes fortunæ , omnia uota pendent. Quamobrem dari iampridem mihi aliquam occasionem uotis exoptabam , ut tibi possem ostendere aliquo pignore , ac monimento mei erga te animi , & obseruantiæ , me quoque unum esse è multis , qui te magno animi fauore uenerer. Præterea ne paterer exolescere tuæ tam insignis erga nos beneuolentiæ & humanitatis memoriam , sed aliquo opere officioso apud omneis testatam relinquerem , hortabatur me etiam VRbanus

nus BAtianus iuuenis magnanimus, tuæ dignitatis ſtudioſiſſimus. cui, ut ſcis, nam illi tecum plurima eſt conſuetudo, omnes Libentiæ Gratiæq́; felici quodam moderamine, & temperamento maturæ grauitati coniunctæ, permiſtæq́; fauent. eſt enim perquam honeſti, atq; amœni ingenij. Morum uero, quos uel grauiſſimus cenſor non improbet, grauitate, tum aliarum uirtutum ornamentis, literarumq́; ſplendore honeſtat, ac illuſtrat nobilitatem Batianæ domus. quæ & alioqui clariſſima eſt, & de patria ſemper benemerita. Tantum enim earum diſciplinarum ſtudijs, quæ ingenuo, & liberaliter educato dignæ ſunt, animum hoc breui tempore excoluit, & quotidie magis ac magis excolit, ut eius ardens ſtudium, eximia docilitas, acre ingenium, uiuax, ſingularisq́; memoria iam præceptoris quoque, quem ſummum in utraque facundia ſibi delegit, diligentiam ſolicitam fecerint. Accedit ad hanc egregiam bonarum literarum peritiam magnitudo animi, conſtantia, fides, prudentia, & conſiliorum rara, atque in iſta præſertim ætate mira felicitas. Quarum uirtutum fama & opinione in maximam ſui expectationem totam patriam iampridem erexit, quæ mox eum omnibus honoribus, & dignitatibus, ſumma uirtute, ſummoq́; ingenio dignis excepturа eſt. Cum itaque & uoluntati iuuenis nobiliſſimi, cuius authoritas apud me iure magna eſt, nihil negare, & meo animo, quem iandudum magnitudo, & admiratio tuarum uirtutum inuitabat, & toties teſtata beneuolentia, humanitasq́; prouocabat, conſultum iri uellem, tuumq́; fauorem omnibus occaſionibus demereri plus nimio cuperem, idq́; ſi contigiſſet, non ſolum utile, ſed etiam abunde pulchrum & glorioſum mihi fore exiſtimarem. hæc unica occaſio uidebatur maxime omnium apta & ad referendam tibi publico nomine Pannoniorum gratiam, & priuatim ad tuum animum mihi comparandum, ſi aliquid tui nominis auſpicijs in publicum ederem. dabat ſpem etiam tua humanitas, quam boni conſulturam non dubitabam, quicquid ab homine officioſo proficiſceretur. Cogitabundus ergo cum apud me quærerem, quid potiſſimum edendum eſſet, opportune in iſtas Senecæ de naturalibus rebus quæſtiones incidi. quas ſi ab innumeris erroribus, quibus temporum uitio ſcatebant, noſtro labore, & induſtria uindicatas, ac genuino nitori reſtitutas, tuo nomini auguſtiſſimo dicarem, tuisq́; auſpicijs, ac tuo patrocinio in lucem publicam, ad communem ſtudioſæ iuuentutis utilitatem, cum noſtris an-

notationibus emitterem, arbitratus sum neque ineptum, neque tibi ingratum hoc munus fore. Cui enim aptius Philosophiæ patrocinium commendari potest, quàm tibi, quem à prima ætate omnis ars, & doctrina liberalis delectauit, sed in primis arcanum studium sanctissimæ Philosophiæ? qua nec dari melius à deo munus mortalibus poterat, nec optari maius ab hominibus. Hæc enim sola est, quæ formatet, & componit uitam, actionem regit, agenda & omittenda demonstrat. sola deniq; homini dat humanitatem. Nemo potest bene beatéq; uiuere, ac ne tolerabiliter quidem sine Philosophiæ studio. quicunque autem in Philosophia proficit, in uita proficiat necesse est. Quod uiuimus deo debemus, quod beneuiuimus Philosophiæ. tantò plus ergo Philosophiæ debebemus, quantò est nobilior, præstantiorq; bona uita, quàm uita, nisi ipsa quoque Philosophia munus dei esset. Huic tu prima fundamenta fideliter, peculiari quodam dono naturæ, eximia docilitate Lucetiæ in urbe Parisiorum omnibus liberalibus studijs florentissima iecisti. Deinde crescentibus annis in Italiam artium parentem, superatis Alpium difficultatibus ueneisti, ut pluribus locis tuæ uirtutis uestigia imprimeres, summumq; fastigium studiorum diuinæ Philosophiæ imponeres, atquæ absolutam omnibus numeris uirtutem referres. Tanta tibi est colendi per omnes uirtutes ingenij, quærendiq; decoris cura, ut nulla te regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, nulla tempestatis asperitas ab inquirenda uirtute, quod est rarissimum in ista fortuna, deterreat. Adeo non satiatur perceptæ uirtutis cupido, atque

» Inflammata semel nescit mitescere uirtus.

Apud antiquos innumeri reges honore artium colebantur, & in ostentatione has proferebant, suæq; dignitatis & existimationis fundamenta non tam in congestis opibus, aut in exterarum gentium iniuria, & ruina ponebant, quàm in liberalitate, innocentia, mansuetudine, & literarum splendore. nec quisquam dignus imperio publicaq; administratione censebatur, nisi usu, & peritia multarum rerum calleret, ac totius uetustatis facta, dicta, instituta, denique omnia uitæ officia teneret. Ille enim optime de futuris consulit, qui de præteritis exempla petit. Hinc fortunatas esse resp. Socrates & Plato attestantur, quorum reges sapiunt, uel in quibus sapientes regnant. Sapientia enim habenas tenente omnia consultissime geruntur. illa ducente nihil temere, nihil inconsulte agitur.

Quápropter

Quapropter neminem plura scire oportere, quàm principem, qui sicut pluribus præest dignitate, ita & scientia eũ antecellere debere. Sed rarum profecto & uisendum nostro æuo spectaculum, feliciter nasci, atque optime institui, uirtutisq; luce natalium splendorem illustrari. Nihil pulchrius, nihil iucundius, nihil magis plausibile, ac fauorabile, quàm si cum uirtute & sapientia, placidoq; ingenio magna dignitas coniungatur, cum uicissim & sapientia fortunam, & fortuna sapientiam illustrat. Quod tibi quamfeliciter dono diuũ contigit, nemo non uidet, qui te nouit. Tanto enim amore sacrosanctæ Philosophiæ studia, rectamq; uiuendi rationem sectaris, ut omnia una uirtute minora existimes. Virtus siquidem est summum firmumq; contra omnes Fortunæ insultus præsidium. Lubrica, fluxa & desultoria sunt omnia Fortunæ munera, Virtus autem firma & stabilis, ex alta arce secura despicit insidiantis Fortunæ impetus. Te quidem & natalium splendor (quorum originem utrinq; serie stemmatum longissima, illustriumq; imaginum à regibus clarissimus, cæsaribusq; rerum potitis ducas) plurimum illustrat, & paterna domi, belliq; parta gloria ornatissimum reddit. Nam parens tuus LVDOVICVS Saluttarum Marchio (ut auos, proauosq;, & alios Salutiæ gentis principes, quorum illustria facinora orbis terræ iudicio ac testimonio comprobantur, prætream) heros sapientia, uirtute, authoritate, gloria longe omnium clarissimus. cui neque in deliberando consilium, neque in agendo industria unquam defuit. Nulla rerum sublimitas eius ingenium superare, nulla uarietas confundere, nulla multitudo obruere potuit. Quapropter illum, ut par erat, LVdouicus XII. Gallorum Rex sapientissimus, uirtute, & gloria rerum gestarum omnis memoriæ facile princeps, sicut alterum parentem & obseruabat, & diligebat. quin etiam paternæ uenerationis nomine dignabatur. Illius enim tum consilijs, tum etiam ductu & auspicijs maximum imperium & protulit & confirmauit. Quare siue ille bella, siue pacem gerebat, Ludouico patri maxima rerum, uerborumq; fides habebatur. Tanta erat domi, foriſq; toties probatæ, atque spectatæ uirtutis fiducia. Hic ergo regiorum titulorum, & uictoriarum, quibus ille tot loca illustrauit, ac triumphorum insignium, deniq; omnis gloriæ regiæ particeps celebratur & à scriptoribus regiarum rerum, & priuatis Salutiæ gentis annalibus. Huius inquam uel unius, patris dico, decora, & insignia cum te secum lau-

dis, & gloriæ reddere possent, magis tamen solicitum fecerunt, & æmulatione eximiæ uirtutis inflammauerunt, atque tam acre subdiderunt calcar, ut nihil te magis inquietum habeat, quàm natalium splendor, quàm auitum, paternumq; decus, ut illa tueri, ut superare possis.

» Vt tibi maiores, maius decus ipse futuris.

Neque enim domesticæ tantum maiorum tuorum exempla sequeris, quorum præclara facinora, æterna annalium, historiarumq; serie condita, satis te admonere egregiæ laudis poterant, poterat uel unius patris memoria. sed totam uetustatem exemplorum plenam reuoluis, multasq; imagines fortissimorum uirorum & a' Græcis, & a' Latinis scriptoribus uiuo, loquentiq; penicillo expressas, & ad intuendum, & ad imitandum tibi proponis. In multis, quorum nomen per orbem celebre uiget, teipsum agnoscis, & cum te in illis probari à rerum scriptoribus intelligis, tacitam quandam delectationem capis. Plurimorũ uirtutes superasse gaudes. Si uero aliquos, quorum uestigia nondum impleueris, anteire uides, illi tibi somnum rumpunt, & solicitum tantæ laudis faciunt. Thucydides olim auditis Herodoti Musis collacrymasse dicitur. Demosthenem fabrorum antelucana diligentia excitare solebat. Themistocli Miltiadis trophæa somnum rumpebant. Alexander Achillis tumulo, Cæsar Alexandri titulis conspectis, laudis æmulatione ingemuisse feruntur. Ita est profectò natura comparatum, ut optimus quisq; alienæ uirtutis & gloriæ æmulatione ad simile decus petendum maxime incitetur & inflammetur. Hæc sunt uera generosi animi argumenta, cuius fidem princeps generosissime tu manifestam facis, dum optimum quenque ueterum ita imitaris, ut uel effingas, uel superes. Quocirca multorum uirtutes in te unum, miro quodam temperamento, coiere, ut nihil seueritati hilaritas, nihil grauitati candida simplicitas, nihil dignitati detrahat humanitas. ita enim te amamus, ut simul ueneremur. Tu quidem omneis, præsertim bonarum artium studiosos sic amas, & complecteris, ut æque cunctis tuæ dignitatis quasi fasceis submittas, & te principem obliuiscaris, ut amicum præstare possis. uel potius principem, & amicum temperas. nobis tamen tua humanitas non solum iucunda, uerumetiam admirabilis, & ueneranda uidetur. quoq; magis ad nostram humilitatem descendis, eo' nobis maior exoreris. Illa mihi uidetur in te uera & incomparabilis generosi animi sublimitas (ut cæteras

uirtutes, quibus enumerandis non sufficimus, relinquam) quod indignus etiam, & aduersarijs omne genus humanitatis, & beneuolentiæ ostendis, nec cuiusquam improbitate, aut inhumanitate quicquam ab illa animi tui mansuetudine (tantus tibi inoleuit bonitatis affectus) demittis. nec quid illi mereantur, sed quid te deceat, respicis. ita fit ut quenque etiam pessimum quam primum suæ improbitatis pœniteat, & admiratio tuæ humanitatis subeat. Tantum tibi ad promerendam omnium uoluntatem uel naturæ, & ingenij, uel artis, uel fortunæ supereſt. Titus se perdidisse aiebat illum diem, quo nihil cuiquam præstitisset. Memoranda sane, meritoq; laudanda omni æuo uox principis optimi, qui propter hanc animi benignitatem deliciæ humani generis, amorq; orbis est appellatus. Scipio non ante redibat à foro, quàm sibi aliquem amicum comparasset. his enim artibus, non numerosa armatorum stipatione paratur tutela fidelissima. Illius siquidem uirtus, & gloria minimum inuidiæ habitura est, qui plurimum humanitatis habet. Alexandri Macedonis ut infinitam gloriam bellica uirtus, ita præcipuum amorem humanitas meruit. Tu quoque Princeps clariß. ad conciliandam tibi omnium uoluntatem nullum genus nec humanitatis, nec beneficij prætermittis. maiora defers multis, quàm uelint, plura quàm sperare possint. quod etiam uelle magnitudinis esset, posse felicitatis. at uelle et posse perfectæ absolutæq; uirtutis est. Sed hæc sicut æterna sunt memoria digna, ita epistolari angustia, meoq; ingenio longe ampliora. Reliquum est Princeps sapientiß. ut Philosophiæ eximus à pueritia cultor, Senecæ philosophi sanctissimi, ideſt Romani Socratis tutelam & patrocinium suscipias. quem nos labore non exiguo, collatione diligenti ueterum exemplarium, paucis diebus non ut uoluimus, sed ut potuimus emendatum, nitidioremq;, quàm ab hinc trecentis fuerit annis, in lucem, cum nostris annotationibus nudis, & raptim inter legendum excerptis, tui nominis auspicijs, pleni bonæ spei emittimus. tu dabis felix exordium primæ nostræ fœturæ. Senecæ quidem magna est & ex se apud homines eruditus authoritas, & gratia, sed illa quoque non parum accessionis sibi fore tuo fauore, & patrocinio sperat. Nostræ uero in illum annotationes boni consulent, si summam, tui nominis umbra tectæ, euaserint reprehensionem. Nam præclare scio non defuturos, qui me operam male locasse clamitent. multi enim auidiores sunt inueniendi quæ reprehendant, quàm quæ probent. Si autem aliquid

gratiæ cõsequentur, id totum tibi acceptum relaturæ. quam nec spe-
rare alioqui auderent, nisi tibi nominatim inscriptæ essent. Multa
etiam uilia templis consecrata, æstimationem à numinum maie-
state accipiunt. Nihil siquidem est, unde aut fauorem, aut æstimatio-
nem, nisi à tui nominis dignitate, hæc nostra lucubratiuncula
speret. quippe in qua nec sunt res secretiores, nec ubertas oratio-
nis, nec ulla ornamenta dicendi. nudis tantum uerbis apertius, &
indoctius, atque, ut Græci dicunt, παχυτέρᾳ μούῃ cuncta quasi
in transitu q̃breuissime notauimus. Nãq; ut eleganter ait Manilius,

» Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Neq; patiebatur hoc bimestre tempus, quo hæc inter alia studia per
otium curauimus, uerba elegantiora exquirere, plureisq; ad hoc
authores reuoluere. quorũ alioqui nobis maxima erat penuria, uni-
cum enim Pliniũ comitem itineris mecum habebam, et forsitan coacti
fuissemus hoc fructu, quisquis est, studiosos defraudare, nisi nobis tum
Græcorũ, tum Latinorum aliquot authorum copiam fecisset hospes
meus Philippus Phoscarus Patritius Venetus, Marci Phoscari clariss-
imi Senatoris filius, adolescens incipientis Iuuentæ, à teneris hone
ste educatus, disciplinis liberalibus ornatus, & præceptis sanctissimis
institutus. Non nihil iuuit nos in hac re & BOnus Salutius iuue-
nis generosissimus, ac clarissimus, neq; à Musis, neque à Charitibus
abhorrens, uirtutumq; excellentia, & ingenij sollertia maximis re-
bus domi, forisq; gerendis natus. quem nullus unquam egregius
exercitus ducem, nulla resp. quolibet tempore principem sperneret.
Hic tecum æqualibus ad uirtutem laudemq;, & ad omne decus pe-
tendum facibus à prima ætate inflammatus. nunc etiam una tecum,
ut fidus Achates, felicibus incrementis ad fastigium uirtutis progre-
ditur. Præterea plurimum nobis præsidij tulit, ut ingenue fatear,
maxima doctorum, doctrinarumq; parens domus Asulana. His
itaque collectis, & contractis hinc inde auxilijs multa millia mon-
strorum, quæ Senecæ campos obsederant, iugulauimus. atque ho-
rum præsidijs, quicquid est hoc operis, magna ex parte efficimus.
ego ipse mihi sum testis, quanta cura, quantoue labore. Errant pro-
fectò, qui facilem putant authorum corruptorum castigationem, præ-
sertim quando non aperta tantum sectari uolumus (ut faciunt non-
nulli emendatores, qui magno gaudio, magnaq; gloria se efferunt, si
uel unicum non magni momenti locum in aliquo authore emendaue
rint, multo ante ab alijs, quos ipsi uel non uiderunt, uel se uidisse

aſtute diſſimulant, ut alieni laboris, uirtutiſq; gloriolam ſibi uendicent, emendatum) ſed omnium ſenſuum concordiam, ac ſingulorum uerborum diſpoſitionem, pondus, & concentum perpendimus. tunc in iſtis maior, quàm pro exiſtimatione difficultas. Qua forſitan nos uicti, & territi à propoſito fuiſſemus, niſi tuæ cælſitudinis, cui hæc nuncupanda deſtinaram, reſpectus omnia leuiora, atque etiam ſuauia feciſſet. Suſcipe igitur Princeps humaniſs. læta fronte, atque eo, cuius nobis ſemper ſpem dediſti, uultu hoc munus puſillum quidem, ac tenue, ſed tibi deſtinatum, ac deuotum, ſed officioſum, ſed mei erga te animi, obſeruantiæq; in te meæ non paruum indicium. Quiſquis Genius harum lucubrationum apud populum futurus eſt, nos tamen ampliſſimam mercedem laborum, ac uigiliarum noſtrarum conſecuti uidebimur, ſi tuum fauorem, ac patrocinium meruerimus. Vale. Calendis Auguſti. MDXXII.

LVCII ANNEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER PRIMVS DE IGNIBVS COELESTIBVS ET DE ARCV PRAEFATIO.

VANTVM *inter philoſophiam intereſt Lucili uirorum optime, & cæteras artes, tantum intereſſe exiſtimo ipſa philoſophia, inter illam partem, quæ ad homines, & hanc, quæ ad deos pertinet. Altior eſt hæc, & animoſior, multum permiſit ſibi, non fuit oculis contenta. Maius eſſe quiddam ſuſpicata eſt, ac pulchrius, quod extra conſpectum natura poſuiſſet. Deniq; tantum inter duas intereſt, quantum inter deum, & hominem. Altera docet quid in terris agendum ſit, altera quid agatur in cœlo. Altera errores noſtros diſcutit, & lumen admouet, quo diſcernantur ambigua uitæ, altera multo ſupra hanc caliginem, in qua uolutamur, excædit, & è tenebris ereptos illò perducit, unde lucet. Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte uideo, quæ publica eſt, ſed cum ſecretiora eius intraui, cum diſco quæ uniuerſi materia ſit, quis author ſit, aut cuſtos, quid ſit deus, totus in ſe intendat, an & ad nos aliquando reſpiciat. Faciat quotidie aliquid, an ſemel fecerit. Pars mundi ſit, an mundus, liceat illi hodieq; decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare, an maieſtatis diminutio ſit, et confeſſio erroris mutanda feciſſe. Neceſſe eſt enim ei eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt. Nec ob hoc minus liber, & potens eſt, ipſe enim eſt neceſſitas ſua. Niſi ad hæc admitterer, non fuerat operæpretium naſci. Quid enim erat, cur in numero uiuentium me poſitum eſſe gauderem? an ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus cæſurum ac fluidum, perituramq;, niſi ſubinde impleatur, farcirem, et uiuerem ægri miniſter? ut mortem timerem? cui uni omnes naſcimur. Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt uita tanti, ut ſudem, ut æſtuem. O q̃ contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit. Quandiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? Etiam ſi ſuperiores ſumus, portenta uincimus, quid eſt, cur ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſſimiles deterrimus ſumus? Non ui-*

deo quare sibi placeat, qui robustior est ualetudinario. Multũ interest inter uireis et bonam ualetudinem. Effugisti uitia animi, non est tibi frons ficta, nec in alienam uoluntatem sermo compositus, nec cor inuolutum, nec auaritia, quæ quicquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat. Nec luxuria, pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparet. Nec ambitio, quæ te ad dignitatem, nisi per indigna, non ducet, nihil adhuc consecutus es, multa effugisti, te nondum. Virtus enim ista, quã affectamus, magnifica est. Non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cœlestium, dignumq; efficit, qui in consortium dei ueniat. Tunc consumatum habet plenumq; bonum sortis humanæ, cum calcato omni malo petit altum, et in interiorem naturæ sinum uenit. Tunc iuuat inter sydera ipsa uagantem diuitum pauimenta ridere, et totam cum auro suo terram. Non illo tantum dico, quod egessit, & signandũ monetæ dedit, sed & illo quod in occulto seruat posterorum auaritiæ. Nec potest ante contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsileis syluas, & deriuata in domos flumina, q̃ totum circumeat mundum, & terrarum orbem superne despiciens angustum, & magna ex parte opertum mari, etiam ea parte qua extat late squalidum, & aut ustum, aut rigentem, sibi ipse ait. Hoc est illud punctum, quod inter tot genteis ferro & igni diuiditur. O q̃ ridiculi sunt mortalium termini. Vltra Istrum Dacus non exeat, Isthmus Samothracæs includat, Parthis obstet Euphrates, Danubius Sarmatica ac Romana disterminet, Rhenus Germaniæ modum faciat, Pyreneus medium inter Gallias & Hispanias iugum extollat, inter Aegyptum & Aethiopias arenarum inculta uastitas iaceat. Siquis formicis det intellectum hominis, non ne & illæ unam aream in multas prouincias diuident? Certe si illam, ut magnam sustuleris, quoties uidebis exercitus sub multis ire uexillis, et quasi magnum aliqd agatur, eqtẽ modo ulteriora explorãtẽ, modo à lateribus affusum, libebit dicere,

» It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis & uobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? punctum est illud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regnatis, * Ponitis minima etiam cum illis. Vtrinq; oceanus incurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur, at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisq; ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac uelut uinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentũ

diuinitatis

diuinitatis ſuæ, quod illũ diuina delectant, nec ut alienis, ſed intereſt ut ſuis. Secure ſpectat occaſus ſyderum, atq; ortus, & tam diuerſas concordantiũ uias, obſeruat ubiq; quæ ſtella proximũ terris lumen oſtendat, ubi culmen eius ſummum, qua curſus ſit, quouſq; deſcendat. Curioſus ſpectator excutit ſingula, & quærit. Quid ni quærat? ſcit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias, quantum enim eſt, quod ab ultimis litoribus Hiſpaniæ uſq; ad Indos iacet? paucissimorum dierum ſpatium, ſi nauem ſuus uentus impleuit. At illa regio cœleſtis p triginta annos uelocissimo ſyderi uiam præſtat nunq̃ reſiſtenti, ſed æqualiter cito. Illic demum diſcit, quod diu quæſiuit. Illic incipit deum noſſe. Quid eſt deus? mens uniuerſi. Quid eſt deus? Quod uides totum, & quod non uides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, quia nihil maius excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum & extra et intra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam dei, & noſtram? Noſtri melior pars animus eſt, in illo nulla pars extra animum, totus ratio eſt. Cum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc, quo neq; formoſius eſt quicq̃, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtiment homines fortuitum & casu uolubile, ideoq; tumultuoſum inter fulmina, nubes, tempeſtates, & cætera, quibus terræ, ac terris uicina pulſantur. Nec hæc intra uulgum dementia eſt, ſed ſapientiam quoq; profeſſos contingit. Sunt qui putent ſibiipſis animum eſſe, & quidem prouidũ ac diſpenſantem ſingula, & ſua & aliena, hoc autem uniuerſum, in quo nos quoq; ſumus, expers eſſe conſilij, & aut ferri temeritate quadam, aut natura neſciente quid faciat. Quàm utile existimas iſta cognoſcere, & rebus terminos ponere, quantum deus poſſit materiam ipſe ſibi formet, an ea utatur, utrum idea materiæ priùs ſuperuenit, an materia ideæ, deus quicquid uult efficiat, an in multis rebus illum tractanda deſtituant, & à magno artificæ praue formentur multa, non quia ceſſat ars, ſed quia id in quo exercetur, ſæpe inobſequés arti eſt? Hæc inſpicere, hæc diſcere, his incumbere, non'ne tranſilire eſt mortalitatem ſuam, & in meliorem tranſcribi ſortem? Quid tibi inquis iſta proderunt? ſi nil aliud, hoc certe, ſciam omnia auguſta eſſe. Sed hæc deinde. Caput I.

Vnc ad propoſitum ueniam opus. Audi quid de ignibus philoſophia uelit, quos aër transfuſos agit. Magna ui illos excuti argumentum eſt, quod obliqui feruntur, & prærapida celeritate, apparet illos non ire, ſed proiici. Igniũ multæ nariæq; facies ſunt. Ariſtoteles quoddam genus illorũ Capram uocat.

Si me interrogaueris quare, prior mihi rationē reddas oportet, quare Hœdi uocentur. Si autem, quod cōmodissimum est, conuenerit inter nos, ne alter alterum interroget, quid dicit ille, respondeo. Satius erit de re ipsa quærere, q̄ mirari quid ita Aristoteles globum ignis appellauerit Capram. Talis fuit forma eius, q̄ bellū aduersus Persen Paulo gerente, lunari magnitudine apparuit. Nos quoq; uidimus non semel flammam ingentis pilæ speciē, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa diui Augusti excessum simile prodigium, Vidimus cum de Seiano actum est. Nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit. Dices mihi, ergo tu in tantis erroribus es, ut existimes deos motuum signa præmittere, & quicq̄ esse in terris tam magnum, quod perire mundus denunciet? Erit aliud istius rei tempus. Videbimus an certus omnium rerum ordo ducatur, & alia alijs ita complexa sint, ut quod antecedit, aut causa sit sequentium, aut signum. Videbimus an dijs humana sint curæ, an series ipsa q̄d factura sit, certis rerum notis nunciet. Interim illud existimo, huiusmodi ignes existere aëre uehementius trito, cum inclinatio eius in alteram partem facta est, & non cessit, sed inter se pugnauit. Ex hac uexatione nascuntur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cum leuius collisus, & (ut ita dicam) frictus est, minora lumina excutiuntur, crinemq; uolantia sydera ducunt. Tunc ignes tenuissimi iter exile designant, & cœlo producunt. Ideo nulla sine eiusmodi spectaculis nox est. Non enim opus est ad efficienda ista magno aëris motu. Deniq; (ut breuiter dicam) eadē ratione fiunt ista, qua fulmina, sed ui minore. Quē admodū nubes mediocriter collisæ fulgurationes efficiūt, sed maiore impetu impulsæ, fulmina, sic quanto illas minus presseris, tāto leuiora fulmina emittunt. Aristoteles eiusmodi rationē reddit. Varia & multa terrarum orbis expirat, quædam humida, quædam sicca, quædam calentia, quædā concipiendis ignibus idonea. Nec mirum est, si terris omnis generis, & uaria euaporatio est, cum in cœlo quoq; non unus appareat color rerum, sed acrior sit caniculæ rubor, Martis remissior, Iouis nullus, in lucem puram nitore perducto. Necesse est ergo in magna copia corpusculorum, quæ terræ eiectant, & in superiorem agunt partem, aliqua in nubeis peruenire alimenta ignium, quæ non tantum collisa possint ardere, sed etiam afflata radijs solis. Nam apud nos quoq;, sarmenta sulfure aspersa ignem ex interuallo trahunt. Veri ergo simile est, talem materiam inter nubeis congregatam facile succendi, & maiores nunores'ue igneis existere, prout illis fuit plus, aut minus uirium. Illud

enim

enim stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliquid illis auferri et abradi, nam si hoc fuisset, iam defuissent, nulla enim nox est, qua non plurimæ ire, & in diuersum uideantur abduci. Atqui, quo solent, quæq; inueniuntur loco, magnitudo sua singulis constat. Sequitur ergo, ut infra illa, ista nascantur, & citò intereidant, quia sine fundamento sunt, & sede certa. Quare ergo etiã non interdiu transferuntur? Quid si dicam stellas interdiu non esse, quia non apparent? Quemadmodum illæ latent, & solis fulgore obumbrantur, sic faces quoq; transcurrunt interdiu, sed abscondit eas diurni luminis claritas. Siquando tamen tãta uis emicuit, ut & dduersus diem uendicare sibi suum fulgorem possint, apparent. Nostra quoq; ætas non semel uidit diurnas faces, alias ab oriente in occidentem uersas, alias ab occasu in ortum. Argumentum tempestatis nautæ putant, cum multæ transuolant stellæ, quod si signum uentorum est, ibi uenti sunt, id est in aëre, qui medius inter lunam & terram est. In magna tempestate apparent quasi stellæ uelo insidentes, adiuuari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine, causa autem melioris spei est, quod iam apparet frangi tempestatem, & desinere uentos. Aliquando feruntur ignes non sedent, Gylippo Syracusas petenti uisa est stella super ipsam lanceam constitisse, in Romanorum castris uisa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa delapsis, qui sæpe fulminum modo animalia ferire solent, & arbusta, sed si minore ui mittuntur, desinunt tantum, & insidunt, non feriunt, nec uulnerant. Alij inter nubes eliduntur, alij sereno, si aër ad exprimendum igneis aptus fuit. Nã sereno quoq; cœlo aliquando tonat, ex eadem causa, qua nubilo, aëre inter se colliso, qui etiam si est lucidior, ac siccior, coire tamen, & facere corpora quædam similia nubibus potest, quæ pcussa reddant sonum. Quandoq; igitur fiunt trabes, quandoq; clypei, et uastorũ imagines igniũ, ubi in talẽ materiã incidit similis causa, sed maior. Caput II.

Ideamus nunc quemadmodum fiat is fulgor, qui sydera circumnectit. Memoriæ proditum est, quo die diuus Augustus urbem, ex Apollonia reuersus, intrauit, circa solem uisum coloris uarij circulum, qualis esse in arcu solet, hunc græci ἅλω uocant, nos dicere coronam aptissime possumus. Quemadmodum fieri dicantur, exponam. Cum in piscinam lapis missus est, uidemus in multos orbes aquam descendere, & fieri primum angustissimum orbem, deinde laxiores, ac deinde maiores, donec euanescat impetus, & in planiciem immotarum aquarum soluatur. Tale

quiddam cogitemus fieri etiam in aëre, cum spissior factus plagam sentire potest, lux solis, aut lunæ, uel cuiuslibet syderis incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nam humor & aër, & omne quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis est eius, quod impellit. Omne autem lumen rotundum est, ergo & aër percussus lumine hunc modum exhibet. Ob hoc tales splendores græci areas uocauere, quia ferè terendis frugibus loca destinata sunt rotunda. Nos autem non existimamus istas, siue areæ, siue coronæ sint, in uicinia syderũ fieri, plurimũ ab his absunt, quãuis cingere ea, et coronare uideantur. Non longe à terra fit talis effigies, quam uisus noster, solita imbecillitate deceptus, circa ipsum sydus putat positã. In uicinia autem solis, & stellarum nihil tale potest fieri, quia illic æther tenuis est. Nam formæ crassis demum, spissisq; corporibus imprimi solent, in subtilibus nõ habent ubi consistant, aut hæreant. In balneis quoq; circa lucernam tale quiddam aspici solet, ob aëris densi obscuritatem, frequentissime autem austro, cum cœlum maxime graue & spissum est. Nonnunq; paulatim diluuntur et desinunt, nõnunq; ab aliqua parte rumpuntur, & inde uentum nautici expectant, unde contextus coronæ perit. Si à septẽtrione discesserit, Aquilo erit, si ab occidente, Fauonius. Quod argumentum est, inter eam partem cœli has fieri coronas, inter quã uenti quoq; esse solent. Superiora autem non habent coronas, qa ne uentos qdem. His argumentis & illud adijce, nullã coronam colligi nisi stabili aëre, & pigro uento, aliter non solet aspici, Nam qui stat aër, impelli, & deduci, et in aliquam faciem fingi potest, is autem qui fluit, nec feritur quidem lumine, nõ enim formatur, nec resistit, qa prima quæq; pars eius dissipatur. Nunq; ergo aliquod sydus talẽ sibi effigiem circũdabit, nisi cũ aër erit densus, atq; immotus, & ob hoc custodiens incidentem in se rotundi lineã luminis, nec sine causa. Repete igitur exemplum, quod paulo ante proposui, Lapillus in piscinam aut lacum, & aliquam alligatam aquã missus, circulos facit innumerabiles, at hoc qdẽ nõ facit in flumine. Quare? quia omnẽ figuram fugiens aqua disturbat. Idem ergo in aëre euenit, ut ille qui manet possit figurari, at ille qui rapitur, & currit non det sui potestatem, & omnem ictum, uenientemq; formam exturbet. Hæ de qbus dixi coronæ cũ dilapsæ sint æqualiter, & in semetipsis euanuerint, significatur aëris quies et otium, & tranquillitas. Cum ad unam partem cesserint, illinc uentus est, unde findũtur, si ruptæ pluribus locis sunt, tempestas fit. Quare id accidat, ex his quæ iam proposui, intelligi potest. Nã si facies uniuersa

uersa subsedit, apparet temperatum esse aëra. Si ab una parte interciſa est, apparet inde aëra incumbere, & ideo illa regio uentum dabit. At cum undiq; & concerpta, & lacerata est, manifestum est a pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquietum aëra hinc atq; hinc assilire, itaq; ex hac inconstantia cœli, tã multa tentantis, et undiq; laborantis, futura tempestas uentorũ plurium apparet. Hæ coronæ noctibus fere circa lunam, et alias stellas notantur, interdiu raro, adeo ut qdam ex Græcis negauerint eas omnino fieri, cũ illos historiæ coarguant. Causa autem raritatis hæc est, quod solis fortius lumen est, & aër agitatus ab illo, calefactusq; solutior est, lunæ autẽ inertior uis est, & ideo a circũposito aëre facilius sustinetur, æque sydera cætera infirma sunt, nec perrumpere aëra ui sua possunt. Excipitur itaq; illorũ imago, & in materia solidiore, ac minus cedente uersatur. Debet enim aër nec tam spissus esse, ut excludat, ac submoueat a se lumen immissum, nec tam tenuis & solutus, ut nullam uenientibus radijs morã præbeat. Hæc noctibus tẽperatura contingit, cũ sydera coniectum aëra lucæ leui non pugnaciter, nec aspere feriũt, spissioremq;, q̃ solet esse interdiu, inficiunt. Caput III.

a

Iterum arcus in nocte non fit, nisi admodum raro, quia luna non habet tantum uirium, ut nubeis transeat, & illis colorem suffundat, qualem accipiunt sole perstrictæ. Sic enim formam arcus discoloris accipiunt, quia aliæ partes in nubibus tumidiores sunt, aliæ submissiores, quædam crassiores, q̃ ut solem transmittant, aliæ imbecilliores, q̃ ut excludãt. Hæc inæqualitas alternis lucẽ umbramq; pmiscet, & exprimit illam mirabilem arcus uarietatem. Altera causa eiuscemodi arcus redditur. Videmus cum fistula aliquo loco rupta est, aquam p tenue foramen elidi, quæ sparsa contra solem oblique positum, faciem arcus representat. Idem uidebis accidere, siquando uolueris obseruare fullonem, cum os aqua impleuit, & uestimenta tendiculis diducta leuiter aspergit, apparet uarios edi colores in illo aëre aspersо, quales in arcu fulgere solent. Huius rei causam in humore esse nõ dubitaueris, non fit enim unq̃ arcus nisi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt esse aliqua stillicidia, quæ solẽ transmittant, quædã magis coacta, q̃ ut transluceant, itaq; ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, & sic utriusq; intercursu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ solẽ recipit, pars obscurior sit, quæ excluſit, & ex se umbram proximis fecit. Hoc ita esse qdã negant, poterat enim umbra, et lux causa uideri, si arcus duos tãtũ haberet colores, et sic ex lumine umbraq; cõstaret,

» Sed nunc diuersi niteant cum mille colores
» Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit,
» Vsq; adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant.

Videmus in eo aliqd flammei, aliquid lutei, aliquid cœrulei, & alia in picturæ modũ subtilibus lineis ducta, ut ait Poëta, ut an dissimiles colores sint, scire nõ possis, nisi cũ primis extrema contuleris. Nã cõmissura decipit, usq; adeo mira arte naturæ, quod à simillimis cœpit, in dissimillima desinit. Quid ergo istic duo colores faciunt luminis atq; umbræ, cũ innumerabiliũ ratio reddenda sit? Qui ita existimant arcũ fieri, dicunt in ea parte, in qua pluit, singula stillicidia pluuiæ cadentis, singula specula esse, à singulis ergo imaginem reddi solis, deinde multas imagines, immò innumerabiles, & deuexas, & in præceps transeuntes confundi. Itaq; & arcũ esse multarum imaginũ solis confusiones. Hoc sic colligunt. Peluers inquiunt, mille die sereno pone, & omnes habebũt imaginem solis. In singulis foliis dispone singulas guttas, singulæ habebunt imaginem solis. At contra ingens stagnum nõ habebit nisi imaginem unã. Quare? quia omnis circũscripta leuitas, uel planicies, & circũdata suis finibus, speculũ est. Itaq; piscinam ingentis magnitudinis, insertis parietibus, in plures diuide, totidẽ illa habebit imagines solis, quot lacus habuerit. Relinque illã sicut est diffusa, semel tibi imaginem reddet. Nihil refert quàm exiguus sit humor, aut lacus, si circũseptus est, speculũ est. Ergo stillicidia illa infinita, quæ imber cadens defert, totidem specula sunt, & totidem solis facies habent. Hæ contra intuenti perturbatæ apparent, nec dispiciuntur interualla, qbus singula distant, spatio prohibente discerni, deinde pro singulis apparet una facies turbida ex omnibus. Aristoteles idem iudicat. Ab omni, inquit, leuitate acies radios suos replicat, nihil autẽ leuius aqua et aëre, ergo etiã ab aëre spisso uisus noster in nos redit. Vbi uero hebes, et infirma est acies, quolibet aëris ictu deficit. Quidam hoc genere ualetudinis laborant, ut ipsi sibi uideãtur occurrere, ut ubiq; imaginem suã cernant. Quare? qa infirma uis oculorum non potest ne proximum qdẽ sibi aërem prumpere, sed resistit. Itaq; quod in alijs efficit densus aër, in his facit omnis, satis enim ualet qualiscunq;, ad imbecillã aciẽ repellendã. Longe autẽ magis uisum nostrũ nobis remittit, q crassior est, & puinci nõ potest, sed radios luminũ nostrorũ moratur, & eò unde exierint, reflectit. Ergo cũ multa stillicidia sint, totidem specula sunt, sed qa parua sunt, solis colorẽ sine figura exprimunt. Deinde cũ in stillicidijs innumerabilibus, et sine interuallo cadentibus

bus reddatur idē color, incipit facies esse nō multarū imaginum in= term̃issarū, sed unius longæ atq; cōtinuæ. Quomodo, inquis, tu mihi multa milia sic imaginū esse, ubi nullā uideo? Et quare cum solis color unus sit, imaginū diuersus est? Vt & hæc quæ proposuisti re= fellā, & alia quæ nō munus refellenda sunt, illud dicā oportet, nihil acie nostra fallacius, nō tantū in his, a' qbus subtiliter quidendis illā colorū diuersitas summouet, sed etiā in his quoq;, quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti speciē reddit. Poma p uitrū aspicientibus multo maiora sunt, Columnarū interualla porticus lon giores iungunt. Ad ipsum solē reuertere, hunc, quē toto orbe terra= rum maiorē probat ratio, acies nostra sic cōtraxit, ut sapientes uiri pedalē esse contenderint. Quē uelocissimū omniū esse scimus, nemo nostrū uidet moueri, nec ire crederemus, nisi appareret isse. Mundū ipsum præcipiti uelocitate labentē, & ortus occasus q; intra momen= tum tēporis reuoluentē, nemo nostrum sentit procedere. Quid ergo miraris, si oculi nostri innumerabilia stillicidia nō separent, & in= genti spatio intuētibus minutarū imaginum discrimen interit? Illud esse dubiū nulli potest, quin arcus imago solis sit roscida, & caua nu be cōcepta, quod ex hoc tibi appareat. Nunq̄ non aduersa soli est, sublimis aut humilis, prout ille se submisit, aut sustulit contrario mo tu. Illo enim descendente altior est, alto depressior. Sæpe talis nubes a' latere solis est, nec arcū efficit, qa non ex recto imaginem trahit. Varietas autē non ob aliā causam fit, quàm qa pars coloris sole est sparsa, pars nube illa. Humor autem modo cœruleas lineas, modo uirides, modo purpuræ similes, & luteas, aut igneas ducit, duobus coloribus hanc uarietatem efficientibus, remisso & intento. Sic enim & purpura eodē conchylio nō in unum modū exit, interest quantū macerata sit, crassius medicamētū, an aquatius traxerit, sæpius mer sa sit, an excocta, an semel tincta. Nō est ergo mirū, cū duæ res sint, sol & nubes, id est corpus, & speculū, si tam multa genera colorum exprimuntur, q in multis generibus possunt aut incitari, aut langue= scere, alius enim est color ex igneo lumine, alius ex obtuso & lenio re. In alijs rebus uaga inqsitio est, ubi nō habemus quod manu tenere possimus, & late coniectura mittenda est, hic apparet duas causas esse arcus, solē nubemq;, qa nec sereno unq̄ fit, nec ita nubilo, ut sol lateat. Ergo utiq; ex his est, quorū sine altero non est. Caput IIII.

Am nunc illud accedit, quod æque manifestum est, speculi
i ratione imaginē reddi, qa nunq̄ nisi ex cōtrario redditur,
id est, nisi ex altera parte steterit, quod apparet, ex altera

quod ostendit. Rationes quæ non persuadent sed cogunt, à geometris adferuntur, nec dubiũ quicq̃ relinqtur, quin arcus imago solis sit male expressi, ob uitiũ figuramq; speculi. Nos interim repetemus alias probationes, quæ de Platone legi possunt. Inter argumenta sic nascentis arcus pono, quod celerrime nascitur, igneũ enim uariumq; corpus cœlo intra momentum subtexitur, & æque celeriter aboletur, nihil autẽ tam citò redditur à speculo, quàm imago, nõ enim facit quicq̃, sed ostendit. Parianus Arthemidorus adijcit, & quale genus nubis esse debeat, quod talẽ soli imaginem reddit. Si speculũ, inqt, concauũ feceris, quod sit sectæ pilæ pars, si extra mediũ constiteris, quicunq; iuxta te steterint, uniuersi à te uidebũtur propiores tibi, quàm speculo. Idem, inqt, euenit, cum rotundã, & cauam nubẽ intuemur à latere, ut solis imago à latere discedat, propiorq; nobis sit, et in nos magis conuersa. Color igitur igneus à sole est, cæruleus à nube, cæteri utriusq; misturæ.

Caput V.

Contra hæc illa dicuntur. De speculis duæ opiniones sunt,
c alij enim in his simulachra cerni putant, id est corporum nostrorũ figuras à nostris corporibus emissas, ac separatas, alij imagines aiunt nõ esse in speculo, sed ipsa aspicia corpora, retorta oculorũ acie, & in se rursus reflexa. Nunc nihil ad rẽ ptinet, quomodo ipsas uideamus, sed quomodo imago similis debet è speculo reddi. Quid nã est tam dissimile, quàm sol & arcus, in quo neq; color, neq; figura solis, neq; magnitudo apparet? Arcus longior amplior q; est, longeq; ea parte, qua fulget, rubicundior q̃ sol, cæteris uero coloribus diuersus. Deinde cũ uelis speculũ aëri cõparare, desopor tet mihi eandẽ leuitatẽ corporis, eandẽ æqualitatẽ, eundem nitorẽ. Atqui nullæ nubes habẽt similitudinẽ speculi, p medias sæpe transimus, nec in illis nos cernimus. Qui montiũ summa conscendũt, spectãt nubẽ, nec tamen imaginem suã in illa cernunt. Singula stillicidia singula specula sunt. Concedo, sed illud nego ex stillicidijs cõstare nubẽ, habet. n. quædam, ex qbus fieri stillicidia possunt, nõ ipsa. Nec aquã qdẽ habent nubes, sed materiã futuræ aquæ. Concedã tibi & guttas innumerabiles in nubibus esse, & illas faciẽ reddere, nõ tamen oẽs unam reddũt, sed singulæ singulas. Deinde inter se specula coniunge, in unam imaginẽ nõ coibunt, sed quæq; particula in se rei similitudinẽ claudet. Sunt quædã specula ex multis minutisq; cõpositæ, qbus si unũ ostenderis hominẽ, populus apparet, unaquaq; parte faciẽ suã exprimente. Hæc cũ sint coniuncta, & simul collocata, nihilominus seducunt imagines suas, & ex uno turbã efficiunt. Cæterũ cæteruam

illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt. Ergo arcus uno circũscriptus ductu, una totius est facies. Quid ergo, inquit, nõ & aqua, rupta fistula, sparsa, & remo excussa habere qddam simile his, quos uidemus in arcu, coloribus solet? Verum est, sed nõ ex hac causa, ex qua tu uideri uis, qa unaquæq; stilla recipit imaginem solis, citius enim cadũt stillæ, q̃ ut concipere imaginẽ possint, standũ est, ut id quod imitantur excipiant. Quid ergo fit? Colorẽ non imaginẽ ducunt aliquo modo, ut ait Nero Cæsar disertissime.

» Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.

Et uarijs coloribus pauonum ceruix, quottes aliquò deflectitur, nitet. Nunquid ergo dicemus speculaeiusmodi plumas, quarũ omnis inclinatio in colores nouos transit? Non minus nubes diuersam speculis naturã habent. Aues, quas retuli, & Chamæleontes, et reliqua animalia, quorũ color aut ex ipsis mutatur, cũ ira, uel cupidine accensa, cutem suã uariant humore diffuso, aut positione lucis, quam prout rectam, uel obliquam receperint, ita colorantur. Quid enim simile speculis habent nubes, cũ illæ non plucæant, hæc transmittant lucẽ? Illæ densæ & coactæ, hæc rara sint? Illa eiusdem materiæ tota, hæ ex diuersis temere cõpositæ, & ob hoc discordes, nec diu cohæsuræ? Præterea uidemus ortu solis partẽ quandã cœli rubere, uidemus nubes aliquando ignei coloris. Quid ergo prohibet, quomodo hunc colorem unũ accipiunt solis occursu, sic multos ab illis trahi, q̃uis non habeãt speculi potentiã? Modo, inqs, inter argumenta ponebas semp arcũ contra solẽ excitari, qa ne a speculo qdẽ imago redderetur, nisi aduerso. Hæc, inq̃, quæstio nobiscũ est, nã quemadmodũ opponendum est speculo id cuius in se imaginẽ transferat, ita sol ad hoc aptè ponendus est, sic, ut nubes inficiposſit, non enim idẽ facit si undiq; fulsit, & ad hoc opus est radiorũ idonea locatio. Hæc dicũtur ab his, q uideri uolũt nubẽ colorari. Possidonius, & hi q̃ specularirationetalẽ effici iudicant uisum, hoc respondent. Si ullus esset in arcu color, pmaneret et uideretur eo manifestius, quo propius, nũc imago arcus ex lõginquo clara est, interit cũ è uicino est uëtura. Huic cõtradictioni nõ consentio, cũ ipsam sententiã probẽ. Quare? dicã, qa coloratur qdẽ nubes, sed ita ut color eius nõ undiq; appareat, nã ne ipsa qdẽ undiq; apparet, nubẽ. n. nemo, q in ipsa est, uidet. Quid ergo mirũ, si color eius nõ uidetur ab eo, à quo ipsa nõ uisitur? Atq q̃uis ipsa nõ uideatur, est, ergo et color. Ita nõ est argumẽtũ fãlsi coloris, qđ idẽ apparere accedẽtibus desinit, idẽ. n. i ipsis euenit nubibus, nec ideo falsæ sunt, qa nõ uidẽtur. Præterea cũ dicitur tibi nubẽ solem esse suffectam,

non dicatur tibi colorem illum immistum esse uelut dum duro corpori, ac stabili, & manenti, sed ut fluido, & uago, et nihil amplius q̄ per breuem speciem recipienti. Sunt etiam quidam colores, qui ex interuallo uim suam ostendunt. Purpuram tyriam quò melior, saturiorq; est, eò oportet ut altius teneas, ut fulgorem suum ostendat. Non tamen ideo non habet illa colorem, quia, quem optimum habet, non, quomodocunq; explicentur, ostendit. In eadē sententia sum, qua Possidonius, ut arcum iudicem fieri nube formata in modum concaui speculi & rotundi, cui forma sit partis pilæ sectæ. Hoc probari, nisi geometræ adiuuerint, non potest, qui argumentis nihil dubij relinquentibus docent solis illam esse effigiem, non simulem, neq; enim omnia áduersus specula respōdent. Sunt quæ uidere extimescas, tanta deformitate corrupta, ut faciem uisentium reddant, seruata similitudine in peius, sunt quæ cum uideris, placere tibi uires tuæ possint, in tantum lacerti crescunt, & totius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur, sunt quæ dextras facies ostendant, sunt quæ sinistras, sunt quæ torqueant & euertant. Quid ergo mirum est, eiuscemodi speculum, quo solis species uitiosa reddatur, in nube quoq; fieri?

Caput VI.

Nter cætera argumenta et hoc erit, quod nunq̄ maior arcus dimidio circulo apparet, & quod eo minor est, quò altior est sol, * ut ait Virgilius noster.

» =Et bibit ingens Arcus= cū, aduētat imber, sed nō easdē, unde cunq; apparuerit, minas affert. A meridie ortus magnā uim aquarū uehet, uinci enim non poterunt uehementissimo sole, tantum est illis uiriū. Si circa occasum refulget, rorabit, & leuiter impluet. Si ab ortu, circaue surrexerit, serena promittit. Quare tamen, si imago solis est arcus, longe ipso sole maior apparet? Quia est alicuius speculi natura talis, ut maiora multa, quàm uideat, ostendat, et in portentosam magnitudinem augeat formas, alicuius inuicem talis est, ut minuat. Illud mihi dic, quare in orbē eat facies, nisi orbi redditur? Dices fortasse unde sit illi color uarius, unde talis figura sit, nō dices, nisi aliquod exēplar, ad quod formetur, ostenderis, nullum autem aliud quàm solis est, à quo cum fatearis illi colorem dari, sequitur ut detur & forma. Deniq; inter me & te conuenit, colores illos, quibus regio cœli depingitur, à sole esse, illud unum inter nos nō conuenit, tu dicis illū colorē esse, ego uideri, qui siue est, siue uidetur, à sole est. Tu nō expedies, quare color ille subito desinat, cū omnes fulgores paulatim discutiātur. Prome est & repētina eius facies, et repētinus

interitus Proprium enim est speculi hoc, quod non per partes struitur, quod apparet, sed statim totum fit. Aeque cito omnis imago in illo aboletur, quàm ponitur. Nihil enim aliud ad ista efficienda uel remouenda opus est, quàm ostendi, & abduci. Non est propria in ista nube substãtia, nec corpus, sed mẽdax est sine re similitudo. Vis scire hoc ita esse? Desinet arcus, si obtexeris solem. Oppone inquam, soli alteram nubem, istius uarietas peribit. At maior est aliquanto arcus, quam sol. Dixi modo fieri specula, quæ multiplicent omne corpus, quod imitantur. Illud adijciam omnia per aquam uidentibus longe esse maiora. Literæ quamuis minutæ, & obscuræ per uitream pilam aqua plenam, maiores clariores q; cernuntur. Poma formosiora q̃ sint uidentur, si innatant uitro. Sydera ampliora per nubem aspicienti cernuntur, quia acies nostra humido labitur, nec apprehendere, quod uult, fideliter potest. Quod manifestum fiet, si poculum adimpleueris aqua, & in id conieceris annulum, nam cum in ipso fundo iacèat annulus, facies eius in summo aquæ redditur. Quicqd uidetur per humorem, longe amplius uero est. Quid murum maiorẽ uideri imaginem solis, quæ in nube humida uisitur? cum de causis duabus hoc accidat, quia in nube est aliqd uitro simile, quod potest perlucere, est aliquid & aquæ, quam si non dum habet, tamen iam apparet eius natura, in quã ex sua uertatur. Caput VII.

Voniam, inquis, uitri feci sti mentionem, ex hoc ipso contra te argumentum sumam. Virgula solet fieri uitrea, stricta, uel pluribus angulis in modum clauæ tortuosæ, hæc si ex transuerso solem accipit, colorem talem, qualis in arcu uideri solet, reddit, ut scias hic non imaginem solis esse, sed coloris imitationem ex repercusso. In hoc argumento multa sunt pro me, primum quod apparet quiddam leue esse debere, simile speculo, quod solem repercutiat, Deinde quod apparet non fieri ullum colorem, sed speciem falsi coloris, qualem, ut dixi, columbarum cæruix et sumit & ponit, ut cunq; deflectitur, hoc autem & in speculo est, cuius nullus uidetur color, sed simulatio quædam coloris alieni. Vnum tamen hoc soluendum est, quod non uisitur in illa uirgula solis imago, cuius bene exprimendæ capax nõ est. Illa conatur quidẽ reddere imaginem, quia leuis est materia, & ad hoc habilis, sed non potest, quia enormiter facta est. Si apte fabricata foret, totidem redderet soles, quot habuisset insecturas, quæ, quia non discernuntur inter se, nec satis in uicem speculi nitent, inchoant tantũ imagines, nec exprimunt, & ob ipsum uicina turbant, & in speciem coloris unius adducunt.

Caput VIII.

T quare arcus non implet orbem, sed dimidia pars eius
a uidetur, cum plurimũ porrigitur, incuruaturq; Quidam ita opinantur, Sol cum sit multo altior nubibus, à superiore tantum illas percutit parte, sequitur ut inferior pars earum nõ tangatur lumine. Ergo cũm ab una parte solem accipiant, unam partem eius tantum imitantur, quæ nunquam dimidia maior est. Hoc argumentum parũ potens est. Quare? quia quamuis sol à superiori parte sit, totam tamen percutit nubem, ergo contingit. Quid ni? cum radios transmittere soleat, & omnem densitatem perrũpere? Deinde contrariam rem proposito suo dicunt. Nam si superior est sol, & ideo tantum superiori parti nubiũ affunditur, nunquam terra tenus descendit arcus, atqui usq; in humum demittitur. Præterea nunquã non contra solem est arcus. Nihil ad rem ptinet, supra infra ue sit, quia totum, quod contra est, latus uerberatur. Deinde aliquando arcum & occidens facit, cum certe ex inferiori nubes ferit, terris propinquus. Atqui & tunc dimidia pars est, quamuis solem nubes ex humili & sordido accipiant. Nostri qui sic in nubilo, quomodo in speculo lumen reddi uolunt, nubem cauam faciunt, & sectæ pilæ partem, quæ non potest totum orbem reddere, quia ipsa est pars orbis. Proposito accedo, argumento non consentio. Nam si in concauo speculo tota facies oppositi orbis exprimitur, & in semiorbe nihil prohibet aspici totam pilam, Etiamnum diximus circulos apparere soli lunæq; in similitudinem arcus circundatos, quare & ille arcus in circulum iungitur nunquam? Deinde quare semper concauæ nubes solem accipiunt, nec aliquando planæ & tumentes? Aristoteles ait, post autumnale æquinoctium qualibet hora diei arcum fieri, æstate non fieri, nisi incipiente, aut inclinato iam die. Cuius rei causa manifesta est. Primum, quia media die sol calidissimus nubes euincit, nec potest ab his imaginem suam accipere, quas scindit. At matutino tempore, & uergens ad occasum, cum minus uirium habeat, minus calidus est, & ideo à nubibus & sustineri, & repercuti potest. Deinde cum arcum facere non soleat, nisi aduersus his, in quibus facit, nubibus, cum breuiores dies sunt, semper obliquus est. Itaq; qualibet diei parte etiam cum altissimus est, habet aliquas nubes, quas ex aduerso ferire potest. At temporibus æstuis supra nostrum uerticem fertur. Itaq; medio die excelsissimus terras rectiore aspicit linea, quàm ut ullis nubibus possit occurri, omnes enim tunc sub se habet.

Caput IX.

Vnc dicendum est de uirgis, quas non minus pictas, uariasq; et æque pluuiarum signa solemnis accipere. In quibus non multum operæ consumendum est, quia uirgæ nihil aliud quàm imperfecti arcus sunt. Nam facies quidem illis est picta, sed nihil curuati habent, in rectum iacent. Fiunt autem iuxta solem ferè in nube humida, & iam se spargente. Itaq; idem est in illis, qui in arcu color, tantum figura mutatur, quia nubium quoq;, in quibus extenduntur, alia est.

Caput X.

Imulis uarietas in coronis est, sed hoc differunt, quod coronæ ubiq; fiunt, ubicunq; sydus est, arcus non nisi contra solem, uirgæ non nisi in uicinia solis. Possum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coronam si diuiseris, arcus erit, si direxeris, uirga. In omnibus color mutiplex est, ex cæruleo fuluoq; uarius. Virgæ soli tantũ adiacent, arcus solares lunaresq; omnes sunt, Coronæ omnium syderum.

Caput XI.

Liud quoq; uirgarum genus apparet, cum radij per angusta foramina nubium tenues intenti, distantesq; inter se diriguntur, & ipsæ signa imbrium sunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? Quid eas uocem? imagines solis? Historia soles uocant, et binos ternosq; apparuisse memoriæ tradunt. Græci παρήλια appellant, quia in propinquo ferè a sole uisuntur, aut quia accedunt ad aliquam similitudinem solis. Non enim totum imitantur, sed imaginem eius figuramq;. Cæterum nihil habent ardoris, hebetes ac languidi. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, q dubitauit de nomine, deinde id, de quo dubitauerat, posuit?

» -& quo te nomine dicam
» Rhetica? nec cellis ideo contende falernis.

Nihil ergo prohibet illas parhelia uocari. Sunt autẽ imagines solis in nube spissa & uicina in modum speculi. Quidam parhelion ita diffiniunt, nubes rotunda & splendida, similisq; soli. Seqtur enim illũ, nec unq; longius relinquitur, quàm fuit cum apparuit. Nunqs nostrũ miratur, si solis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu uidet? Non ut puto. Atqui tam in sublimi facies eius potest, quã nos uidemus, reddi, si modo idonea est materia, quæ reddat.

Caput XII.

Votes defectionem solis uolumus deprehendere, ponimus pelues, quas aut oleo, aut picæ implemus, quia pinguis humor minus facile turbatur, & ideo quas recipit imagines seruat. Apparere autem imagines non possunt,

nisi in liquido & immoto. Tunc solemus notare quomodo se luna soli opponat, ut illum tanto maiorem, subiecto corpore abscondat, modo ex parte, si ita contigit, ut latus incurrerit, modo totum. Hæc dicitur perfecta defectio, quæ stellas quoq; ostendit, & intercipit lucem, tunc scilicet, cum uterq; orbis sub eodem libramento stetit. Quemadmodum ergo in ære utriusq; imago in terris aspici potest, ita in aëre cum sit coactus aer, & limpidus constitit, ut faciem solis acciperet, quam & aliæ nubes accipiunt, sed transmittunt, si aut mobiles sunt, aut raræ, aut sordidæ. Mobiles enim spargunt illam, raræ emittunt, sordidæ turpesq; non sentiunt. Sicut apud nos imaginem maculosa non reddunt.

Caput XIII.

Olent & bina fieri parhelia eadē ratione. Quid enim impedit quo minus tot sint, quot nubes fuerunt aptæ ad exibendā imaginem solis? Quidam in illa sententia sunt, quoties duo simulachra talia existant, ut iudicent unū esse solis, alterum imaginis. Nam apud nos quoq; cum plura specula disposita sunt ita, ut alteri sit conspectus alterius, omnia implentur, & una imago uera est, cæteræ imaginum effigies sunt. Nihil enim refert quid sit, quod speculo ostendatur. Quicquid enim uidet, reddit. Ita illis quoq; in sublimi, si nubeis sors aliqua disposuit, ut inter se aspiciant, altera nube solis imaginem, altera imaginis reddi. Debent autem hæ nubes, quæ hoc præstant, densæ esse, leues, splendidæ, planæ, naturæ solis. Ob hoc omnia quæ huius sunt simulachra, candida sunt, & simulia lunaribus circulis, quia ex percussu, oblique accepto sole, resplendent. Nam si infra solem nubes fuerit, & propior, ab eo dissipatur, longe autem posita radios non remittit, nec imaginem efficit, quia apud nos quoq; specula, cum a nobis procul abducta sunt, faciem non reddunt, quia acies nostra non habet usq; ad nos recursum. Pluuiarum autem & hi soles (utar enim historica lingua) indicia sunt. Vtiq;, si à parte austri constiterunt, inde maxime nubes ingraue scunt. Cum utrinq; solem cingit talis effigies (si Arato credimus) tempesta surgit.

Caput XIIII.

Empus est alios quoq; igneis percurrere, quorum diuersæ figuræ sunt. Aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando fixi & hærentes, nonnunquam uolubiles. Horum plura genera conspiciuntur. Sunt enim uelut corona cingente introrsus igneis cœli. Recessus est similis effossæ in orbem speluncæ, sunt pithiæ in magnitudinem uasti rotundiq; ignis dolio similis, qui uel fertur, uel in uno loco flagrat. Sunt chasmata,

cum

cum aliquod cæli ſpatium deſedit, & flammam debiſcens uelut in abdito oſtentat. Colores quoq; horum omnium plurimi ſunt. Quidam ruboris acerrimi, quidam euanidæ, ac leuis flammæ, quidam candidæ lucis, quidam micantes, quidam æqualiter & ſine eruptionibus, aut radijs fului. Videmus ergo

» Stellarum longos à tergo albeſcere tractus,

hæ uelut ſtellæ exiliunt & tranſuolant, uidenturq; longum ignem porrigere, propter immenſam celeritatem, cum acies noſtra non diſcernat tranſitum earũ, ſed quacunq; cucurrerunt, hoc totum ignitũ credat. Tanta enim eſt uelocitas motus, ut partes eius non diſpiciantur, ſed tantũ ſumma prendãtur. Intelligimus magis, qua appareat ſtella, quàm qua exeat. Itaq; uelut igne continuo, totum iter ſignat, qa uiſus noſtri tarditas non ſubſequitur momenta currentis, ſed uidet ſimul & unde exilierit, & quo peruenerit. Quod fit in fulmine, longus nobis uidetur ignis eius, quia citò ſpatium ſuum tranſilit, & oculis noſtris occurrit uniuerſum per quod deiectus eſt, at ille non eſt extenti corporis, per omne per quod uenit, neq; tam longa, & extenuata in impetum ualent. Quomodo ergo proſiliunt? Attritu aëris, ignis incenſus, uento præceps impellitur. Non ſemper tamen uento attritu'ue fit, nonnunquam ex aliqua opportunitate aëris naſcitur. Multa enim ſunt in ſublimi ſicca, calida, terrena, inter quæ oritur, & pabulum ſuum ſubſequens defluit, ideoq; uelociter rapitur. At quare color diuerſus eſt? Quia refert, quale ſit id quod incenditur, & quàm uehemens quo incenditur. Ventum autem ſignificat eiuſmodi lapſus, & quidem ab ea parte qua erumpit.

Caput XV.

Vlgores, inquis, quomodo fiunt, quos græci σέλαα appel-
f lant? multis, ut aiunt, modis. Poteſt illos uentorum uis edere, poteſt ſuperioris cœli feruor. Nam cum late fuſus ſit ignis, inferiora aliquando, ſi ſunt idonea accendi, corripit. Poteſt ſtellarum motus curſu ſuo excitare ignem, & in ſubiecta tranſmittere. Hoc uero non poteſt fieri, ut aër uim igneam uſq; in æthera elidat, ex qua fulgor ardorue ſit, uel ſtellæ ſimilis excurſus. Ex his fulgoribus, quædam in præceps eunt, ſimilia proſilientibus ſtellis, quædã certo loco permanent, & tantum lucis emittunt, ut fugent tenebras, & diem repræſentent, donec conſumpto alimento, primum obſcuriora ſint, deinde flammæ modo, quæ in ſe cadit, per aſſiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quædam in nubibus apparent, quædam ſupra nubes, cum aër ſpiſſus, ignem, quem

propior terris diu pauerat, usq; in sydera expressit. Horum aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt, aut extinguuntur súbinde qua reluxerant. Hæc fulgores dicuntur, quia breuis facies illorum & cadúca est, nec sine iniuria decidens, sæpe enim fulminum noxas ediderunt, ab his tecta uidimus icta sine fulmine, quæ asparsoplecta græci uocant. At quibus longior mora & fortior ignis est, motuḿq; cœli sequuntur, aut proprios cursus agunt, cometas nostri putant, de quibus dicemus. Horum genera sunt pogoniæ, lampades, & acharissiæ, & alia omnia quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium an inter hos ponantur trabes, & pithiæ, quæ raro sunt uisæ. Multa enim conglobatione ignium indigent, cum ingens illorum orbis aliquando matutini amplitudinem solis exuperet. Inter hæc ponas licet, & quod frequenter in historijs legimus, cœlum ardere uisum. Cuius nonnunquam tam sublimis ardor est, ut inter ipsa sydera uideatur, nonnunquam tam humilis, ut speciem longinqui incendij præbeat. Sub Tiberio cæsare cohortes in auxilium Ostiensis coloniæ cucurrerunt, tanquam conflagrantis, cum cœli ardor fuisset per magnam partem noctis parum lucidus, crassi fumidíq; ignis. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam ostendunt, certa illis substantia est. De prioribus quæritur, de arcu dico & coronis, an decipiant aciem, & mendacio constent, an in illis quoq; uerum sit, quod apparet. Nobis non placet in arcu aut coronis subesse aliquid corporis certi, nihil enim iudicamus in speculis, nisi fallaciam esse. Nihil aliud quàm alienum corpus mentientibus. Non enim est in speculo, quod ostenditur, alioqui non exiret, nec alia protinus imagine obduceretur, nec innumerabiles modo interirent, modo exciperentur formæ. Quid ergo? Simulachra ista sunt, & inanis uerorum corporum imitatio, suntq; ista à quibusdam ita composita, ut & hæc possint detorquere in prauum. Nam (ut dixi) sunt specula quæ faciem prospicientium obliquent, sunt quæ in infinitum augeant, ut humanum habitum excedant, modúmq; nostrorum corporum.

Caput XVI.

De loco uolo tibi narrare fabellam, ut intelligas quàm
h nullum instrumentum irritandæ uoluptatis libido contemnat, & ingenioſa sit ad incitandum furorem suum. Hostius quidam fuit obscœnitatis usq; in scenam productæ. Hunc diuitem auarum HS milies seruum Diuus Augustus indignum

uindicta

uindicta iudicauit, cum à seruis occisus esset, & tamen non pronunciauit iure cæsum uideri. Non erat ille tantummodo ab uno sexu impurus, sed tam uirorum quàm fœminarum auidus fuit, fecitq; specula eius notæ, cuius modo retuli imagines longe maiores reddentia, in quibus digitus brachij mensuram & longitudine & crassitudine excederet. Hæc autem ita disponebat, ut cum uirum ipse pateretur, aduersus omneis admissarij sui motus in speculo uideret, ac deinde falsa magnitudine ipsius membri tanquam uera gaudebat. In omnibus quidem balneis agebat ille delectum, & aperta mensura legebat uiros, sed nihilominus mendacijs quoq; insatiabile malum oblectabat. I nunc, dic speculum mundiciarum causa repertum. Fœda dictu sunt, quæ portentum illud ore suo lacerandum dixerit, fecerit q;, cum illi specula ab omni parte apponerentur, ut ipse flagitiorum suorum spectator esset, & quæ secreta quoq; conscientia premuntur, & quæ accusatus quisq; fecisse se negat, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. At Hercules scelera conspectum suum reformidant, in perditis quoq;, & ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum uerecundia. Ille autem quasi parum esset inuudita & inognita pati, oculis suis illa aduocauit, nec quantum peccabat uidere contentus, specula sibi, per quæ flagitia sua diuideret, disponeretq;, circumdedit, & quia non tam diligenter intueri poterat, cum compressus erat, & caput merserat, genibusq; alienis obhæserat, opus suum sibi per imagines referebat. Speculabatur illam libidinem oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia uiros. Nonnunquam inter marem & fœminam distributus, & toto corpore patiente expositus, spectabat nefanda. Quid nam homo impurus reliquit, quod in tenebris facæret? non pertimuit diem, sed ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse approbauit. Quid non putes in ipso habitu uoluisse pingi? Est aliqua etiam prostitutis modestia, & illa corpora publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt, adeo quodammodo lupanar quoq; uerecundum est. At illud monstrum obscœnitatem suam spectaculum fecerat, & ea sibi ostentabat, quibus abscondendis nulla satis alta nox est. Simul, inquit, & uirum & fœminam patior, nihilominus illa quoq; supernacua mihi parte alicuius contumelia marem exerceo. Omnia membra stupris occupata sunt, oculi quoq; in partem libidinis ueniant, & testes eius exactores ue sine.

Etiam ea quæ ab aſpectu cœporis noſtri poſitio ſummouit, ante uer ſentur, ne quis me putet neſcire quid faciam. Nihil egit natura, quod humanæ libidini miniſteria tam maligna dedit, quod aliorum animalium concubitus melius inſtruxit. Inueniam quemadmodum morbo meo & potiar & ſatisfaciam, quo nequitiam meam, ſi ad naturæ modum pecco? id genus ſpeculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si licæret mihi, ad uerum iſta perducerem, quia non licet, mendacio paſcar. Obſcœnitas mea, plus quàm capit, uideat, & patientiam ſuam ipſa miretur. Facinus indignum, hic fortaſſe cito & antequam uideret hæc occaſus eſt, ad ſpeculum ſuum immolandus fuit. Caput XVII.

Erideantur nunc philoſophi, quod de ſpeculi natura diſſe-
d rant, quod inquirant, quid ita facies noſtra nobis, & quidem in nos obuerſa reddatur? Quid ſibi rerum natura uoluit, quod cum uera cœpora dediſſet, etiam ſimulachra eorum aſpici uoluiſſet? Quorſum pertinuerit hanc comparare materiam excipiendarum imaginum capacem? Non in hoc ſcilicet, ut ad ſpeculum barbam faciemq; uelleremus, aut ut facies uiri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ exercuit, ſed primum omnium, qa imbecilli oculi ad ſuſtinendum cœnnus ſolem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine oſtendit. Quamuis enim cũ orientem occidentemq; contemplari licæat, tamen habitum eius, ipſum qui uerus eſt, non rubentis, ſed candida lucæ fulgentis noſcremus, niſi in aliquo nobis humore lenior, & aſpici facilior occurreret. Præterea duorum ſyderum occurſum, quo interpolari dies ſolet, non uideremus, nec ſcire poſſemus, quid eſſet, niſi liberius humi ſolis lunæq; imagines uideremus. Inuenta ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multi ex hoc conſequuntur primo ſui notitiam, deinde & quoddam conſilium, Formoſus, ut uitaret infamiam. Deformis, ut ſciret redimendum eſſe uirtutibus, quicquid cœpori deeſſet. Iuuenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi. Senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos uidendi. Fons cuiq; perlucidus, aut leue ſaxum imaginem reddit.

» = Nuper me in littore uidi,
» Cum placidum uentis ſtaret mare.-

Qualem fuiſſe cultum putas ad hoc ſpeculũ ſe cernentium? Aetas illa ſimplicior & fortuitis contenta, nondum in uitia beneficiũ detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem luxumq; rapiebat.

Pirmo

Primo faciem ſuam cuiq; cæſus oſtendit, deinde cum inſitus ſui mortalibus amor dulcem aſpectum formæ ſuæ faceret, ea ſæpius deſpexere, in quibus prius effigies ſuas uiderant. Poſtquam deterior populus ſubijt, in ipſas terras ſe effuſurus, ferrum obruendum primũ in uſu fuit, & id homines impune eruerent, ſi ſolũ eruiſſent. Tunc deinde alia terræ mala, quorum leuitas aliud agentibus ſpeciem ſuã obtulit, quam hic in poculo, ille in ære ad aliquos uſus comparatam uidit, & mox proprio fuit miniſterio paratus orbis. Nondum argenti nitor, ſed fragilis uilisq; materia tunc quoq;, cum antiqui illi uiri inclyte uiuerent, ſatis nitidi, ſi ſqualorem opere collectum aduerſo flumine eluerent. Cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere, & in hac re quiſq; ſibi, alteriq; inuicem operam dabat. Coniugum quidem manibus crinis ille, quem effundere olim mos uiris fuit, attrectabatur, ſed illum ſibi ſine ullo artificæ formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia. Poſtea rerum iam potiente luxuria, ſpecula totis paria corporibus auro argentoq; cælata ſunt, deinde gemmis adornata, et poculis. Vnũ ex his fœminæ conſtitit, quod antiquarũ dos fuit, non illa quæ publicæ dabatur, ſed imperatorum pauperum filiabus. An tu exiſtimas ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, cum illis dos fuiſſet æs graue? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit. Non feciſſet illis ſenatus dotem, ſi habuiſſent. At quiſquis ille fuit, cui ſoceri loco ſenatus fuit, intellexit ſe accepiſſe dotem, quam fas non eſſet reddere. Iam libertinorum uirgunculis in unum ſpeculum nõ ſufficit illa dos, quam dedit pro ſe Scipio. Proceſſit enim moleſtius paulatim opibus ipſis immutata luxuria, & incrementum ingens uitia acceperunt, adeoq; omnia indiſcreta ſunt peruerſiſſimis artibus, ut quicquid mundus muliebris uocabatur, ſaranæ uiriles ſint, minus dico, etiam militares. Iam ſpeculum ornatus tantum cauſa adhibetur, nulli non uitio numerato neceſſarium factum eſt.

LVCII ANNEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER SECVNDVS DE TONITRIBVS, FVLGVRATIONIBVS ET FVLMINIBVS, FVLGVRVMQVE GENERIBVS.

OMNIS de uniuerso quæstio in cœlestia, in sublimia, et terrena diuiditur. Prima pars naturam syderum scrutatur, & magnitudinem, et formas ignium, quibus mundus includitur. Solidum ne sit cœlum, ac firmæ concretæq; materiæ, an ex subtili tenuiq; nexu. Agatur, an agat, & infra se sydera habeat, an in contextu sui fixa, quemadmodū anni uices seruet, solem an retro flectat, cætera deinceps his simlia. Secunda pars tractat inter cœlū terramq; uersantia. Hæc sunt nubila, imbres, niues, deest ne aliquid
» -& humanas motura tonitrua mentes.

Quæcunq; aër facit patitur'ue, hæc sublimia dicimus, quia æditiora imis sunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbustis, satis quærit, &, ut iurisconsultorum uerbo utar, de omnibus quæ solo continentur. Quomodo, inquis, de terrarum motu quæstionem eo posuisti loco, quo de tonitribus fulguribusq; dicturus es? Quia cum motus terræ fiat spiritu, spiritus autem sit aër agitatus, & si subeat terras, non ibi spectandus est, cogitetur in ea sede, in qua illum natura disposuit. Dicam, quod magis uidebitur mirum, inter cœlestia & de terrenis dicendū erit. Quare, inquis? quia cum propria terræ excutimus suo loco, utrum lata sit, & inæqualis & enormiter proiecta, an tota in formam pilæ spectet, & in orbem partes suas agat, alliget aquas, an aquis alligetur, ipsa animal sit, an iners corpus, & sine sensu, plenum quidem spiritus, sed alieni, et cætera huiusmodi quoties in manus uenerint, terram sequentur, & in imis collocabuntur. At ubi quæretur, quis terræ sit situs, qua parte mundi subsederit, quomodo aduersus sydera cœlumq; posita sit, hæc quæstio cedit superioribus, &, ut ita dicam, meliorē conditionem sequitur. Caput II.

QVoniam dixi de partibus in quas omnis rerum naturæ
q materia diuiditur, quædam in commune sunt dicenda, & hoc primum præsumendum, inter ea corpora, a quibus unitas est, aëra esse. Quid sit hoc, & quare præcipiendum fuerit,

ſcies, ſi paulo altius reprtiero, & dixero aliquid eſſe cõtinuũ, aliqd cõmiſſum. Continuatio eſt partiũ inter ſe non intermiſſa coniũctio. Vnitas eſt ſine cõmiſſura cõtinuatio, et duorũ inter ſe coniunctorũ corporũ tractus. Nunquid dubiũ, quin ex his corporibus, quæ uidemus tractamuſq;, quæ aut ſentiuntur, aut ſentiunt, quædã ſint cõpoſita? Illa conſtant aut nexu, aut acęruatione, ut puta funis frumentũ, nauis. Rurſus non cõpoſita ut arbor, lapis. Ergo cõcędas oportet, ex his quoq; quæ ſenſum effugiunt, cæterũ ratione prenduntur, eſſe in qbuſdam unitatem corporum. Vides quomodo auribus tuis parcam, expedire me poterã, ſi philoſophorum linguam uti uoluiſſem, ut dicerẽ unita corpora, hoc cum tibi remittam, tu inuicem mihi refer gratiã. Quare iſtud? ſiquando dixero unũ, memineris me nõ ad numerum referre, ſed ad naturam corporis, nulla ope externa, ſed unitate ſua cõhærentis, ex hac nota cõporum aër eſt. Caput III.

o Omnia quæ in notitiam noſtrã cadunt, uel cadere poſſunt, mundus cõplectitur, ex his quædã eius ſunt partes, quædã meteriæ loco relicta. Deſyderat omnis natura materiam, ſicut ars omnis quæ manu conſtat. Quid ſit hoc, apertius faciam. Pars enim noſtri, manus, oſſa, nerui, oculus. Materia, ſuccus recentis cibi iturus in partes. Rurſus quaſi pars noſtri eſt ſanguis, qui tamen & materia eſt, parat enim & alia, & nihilominus in numero eſt eorum, quibus totum corpus efficitur. Caput IIII.

ſ Ic mundi pars eſt aër, et qdem neceſſaria, hic eſt enim qui cœlum terramq; connectit, qui ima ac ſumma ſic ſeparat, ut tamen iungat. Separat, quia medius intęruenit. Iungit, quia utriq; p hoc inter ſe conſenſus eſt. Supra ſe dat, quicqd acępit a terris. Rurſus uim ſyderũ in terrena transfundit. Quẽ ſic partẽ mundi uoco, ut animalia, et arbuſta, nã genus animaliũ arbuſtorũq; pars eſt uniuerſi, qa in conſumatione uniuerſi acęptũ, & qa non eſt ſine hoc uniuerſum. Vnũ autẽ animal et una arbor quaſi pars eſt, qa ſi pierit, tamen id ex quo perit, totũ eſt. Aër autẽ, ut dicębã, et cœlo, et terris cohæret, utriq; innatus eſt. Habet autem unitatẽ qcqd alicuius naturæ pars eſt. Nihil. n. naſcitur ſine unitate. Caput V.

t Erra et pars eſt mũdi, et materia. Pars quare ſit, nõ putote interrogaturũ, ut æque interroges quare cœlũ pars ſit, qa ſcilicet nõ magis ſine hoc, quã ſine illa uniuerſum eſſe potęſt, quod cũ his uniuerſum eſt, ex qbus, id eſt ex illo, et ex iſta alimẽta oĩbus animalibus, oĩbus ſatis, oĩbus ſtellis diuidũtur. Hinc qcqd eſt uiriũ ſingulis, hinc ipſi mundo, tam multa poſcẽti ſubminiſtratur. Hinc

profertur quo sustineantur tot sydera, tam exercitata, tam auida per diem noctemq; ut in opere, ita & in pastu. Et omnium quidem rerum natura, quantum in nutrimentum sui satis sit, apprehendit. Mundus autẽ, quantũ in æternum desyderabat, emunsit. Pusillũ tibi exemplũ magnæ rei ponam. Ouа tantum complectuntur humoris, quantum ad effectum animalis exituri sat est. Caput VI.

a Er continuus terræ est, & sic appositus, ut statim ibi futurus sit, unde illa discesserit. Pars est totius mundi, sed idem tamen quicquid terra in alimentum misit, recipit, ut scilicet materia non pars intelligi debeat. Ex hoc omnis inconstantia tumultusq; est. Hunc quidam ex distantibus corpusculis, ut puluerem, ferunt, plurimumq; à uero recedunt, nunquam enim contexti, nisi p unitatem corporis nisus est, cùm partes consentire ad intensionem debeant, & conferre uireis. Aër autem si in atomos diuiditur, sparsus est. Teneri uero disiecta non possunt. Intensionem aëris ostendent tibi inflata, nec ad ictum cedẽtia. Ostendent pondera, per magnum spatium ablata gestante uento. Ostendent uoces, quæ remissæ elatæq; sunt, prout aër se concitauit. Quid enim est uox, nisi intensio aëris, ut audiatur, linguæ formata percussu? Quid cursus & motus omnis, non'ne intenti spiritus opera sunt? Hic facit uim, & uelocitatem neruis currentibus. Hic cum uehementer concitatus ipse se torsit, arbusta, syluasq; conuellit, & ædificia tota corripiens in altum frangit. Hic mare per se languidum & iacens incitat. Ad minora ueniamus. Quis enim sine intensione spiritus cantus est? cornua & tubæ & alia, quæ aliqua pressura maiorem sonitum reddunt, quàm qui ore reddi potest, non'ne aëris intensione partes suas explicant? Consyderemus quàm ingentem uim p occultum agat. Parunla admodum semina, & quorum exilitas in commissura lapidum locum inueniat, intantum coalescunt, ut ingentia saxa detrahant, & in momenta dissoluant, scopulos rupesq; radices in terra minutissimæ, ac tenuissimæ findunt. Hoc qd est aliud, quàm intentio spiritus, sine qua nil ualidum, & contra quam nil ualidum est. Caput VII.

e Sse autem unitatem in aëre uel ex hoc intelligi potest, quod corpora nostra inter se cohærent. Quid enim aliud est, qđ tenet ea quàm spiritus? Quid est aliud quo animus noster agitetur? Quis est illi motus, nisi intensio? Quæ intensio, nisi ex unitate? Quæ unitas, nisi hæc esset in aëre? Quid est aliud, qđ producit fruges, & segetẽ imbecillã, ac uirentes erigit arbores, ac distẽdit in ramos, aut in altũ erigit, quàm spiritus intẽsio et unitas?

Quidam

Caput VIII.

Vidam aëra diſcerpunt & in particulas diducunt, ita ut illi inane permiſceant. Argumentum autem exiſtimant non pleni corporis, ſed multum uacui habentis, quod auibus in illo tam facilis motus, quod maximis minimisq; per illũ tranſcurſus eſt. Sed falluntur, nam aquarum quoq; ſimilis facilitas eſt, nec de unitate illarum dubium eſt, quæ ſic corpora accipiunt, ut ſemper in contrarium acceptis refluant. Hanc noſtri circumſtantiam, Græci autem περίστασιν appellant, quæ in aëre quoq; ſicut in aqua fit, circumſtat enim omne corpus à quo impellitur. Nihil autem opus erit inani admiſto, ſed hæc aliâs.

Caput IX.

Vnc autem eſſe quãdam in rerum natura uehementiam, magnosq; impetus eſt colligendum. Nihil enim niſi intentione uehementius eſt, & tamen mehercules per aliud nihil intendi poterit, niſi per ſemetipſum fuerit intentum. Dicimus enim eodem modo non poſſe quicquam ab alio moueri, niſi aliquid fuerit mobile ex ſemetipſo. Quid autem eſt, quod magis creditur ex ſemetipſo habere intenſionem, quàm ſpiritus? hunc intendi quis negabit, cum uiderit iactari terram cum montibus, tecta, murosq;, plureis & magnas cum populis urbeis, cum totis maria litoribus? Oſtendit intenſionem ſpiritus uelocitas eius & diductio. Oculus ſtatim p multa milia aciem ſuam intendit, uox una totas urbeis ſimul percutit, lumen non paulatim prorepit, ſed ſemel uniuerſis infunditur rebus. Aqua autem ſine ſpiritu quemadmodum poſſet intendi? Nunquid dubitas quin ſparſio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ creſcens in ſummam altitudinem amphitheatri peruenit, cum intenſione aquæ fiat? Atqui uero nec manus, nec ullum aliud tormentum aquam poterit mittere aut agere, quàm ſpiritus. Huic ſe commodat, hoc inſerto, & agente attollitur, & contra naturam ſuam multa conatur, & aſcendit, nata defluere. Quid, nauigia ſarcina depreſſa, parum oſtendunt non aquam ſibi reſiſtere, quò minus mergantur, ſed ſpiritum? aqua enim cederet, nec poſſet pondera ſuſtinere, niſi ipſa ſuſtineretur. Diſcus ex loco ſuperiore in piſcinam miſſus, non deſcendit, ſed reſilit, quemadmodum, niſi ſpiritu referente? Vox autem quaratione per parietum munimenta tranſmittitur, niſi quod ſolido quoq; aër ineſt, qui ſonum extrinſecus miſſum & accipit & remittit? ſcilicet ſpiritus non aperta tantum intendens, ſed etiam abdita & incluſa, quod illi facere expeditum eſt, quia nusq̃ diuiſus, ſed per ea ipſa quibus ſeparari uidetur, coit ſecum. Interponas licet muros &

mediam altitudinem montium, per omnia ista prohibetur nobis esse peruius, non sibi. Id enim intercluditur tantum, per quod illum nos sequi possumus, ipse quidem transit per ipsum quo scinditur, & media non circumscindit tamen, sed utrinq; cingit.

Caput X.

Permeat ab æthere lucidissimo aër, in terram usq; diffusus, agilior qdē, tenuior & altior terris, nec minus aquis, cæterum æthere spissior grauiorq;, frigidus per se & obscurus, lumen illi calorq; alimentum sunt, sed per omne spatium sui similis non est, mutatur enim à proximis. Summa pars eius est siccissima calidissimaq;, & ob hoc etiam pertenuissima, propter uicinam æternorum ignium, et illos tot motus syderum, assiduumq; cœli circumactū. Illa pars ima, & uicina terris, densa & caliginosa est, qa terrenas exhalationes recæptat. Media pars temperatior, si summus imisq; conferas, quantū ad sinceritatem tenuitatemq; ptinet. Cæterū utraq; parte frigidior. Nam superiora eius calorem uicinorum syderum sentiunt, inferiora quoq; tepent, primum terrarum halitu, qui multum secum calidi affert, deinde quia radij solis replicantur, & quousq; redire potuerunt id duplicato calore benignius fouent. Deinde etiam illo spiritu, qui omnibus animalibus, arbustisq; ac satis, calidus est. Nihil enim uiueret sine calore. Adijce nunc igneus, non tantum manu factos & certos, sed opertos terris, quorum aliqui eruperunt, innumerabiles in abscondito flagrant, & obscuro semper. Etiamnum tot partes eius fertiles rerum, habent aliquid teporis, quoniam quod frigidum est, sterile est, calor autem gignit. Media ergo pars aëris, ab his submota in frigore suo manet. Natura enim aëris frigida est.

Caput XI.

Vi cum sic diuisus sit iam sui parte maxima uarius, & inconstans, & mutabilis est. Circa terram plurimum agit, plurimum patitur, exagitat & exagitatur, nec tamen eodē modo totus afficitur, sed aliter alibi, ac partibus inquietus est, ac turbidus. Causas autem illius mutationis & inconstantiæ alias terra præbet, cuius positiones huc aut illò uersæ magna ad aëris temperiem momenta sunt. Alias syderum cursus, ex quibus soli plurimū imputes. Illum sequitur annus, ad illius flexum hyemes æstatesq; uertuntur. Lunæ proximum ius est, Sed & cæteræ quoq; stellæ non minus terrena, q̄ incumbentem spiritum terris afficiunt, & ortu suo occasu'ue contrario, modo frigora, modo imbres aliasq; terrarum iniurias turbidæ mouent. Hoc necessarium fuerit præloqui dicturo

de tonitruo ac fulminibus, & fulgurationibus. Nam quia in aëre fiunt, naturam eius explicare oportebat, quo facilius appareret quid facere, aut pati posset. Caput XII.

RIa sunt ergo quæ accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua, quæ una facta serius audiuntur. Fulguratio ostendit ignem, Fulminatio emittit. Illa (ut ita dicam) comminatio est, & conatio sine ictu. Ista iaculatio cum ictu. Quædam sunt ex his, de quibus inter omneis conuenit, quædam in quibus diuersæ sententiæ sunt. Conuenit illis omnia ista in nubibus & è nubibus fieri, etiamnum conuenit & fulgurationes & fulminationes aut igneas esse, aut igneæ speciei. Ad illa nunc transeamus, in quibus lis est, quidam putant ignem esse in nubibus, quidam ad tempus fieri, nec prius esse, q̃ mitti. Nec inter illos quidem quid proferat ignem, conuenit. Alius enim aliunde illum colligit. Quidam autem radios solis intercurrentis recurrentisq; , sæpius in se relatos ignem excitare dicit. Anaxagoras uero ait illum ex æthere distillare, & ex tanto ardore cœli multa decidere, quæ nubes diu inclusa custodiant. Aristoteles multo ante ignem colligi non putat, sed eodem momento exilire, quo fiat. Cuius sententia talis est, Duæ partes in imo iacent, terra & aqua, utraq; ex se reddit aliquid. Terrenus uapor siccus est, & fumo similis, qui uentos, tonitrua & fulmina facit, aquarum halitus humidus est, & in imbres & nues cedit. Sed siccus ille terrarum uapor, unde uentis origo est, quia coacer uatus est, cum coitu nubium uehementer à latere eliditur, deinde, ut latius feriat nubeis proximas, hæc plagi cũ sono incutitur, qualis in nostris ignibus redditur, cum flamma uitio lignorum uirentium crepat, & illic spiritus habens aliquid humudi secum, conglobatusq; rumpitur flamma. Eodem modo spiritus ille quem paulo ante exprimi collisis nubibus dixi, impactus alijs, nec rumpi, nec exilire silentio potest. Dissimilis autem crepitus fit, ob dissimulem impactionem nubium, quare aliæ maiorem sonitum habent, aliæ minorem. Cæterum illa uis expressi spiritus ignis est, qui fulgurationis nomen habet, leni impetu accensus & uarius. Ante autem uidemus fulgorem q̃ sonum audiamus, quia oculorum uelocior est sensus, & multum aureis antecedit. Caput XIII.

ALsam autem esse opinionem eorum, qui ignem in nubibus seruant, per multa colligi potest. Si de cœlo cadit, quomodo non quotidie fit, cum tantundem illic semper ardeat? Deinde nulla ratiõe crediderim quare ignis, quẽ natura sur-

ſum uocat, defluat. Alia enim conditio noſtrorum ignium eſt, ex quibus fauillæ cadunt, quæ ponderis ſecum aliquid habent. Ita non deſcendit ignis, ſed præcipitatur & deducitur. Huic ſimile nihil accidit in igne puriſſimo, in quo nihil eſt quod deprimatur. Aut ſi ulla pars eius deciderit, in periculo totus eſt, quia totum poteſt excidere, quod poteſt carpi. Deinde illud, quod quotidie leuitas cadere prohibet, ſi in abdito ſuo tenet graue, quomodo illic eſſe potuit, unde caderet? Quid ergo? Non aliqui ignes in inferiora ferri ſolent, ſicut hæc ipſa de quibus quærimus fulmina? Fato enim non eunt, ſed feruntur. Aliqua illos potentia deprimit, quæ nó eſt in æthere. Nihil enim iniuria illic cogitur, nihil rumpitur, nihil præter ſolitum euenit. Ordo rerum eſt, & expurgatus ignis in cuſtodia mundi, ſummas ſortitus oras, operas pulcherrime circumit, hinc diſcedere non poteſt. Sed ne ab externo quidem exprimi, quia in æthere nulli incerto corpori locus eſt. Certa enim & ordinata non pugnant.

Caput XIIII.

Os inquam dicitis, cum cauſas ſtellarum tranſuolantium
u reddatis, poſſe aliquas partes aëris ad ſe trahere ignem, ex æthere decidentem, & locis his ſuperioribus ardere, an hic accendi? Sed plurimum intereſt, utrum aliquis dicat ignem ex æthere decidere, quod natura non patitur, ut liceat ex ignea ui calorem in ea, quæ ſubiecta ſunt, tranſilire, an hic accendi. Nó enim illinc ignis cadit, q̃ non poteſt fieri, ſed hic naſcitur. Videmus certe apud nos late incendio peruagante quaſdam inſulas, quæ diu concaluerint, ex ſe concipere flammam. Itaq; ueriſimile eſt in aëre ſummo, qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi calore æthe-
ris ſuperpoſiti. Neceſſe eſt enim, ut & imus æther habeat aliquid aëri ſimile, & ſummus aër non ſit diſſimilis imo ætheri, quia non fit ſtatim ex diuerſo in diuerſum tranſitus. Paulatim iſta confinio uim ſuã miſcent ita, ut dubitare poſſis, an aër, an hoc iam æther ſit.

Caput XV.

Vidam ex noſtris exiſtimant aëra, cum in ignem &
q aquam mutabilis ſit, non detrahere aliunde cauſas flammarum nouas, ipſe enim ſe mouendo accendit, et cum denſos, compactoſq; nubiũ ſinus diſſipat, neceſſario uaſtum in tam magnorum corporum diruptione reddit ſonum. Illa porro nubium difficulter cedentium pugna, aliquid confert ad concitandum ignem. Sic, quemadmodum ferro aliquid manus ad ſecandum confert, ſed ſecare ferri eſt.

Caput XVI.

Vid ergo *inter fulgurationem & fulmen intereſt?* dicam.
q Fulguratio eſt *late ignis explicatus.* Fulmen eſt *coactus ignis, & impetu iactus.* Solemus *duabus manibus inter ſe iunctis, aquam concipere, et compreſſa utrinq; palma, in modum ſiphonis exprimere.* Simile *quiddam & illic fieri puta.* Nubium *inter ſe compreſſarum anguſtiæ medium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammant, & tormenti modo eijciunt.* Nam *baliſtæ quoq; et ſcorpiones tela cum ſono expellunt.* Caput XVII.

Vidam *exiſtimant ipſum ſpiritum per frigida atq; humida euntem, ſonum reddere.* Nam *ne ferrum quidem ar-*
q *dens ſilentio tingitur, ſed quemadmodum ſi in aquam feruens maſſa mittatur, cũ multo murmure extinguitur, ita, ut* Anaximenes *ait, ſpiritus incidens nubibus tonitrua edit, & deinde cum luctatur, per obſtantia & interaſa uadens, ipſa ignem fuga accendit.*

Caput XVIII.

Naximandros *omnia ad ſpiritum retulit.* Tonitrua, *inquit,*
a *ſunt nubis ictæ ſonus.* Quare *inæqualia ſunt?* Quia *& ipſe ictus inæqualis eſt.* Quare *& ſereno tonat?* Quia *tunc quoq; per percuſſum & ſciſſum aëra ſpiritus proſilit.* At *quare aliquando non fulgurat & tonat? quia tenuior & infirmior ſpiritus, qui in flammam non ualuit, in ſonum ualuit.* Quid *eſt ergo ipſa fulguratio? aëris diducentis ſe, corruentiſq; iactatio, languidum ignẽ, nec exiturum aperiens.* Quid *eſt fulmen?* Acrioris *denſioriſq; ſpiritus curſus.* Caput XIX.

Naximander *ait omnia iſta ſic fieri, ut ex æthere ali-*
a *qua uis in inferiora deſcendit, ita ignis impactus nubibus frigidis ſonat.* At *cum illas interſcindit fulget, & minor uis ignium fulgurationes facit, maior fulmina.* Caput XX.

Iogenes *Apolloniates ait, quædam tonitrua igne, quædam*
d *ſpiritu fieri.* Illa *ignis facit, quæ ipſe antecedit, & nunciat.* Illa *ſpiritus, quæ ſine ſplendore crepuerunt.* Vtrunq; *ſine altero fieri, & eſſe aliquando concedo, ita tamen, ut non diſcreta illis poteſtas ſit, ſed utrunq; ab utroq; effici poſſit.* Quis *enim negabit ſpiritum magno impetu ductum, cum efficit ſonum, effecturũ & ignem?* Quis *nam & hoc non concedat aliquando ignem quoq; rumpere poſſe nubes, et non exilire, ſi plurimarum aceruo nubiũ, cum paucas perſcidiſſet, oppreſſus eſt?* Ergo *& ignis ibit in ſpiritum, pdetq; fulgorẽ & ſpeciem, * dum ſecuta in terra incendet.* Adijce

nunc, q̄ necesse est ut impetus fulminis, & præmittat spiritus & agat ante se, & à tergo trahat uentum, cum tam uasto ictu aëra incideri. Itaq; omnia, antequam feriantur, intremiscunt uibrata uento, quem ignis ante se pressit. Caput XXI.

d Imissis nunc præceptoribus incipiamus per nos moueri, & à confessis transeamus ad dubia. Quid enim confessi est? fulmen ignem esse, & æque fulgurationem, quæ nihil aliud est q̄ flamma, futura fulmen, si plus uirium habuisset. Non natura ista, sed impetu distant, esse illum ignem calor ostendit, qui si non esset, ostendit effectus. Magnorum enim sæpe incendiorum causa fulmen fuit. Syluæ illo cremantur & urbium partes, etiam quæ non percussa sunt, tamen adusta cernuntur. Quædam uero uelut fuligine colorantur. Quid q̄ omnibus fulguritis odor sulfureus est? Ergo & utranq; rem ignem esse constat, & utranq; rem inter se meando distare. Fulguratio est fulmen non in terras usq; perlatum. Et rursus licet dicas fulmen esse fulgurationẽ usq; in terras ꝓductam, nõ ad exercẽdũ uerba hæc diutius ꝓtracto, sed ut ista cognata esse, & eiusdẽ notæ ac naturæ probẽ. Fulmen est qddam plus, q̄ fulguratio, uertamus istud. Fulguratio est penè fulmen. Caput XXII.

q Voniam constat esse utranq; rem ignem, uideamus quemadmodum apud nos fieri soleat ignis, eadem enim ratione & supra fit. Duobus modis. Vno, si excutiatur, sicut ex lapide. Altero, si attritu inuenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius trita sunt. Non omnis hoc tibi materia præstabit, sed idonea eliciendis ignibus, sicut laurus, hederæ, & alia in hunc usum nota pastoribus. Potest ergo fieri, ut nubes quoq; ignem eodem modo uel percussæ reddant, uel attritæ. Videmus quantis procellæ uiribus ruant, quanto uertantur impetu turbines. Id tormentum in quo obuium sit dissipatur, & rapitur, et longe à loco suo proijcitur. Quid ergo mirum, si tanta uis ignem excutit, uel aliunde, uel sibi? Vides enim quantum feruorem sensura corpora sunt, horum transitu uita exanimata. Nihil tamen tantum in his debet credi, ac in ui syderũ, quorum ingens & confessa potentia est. Caput XXIII.

s Ed fortasse nubes quoq; in nubeis incitatæ fremente uento, & leuiter urgente, ignem euocabunt, qui explendescat, nec exiliat. Minore enim ui ad fulgurandum opus est, q̄ ad fulminandũ. Superioribus collegimus, in q̄tum feruorẽ quædã attritæ ꝓducerentur. Cũ autẽ aër mutabilis in ignem, maximus uiribus suis conuersus est, atteratur credibile est, & ueriſimile est ignẽ caducum

excuti, & cito interiturum, qa non ex solida materia oritur, nec in qua possit consistere. Transit itaq; tantumq; habet moræ, quantū itine ris, & cursus sine alimento * coniectus est. Caput XXIIII.

Vomodo, inquis, cum dicas hanc ignis esse naturam, ut pe=
q tat superiora, fulmen tamen terram petit? aut falsum est quod deinde dixisti. Est enim illi æque sursum iter atq; deorsum. Vtrunq; uerum potest esse. Ignis enim natura in uerticem surgit, & si nihil illum prohibet, ascendit. Sicut aquæ natura defer= tur, si tamen aliqua uis accessit, quæ illam in contrariū ageret, illo intenditur, unde imbre deiecta est. Fulmen autem eadem necessitate qua excutitur. His ignibus accidit quod arboribus, quarum cacumi na si tenera sunt, ita deorsum trahi possunt, ut etiam terram attin= gant, sed cum permiseris, in locum suum exilient. Itaq; non est, q eum spectes cuiusq; rei habitum, q illi non ex uoluntate est. Si ignem permittis ire quo uelit, cœlum, id est leuissimu cuiusq; sedem repetet, ubi est aliquid quod eum feriat, & ab impetu suo auertat, id non natura, sed seruitus eius sit. Caput XXV.

Icis, inquis, nubeis attritas edere ignem, cū sint humidæ,
d immo hudæ. Quomodo ergo possint gignere ignem, quem non magis uerisimile est ex nube, q̄ ex aqua generari?

Caput XXVI.

Gnis qui nascitur, primum in nubibus non est aqua, sed
i aër spissus ad gignendum aquam præparatus, nondum in illam mutatus, sed iam pronus & uergens. Non est q eā existimes tūc colligi, sed effundi. Simul fit, & cadit. Deinde si con= cesso humidā esse nubē, conceptis aquis plenā, nihil tamen prohibet ignē gigni ex humido quoq; immo ex ipso (quo magis mireris) hu= more. Quidā negauerunt in ignē quicq̄ posse mutari, priusq̄ mutatū esset in aquā. Potest ergo nubes, salua quā continet aqua, ignē parte aliqua sui reddere, ut sæpe alia pars ligni ardet, alia sudat. Nec hoc dico, nō contraria inter se ista esse, & alterum altero perimi. Sed ubi ualentior ignis, q̄ humor est, uincit. Rursus ubi copia humoris exupe= rat, tūc ignis sine effectu est. Itaq; non ardēt uirentia. Refert quantū aquæ sit. Exigua enim uis non resistit, nec ignem impedit. Quid ni? Auorum nostrorum memoria, ut Possidonius tradit, cum insula in Aegeo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto fe rebatur. Nam demum prodebat ignem, non continuū, sed ex inter= uallo emicantē fulminū more, quoties ardor inferius iacētis superū pōdus euicerat. Deinde saxa cōuoluta, rupesq; partim illæsæ, quas spi

ritus anteq̃ uerteretur expulerat, partim exesæ et in leuitatem pumicis uersæ. Nouissime cacumen adusti montis emicuit. Postea altitudine adiectum & saxum, illud in magnitudinem insulæ creuit. Idē nostra memoria, Valerio Asiatico cōsule iterum accidit. Quorsus hæc retuli? ut appareret nec extinctum ignem mari superfuso, nec impetum eius grauitate ingentis undæ prohibitum exire. Ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodotus Possidonij auditor tradidit, p quam diruptis aquis ignis emersit. Quod si immensa aquarum uis, subeuntium ex imo flāmarum uim non potuit cōprimere, quanto minus in aëre extinguere ignem poterit nubium tenuis humor & roscidus? Adeo res ista non habet ullam moram, quæ contra causas ignium sit, quos non uidemus emicare, nisi impendente cœlo, serenum sine fulmine est. Non habet istos metus dies purus, nec nox quidem nisi obscura nubibus. Quid ergo? Num aliquando etiam apparentibus stellis, & nocte tranquilla fulgurat? Sed scias, licet, nubes illic esse, unde splendor effertur, quas uideri à nobis terrarum tumor non sinit. Adijce nunc, quod fieri potest, ut nubes summæ & humiles attritu suo ignem reddant, qui in superiora expressus, in parte sincera puraq; cœli uisatur, sed fit in sordida.

Caput XXVII.

Tonitrua distinxere quidam ita, ut dicerent unum esse genus, cuius sit graue murmur, quale terrarum motum antecedit clauso uento & fremente. Hoc quomodo illis uideatur fieri, dicam. Cum spiritum inter se clausere nubes, in concauis partibus earum uolutatus aër, similem agit mugitibus sonum raucum, & æqualem, & continuum. Itaq; etiam ubi illa regio humida est, exitū claudit. Ideo huiusmodi tonitrua uenturi prænuncia imbris sunt. Aliud genus est acre & acerbum, quod acerbum magis dixerim q̃ sonorum, qualem audire solemus, cum super caput alicuius dirupta uesica est. Talia eduntur tonitrua, cum globata dissoluitur nubes, & spiritum quo distenta fuerat emittit. Hic proprie fragor dicitur subitus & uehemens, quo edito concidunt homines & exanimantur. Quidam uero uiui stupent, & in totum sibi excidunt, quos uocamus attonitos, quorum mentem sonus ille cœlestis loco pepulit. Hic fieri hoc quoq; modo potest, ut inclusis aër caua nube & motu ipso extenuatus diffundatur. Deinde cum maiorem sibi locum quærit, à quibus inuolutus est, sonum patitur. Quid autem, non quemadmodum illisæ manus inter se plausum edunt, sic illisarum inter se nubium sonus potest esse magnus, quia magna concurrunt inter se?

Videmus

Caput XXVIII.

Idemus, inquit, nubes impingi montibus, nec sonum fieri.

u Primum omnium non quocunq; modo impulsæ sunt tonant, sed si apte sunt compositæ ad sonum edendū. Auersæ inter se manus collisæ non plaudunt, sed palma cum palma collata plausum facit. Et plurimum interest, utrum cauæ concutiantur, an planæ, & extentæ. Deinde non tantum nubes ire oportet, sed agi magna ui & procellosa. Etiam mons non scindit nubem, sed digerit, & primam quanq; partē eius soluit. Nec uesica qdē quocūq; modo spiritum emittens sonat. Si ferro diuisa est, sine ullo aurium sensu exit. Rumpi illam oportet ut sonet, non secari. Idem de nubibus dico, nisi magno impetu dissolutæ, non sonant. Adijce nunc, q nubes in monte actæ non franguntur, sed circunfunduntur in aliquas partes montis, arboris ramos, frutices, aspera saxa, & eminentia. Et ita cum ducuntur, si quem habent spiritum multifariam emittunt, qui non uniuersus erumpit nec crepat. Hoc ut scias, uentus qui circa arborem funditur, sibilat, non tonat. Lato (ut ita dicam) ictu, & totum globū semel dissipante opus est, ut sonitus erumpat, qualis auditur cum tonat.

Caput XXIX.

Præter hæc, natura aptus est aër ad uoces. Quid ni, cum

p uox nihil aliud sit q̄ ictus aër? Debent ergo nubes utrinq; dissecari & cauæ et intentæ. Vides enim quanto calidiora sunt uacua q̄ plena, quanto intenta, q̄ remissa. Item tympana et cymbala sonant, quia illa repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant. Hæc ad ipsum aërem acta, nisi concauo non tinniunt.

Caput XXX.

Vidam, inter quos Asclepiodotus est, iudicant sic, quorun-

q dam quoq; corporum concursu tonitrua & fulmina excuti posse. Aetna aliquando multo igni abundauit, ingentem uim arenæ urentis effudit. Inuolutus est dies puluere, populosq; subita nox terruit. Illo tempore aiunt plurima fuisse tonitrua & fulmina, quæ concursu aridorum corporum facta sunt, non nubiū, quas uerisimile est, in tanto ardore aëris nullas fuisse. Aliquando Cambises ad Ammonem misit exercitum, quem arena austro mota, & more niuis incidens texit, deinde obruit. Tunc quoq; uerisimile est fuisse tonitrua fulminaq; attritu arenæ sese affricantis. Non repugnat proposito nostro ista opinio. Diximus enim utriusq; naturæ corpora efflare terras, & sicci aliquid & humidi in toto aëre uagari. Itaq; siquid tale interuenit, nubem facit solidiorem

crassioremq; , q̃ si tantum simplici spiritu intexeretur. Illa frangi potest & edere sonum. Ista quæ dixi siue incendijs uaporantibus aëra repleuerint, siue uentis terras uerrentibus, necesse est nubem faciant ante, quàm sonum. Nubes autem tam arida , q̃ humida esse censetur. Est autem nubes (ut diximus) spissitudo aëris crassi.

Caput XXXI.

AEterum mira fulminis , si intueri uelis, opera sunt, nec quicq̃ dubij relinquentia, quin diuina insit illis & subtilis potentia. Loculis integris ac illæsis conflatur argentum. Manente uagina, gladius liquescit. Et inuiolato ligno, circa pila ferrum omne distillat. Stat fracto dolio uinum, nec ultra triduum rigor ille durat. Illud æque inter annotanda ponas licet, quod & hominum & cæterorum animalium, quæ icta sunt, caput spectat ad exitum fulminis, quod omnium percussarum arborum contra fulmina hastilia surgunt. Quid quod malarum serpentium & aliorum animalium, quibus mortifera uis inest, cum fulmine icta sunt, uenenum omne consumitur? Vnde, inquis, scis? In uenenatis corporibus uermis non nascitur, fulmine icta, inter paucos dies uerminat.

Caput XXXII.

Vid quod futura portendunt, nec unius tantum aut alterius rei signa dant , sed sæpe totum fatorum sequentium ordinem nunciant, & quidem decretis euidentibus , longeq; clarioribus, q̃ si scriberentur? Hoc autem inter nos & Thuscos, qbus summa persequendorũ fulminũ est scientia, interest , nos putamus quod, qa nubes collisæ sunt, ideo fulmina emittantur, ipsi existimant nubes collidi ut fulmina emittantur. Nã cũ omnia ad deũ referãt, in ea sunt opinione, tanquam non quia facta sunt , significant, sed quia significatura sint, fiant. Eadem tamen ratione fiunt, siue illis significare propositum est, siue consequẽs. Quomodo ergo significant, nisi a deo mittantur? Quomodo aues non in hoc motæ , ut nobis occurrerent, dextrum auspicium sinistrumue fecerint? Et illas, inquis, deus mouit. Nimis illum otiosum, & pusillæ rei ministrum facis, si alijs somnia, alijs exta disponit. Ita nihilominus diuina ope gerũtur, si a deo pennæ auium reguntur , nec pecudum uiscera sub ipsa securi formantur. Alia ratione fatorum series explicatur , indicia uenturi ubiq; præmittens , ex quibus nobis quædam familiaria, quædam ignota sunt. Quicquid fit, alicuius rei futuræ signum est, fortuita & sine ratione uaga diuinationem non recipiunt. Cuius rei ordo est, etiam prædictio est. Cur ergo aquilæ hic honor datus est, ut

magnarum

magnarum rerum faceret auspicia? Aut coruo, aut paucissimis auibus, & cæterarum sine præsagio uox est? Quia quædã in artem nondum redacta sunt, quædam uero ne redigi quidem possunt, ob nimiã remotam conuersationem. Cæterũ nullũ animal est, quod nõ motu et occursu suo prædicet aliquid. Non omnia scilicet, sed quædã notantur. Auspiciũ est obseruantis. Ad eum itaq; pertinet, qui in eo direxerit animum, cæterum, & illa quæ pereunt. Quinq; stellarum potestates Chaldæorum obseruatio excepit. Quid tu illa tot milia syderum iudicas sine causa lucere? Quid est porrò aliud, quod errorem incutiat peritis natalium, q̃ quod paucis nos syderibus assignant, cũ omnia quæ supra nos sunt, partem sibi nostri uendicent? Submissiora forsitan in nos propius uim suam dirigunt, & ea quæ frequentius mota, aliter nos, aliter cætera animalia prospiciunt. Cæterum & illa quæ aut immota sunt, aut propter uelocitatem uniuerso mundo parem, immotis similia, non extra ius dominiumq; nostri sunt. * Aliud aspice & distributis rẽ efficis tractas. Non magis autem facile est scire, quid possint, q̃ dubitari debeat, an possint.

Caput XXXIII.

Vnc ad fulmina reuertamur, quorũ ars in tria diuiditur. Quemadmodũ exploremus, quemadmodũ interpretemur, quemadmodum exoremus. Prima pars ad formulam pertinet, secunda ad diuinationẽ, tertia ad propiciandos deos, quos bona rogare oportet, mala deprecari. Rogare, ut promissa firment. Deprecari, ut remittant minas.

Caput XXXIIII.

Vminam esse uim fulminum iudicant, quia quicquid alia portendunt, interuentus fulminis tollit. Quicquid ab hoc portenditur, fixum est, nec alterius ostenti significatione mutatur. Quicquid exta, quicquid aues minabuntur, secundo fulmine abolebitur. Quicquid fulmine denunciatum est, nec extis, nec aue contraria refellitur. In quo mihi falli uidentur. Quare? Quia uero uerius nihil est. Si aues futura cecinerunt, nõ potest hoc auspicium fulmine irritum fieri. Aut si potest, non futura cecinere. Non enim nunc auem comparo & fulmen, sed duo ueri signa, quæ si unum significant, paria sunt. Itaq; si fulminis interuentus submouet extorum, uel auguriorum indicia, male inspecta exta, male obseruata auguria sunt. Non enim refert utrius rei maior potentior'ue natura sit, sed utra uim attulit. Signũ quantum ad hoc par est. Si dicas flammæ uim maiorem esse q̃ fumi, non mentieris. Sed iudicãdũ, an in igne idẽ ualet flãma, quod fumus. Itaq;

hoc dicunt, quoties exta aliud significabunt, & aliud fulmina, fulminum erit authoritas maior, fortasse consentiam, sed hoc dicunt. Quamuis altera signa uerum prædixere, fulminis ictus priora deleuit, & ad se fidē traxit, falsum est. Quare? quia nihil interest, q̄ multa auspicia sint, fatum unum est, quod si bene primo auspicio intellectum est, secundo non interit. Ita dico, non refert, an aliud sit per quod quærimus, quoniam de quo quærimus idem est.

Caput XXXV.

Atum fulmine mutari potest. Quid ni? Nā fulmen ipsum
f fati pars est. Quid ergo expiationes, procurationesq;, quo pertinent, si immutabilia sint fata? Permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista, & nihil aliud esse existimant fata, q̄ ægræ mentis solatia. Aliter ius suum peragunt, nec ulla commouentur preces, non misericordia flectuntur, non gratia. Seruant cursum irreuocabilem, ingesta, ex destinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superueniens præcipitat, sic ordinē fati æterna series regit, cuius hæc prima lex est, stare decreto.

Caput XXXVI.

Vid enim intelligis fatum? existimo necessitatem rerum
q omnium actionumq;, quam nulla uis rumpat, hanc sacrificijs, & capite niueæ agnæ exorari iudicas? Diuina non nosti. Sapientis quoq; uiri sententiam negatis posse mutari, quanto magis dei, cum sapiens quid sit optimum in præsentia sciat, illius diuinitati omne præsens sit. Agere tamen nunc eorum uolo causam, qui procuranda existimant fulmina, et expiationes non dubitant prodesse, aliquando ad summouenda pericula, aliquando ad lenienda, aliquando ad differenda.

Caput XXXVII.

Vid sit quod sequitur, paulo post prosequar. Interim hoc
q habent commune nobiscum, quod nos quoq; existimamus uota proficere, salua ui ac potestate fatorū, quædam enim a diis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum uertant, si admotæ diis preces fuerint, si uota suscepta. Ita non est hoc contra fatum, sed ipsum quoq; in fato est. Aut futurum, inquit, est, aut non? Si futurum est, etiam si non susceperis uota, fiet. Si non est futurum, etiam si susceperis uota, non fiet. Falsa est ista illatio, quia illam mediam inter ista exceptionem præteris. Futurum, inquit, hoc est, sed si uota suscepta fuerint. Hoc quoq; necesse, inquit, est, fato comprehensum sit, ut aut suscipias uota, aut non.

Caput XXXVIII.

Vta me tibi manus dare, & fateri hoc quoq; fato esse comprehensum, ut utriq; uota fiant, ideo fient. Fatum est, ut hic disertus sit, sed si literas didicerit, ab eodem fato continetur, ut literas discat, ideo discet. Hic diues erit, sed si nauigauerit. At in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoq; protinus fatum est, ut nauiget, ideo nauigabit. Idem dico tibi de expiationibus. Effugiet pericula, si expiauerit prædictas diutius minas. At hoc quoq; in fato est, ut expiet, ideo expiabit. Ista nobis opponi solent, ut probetur nihil uoluntati nostræ relictum, & omne ius fato traditum. Cum de ista re agetur dicam quemadmodum manente fato aliquid sit in hominis arbitrio. Nunc uero id, de quo agitur, explicabo, quomodo, si fati certus est ordo, expiationes propiciationesq; prodigiorum pericula auertant, quia cum fato nõ pugnant, sed ipsa in lege data sunt. Quid ergo, inquis, aruspex mihi prodest? Vtiq; enim expiare etiam non suadente illo mihi necesse est. Hoc prodest, quod fati minister est. Sic cum sanitas uideatur esse de fato, debetur & medico, quia ad nos beneficium fati per huius manus uenit.

Caput XXXIX.

Genera fulgurum tria esse ait Cecinna. Consiliariũ. Authoritatis, & quod Status dicitur. Consiliarium ante rem fit, sed post cogitationem, cum aliquid in animo cogitantibus, aut suadetur fulminis ictu, aut dissuadetur. Authoritatis est, ubi post rem factam uenit, cum bonam fortunam malam'ue significat. Status est, ubi quietis nec agentibus quicq̃, nec cogitantibus quidem fulmen interuenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. Hoc monitoriũ uocat, sed nescio quare nó idẽ sit cõsiliariũ, nã & q monet cõsiliũ dat. Sed habet aliquã distinctionẽ, ideoq; separatura cõsiliario, quia illud suadet, dissuadetq;, hoc solam impendentis periculi euitationẽ cõtinet. Vt cum timemus ignem aut fraudẽ a proximis, aut insidias a seruis. Etiamnũ tamen aliã distinctionem utriusq; uideo. Consiliarium est, quod cogitanti factum est. Monitoriũ, quod nihil cogitanti. Habet autem utraq; res suam proprietatem. Suadetur deliberantibus, & ultronei monentur.

Caput XL.

Primo omnium non sunt fulminum genera, sed significationum. Nam fulminum genera sunt illa, quod terebrat, quod discutit, quod urit. Quod terebrat, subtile est & flammeum, cui per angustissimum fuga est ob sinceram & puram flammæ tenuitatem. Quod dissipat, conglobatum est, & habet com-

mistam uim spiritus coacti & procelloſi. Itaq; illud fulmen per id foramen, quod ingreſſum eſt, redit & euadit. Huius late ſparſa uis, rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus, quod urit, multum terreni habet, & igneum magis eſt, q̃ flammeum. Itaq; relinquit magnas ignium notas, quæ percuſſis inhæreant. Nullum quidem ſine igni fulmen uenit. Sed tamen proprie igneum dicimus, quod manifeſta ardoris ſigna imprimit. Quod enim urit, & fuſcat, tribus modis urit, aut afflat, et leui iniuria lædit, aut cõburit, aut accendit. Omnia iſta urunt, ſed genere & modo differunt. Quodcunq; combuſtum eſt, utiq; illud & uſtum eſt. At non omne quod uſtum, utiq; et cõbuſtum eſt. Item quod accenſum eſt, poteſt enim illud ipſo tranſitu ignis uſſiſſe. Quis neſcit uri quid, nec ardere? Nihil autem poteſt ardere, quod non uratur. Vnum hoc adijciam. Poteſt aliquid eſſe combuſtum, quod non ſit accenſum. Poteſt accenſum eſſe, nec combuſtum.

Caput XLI.

Vnc ad id tranſeo genus fulminis, quo icta fuſcantur. Hoc
n aut decolorat, aut colorat. Vtriq; diſtinctionem ſuam reddam. Decoloratur id, cuius color uitiatur, non mutatur. Coloratur id, cuius alia ſit q̃ fuit facies, tanquã cærulea, uel nigra, uel pallida. Hæc adhuc Hetruſcis et philoſophis communia ſunt. In illo diſſentiunt, quod fulmina dicunt a` Ioue mitti, & treis illi manubias dant. Prima (ut aiunt) monet & placata eſt, & ipſius conſilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iupiter, ſed ex conſilij ſententia, duodecim enim deos aduocat, quæ prodeſt quidem, ſed non impune. Tertiam manubiam idem Iupiter mittit, ſed adhibitis conſilio dijs, quos ſuperiores & inuolutos uocant. Quæ uaſtat & includit, & inique mutat ſtatum priuatum & publicum, quem inuenit. Ignis enim nihil eſſe, quod ſit, patitur.

Caput XLII.

N his primam faciem ſi intueri uelis, errat antiquitas.
i Quid enim tam imperitum eſt, q̃ credere fulmina e` nubibus Iouem mittere, columnas, arbores, ſtatuas ſuas nonnunquam petere, ut impunitis ſacrilegis, percuſſis ouibus, incenſis aris, pecudes innoxias feriat, & ad ſuum conſilium a` Ioue deos, quaſi in ipſo parum conſilij ſit, aduocari. Illa læta & placata eſſe fulmina, quæ ſolus excutiat, pernicioſa, quibus mittendis maior numinum turba interfuit. Si quæris a` me quid ſentiam, non exiſtimo tam hebetes fuiſſe, ut crederent Iouem, aut non æquæ uoluntatis, aut certe minus paratum eſſe, uel tunc, cum emiſit igneis, quibus innoxia capita peteret, ſcelerata tranſiret, aut noluiſſe iuſtius mittere,

aut non

aut non ſuccęſſiſſe. Quid ergo ſecuti ſunt cum hoc dicerent? Ad cōĕrcendos animos imperitorū ſapientiſſimi uiri indicauerunt inęuitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeremus. Vtile erat in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe, áduerſum quod nemo ſibi ſatis potens uideretur. Ad cōterendos itaq; eos, qbus innocentia, niſi metu, non placet, poſuere ſuper caput iudicem, & quidem armatum.

Caput XLIII.

Q Vare id ſolum fulmen, quod Iupiter mittit, placabile eſt, perniciosum id, quod deliberauit, & quod alijs quoq; dijs authoribus miſit? Quia Iouem, ideſt regem prodeſſe etiā ſolum oportet, nocere non, niſi cum pluribus uiſum eſt. Diſcant hi quicunq; magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine cōſilio nec fulmen quidem mitti. Aduocent, conſyderent multorum ſententias, placita temperent, & hoc ſibi proponant, ubi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem ſuum ſatis eſſe cōſilium. Caput XLIIII.

i N hoc quoq; *tam imperiti non fuere, ut Iouem exiſtimarent tela mutare, poëticam iſta licentiam decent.*

» Eſt *aliud leuius fulmen, cui dextra cyclopum*
» *Sæuitiæ, flammæq; minus, minus addidit iræ,*
» *Tela ſecunda uocant ſuperi.=*

illos uero altiſſimos uiros error iſte non tenuit, ut exiſtimarent Iouē modo leuioribus et luſorijs flammis uti, ſed uoluerūt admonere eos, quibus áduerſus peccata hominum fulminandum eſt, non eodem modo omnia eſſe percutienda, quædam frangi debere, quædam eligi & diſtingui, quædam admoneri. Caput XLV.

n E hoc quidem crediderunt, *Iouem eſſe, qualem in capitolio & in cæteris ædibus uidemus mittere manu fulmina, ſed eundem, quem nos Iouem, intelligunt cuſtodem rectoremq; uniuerſi, animum ac ſpiritum, mundani huius operis dominium, & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum uocare? Non errabis, hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt omnes cauſæ creaturarum. Vis illum prouidentiam dicere? recte dices. Eſt enim, cuius cōſilio huic mundo prouidetur, ut inconfuſus exeat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam uocare? Non peccabis. Eſt enim, ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu uiuimus. Vis illum uocare mundum? non fallēris. Ipſe enim eſt, totum quod uides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens ui ſua. Idem & Heruſcis uiſum eſt, & ideo fulmina à Ioue mitti dixerunt, quia ſine illo nihil geritur.*

Caput XLVI.

T quare Iupiter ferienda transit, aut innoxia ferit? In
a maiorem me quæstionem uocas, cui suus locus, suus dies dandus est. Interim hoc dico, fulmina non mitti à Ioue, sed sic omnia disposita, ut ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant. Vis eorum, illius permissio est. Nam & si Iupiter illa nunc non facit, Iupiter non fecit, ut non fierent. Singulis non adest, sed signũ & uim & causam dedit oĩbus. Caput XLVII.

Vic illorum diuisioni non accedo. Aiunt aut perpetua, aut
b finita esse fulmina, aut prorogatiua. Perpetua, quorum significatio in totã uitam ptinet, nec unã rẽ id enũciat, sed contextum rerũ pomnẽ dẽincæps ætatẽ futurarũ cõplectitur. Hæc sunt fulmina, quæ prima accepto patrimonio, et ĩ nouo hominis, aut urbis statu fiũt. Finita ad diẽ utiq; respõdẽt. Prorogatiua sunt, quorũ minæ differri possunt, auerti tolliq; nõ possunt. Caput XLVIII.

Icam quid sit, quare huic diuisioni non consentiam. Nam
d & quod perpetuum uocant fulmen, finitum est. Aeque enim talia ad diem respondent. Nec ideo finita non sunt, quia multum tempus significant. Et quod prorogatiuum uidetur, finitum est. Nam illorum quoq; confessione certum est, quousq; impetretur dilatio. Priuata enim fulgura negant ultra decimum annum, publica ultra tricesimum posse differri. Hoc modo & ista finita sunt, qa ultra quod nõ prorogarentur inclusum est. Omniũ ergo fulmenum & omnis euentus dies stata est. Nõ potest enim nulla incerti esse cõprehẽsio. Quæ inspiciẽda sunt in fulgure, passim et uage dicunt, et sic passiones eorũ debere diuidi, quẽadmodũ ab Attalo philosopho, q se huic disciplinæ dederat, diuisa sunt, ut inspiciãtur ubi factũ sit, quando, cui, in qua re, quale, q̃tũ. Hæc si digerere in partes suas uoluero, qd postea faciã nisi in immensum procedã? Caput XLIX.

Vnc nomina fulgurum, quæ à Cecinna ponuntur, aperte
n stringam, & quid de his sentiam, exponam. Ait esse Postulatoria, quibus sacrificia intermissa, aut non rite facta repetuntur. Monitoria, quibus docetur, quid cauendum sit. Pestifera, quæ mortem exiliumq; portendunt. Fallacia, quæ p speciem alicuius boni nocent. Dant consulatum malo futurum gerentibus, & hæreditatẽ, cuius compendium magno sit luendum incommodo. Dentanea, quæ speciẽ periculi sine periculo afferunt. Peremptalia, quibus tolluntur priorum fulminũ minæ. Attestata, quæ prioribus consentiunt. Atterranea, quæ in incluso fiunt. Obruta, quibus iam prius percussa, nec

procurata

procurata feriuntur. Regalia, quorum ui tangitur uel comitium, uel principalia urbis liberæ loca, quorũ significatio regnum ciuitati minatur, Inferna, cum è terra exiliunt ignes. Hospitalia, quæ sacrificijs ad nos Iouẽ arcessunt, et (ut uerbo eorũ molliori utar) inuitát. Hunc uenire cum magno inuitantium piculo affirmant. Auxiliaria, quæ aduocata dicuntur, sed aduocantium bono ueniunt. Caput L.

q Vanto simplicior diuisio est, qua utebatur Attalus noster egregius uir, qui Hetruscorum disciplinam Græca utiliter miscuerat. Ex fulminibus quædam sunt, quæ significant id, quod ad nos pertinet. Quædam aut nihil significant, aut id, cuius intellectus ad nos nõ puenit. Ex his quæ significãt, quædã sunt læta, quædã aduersa, quædã nec aduersa nec læta. Aduersorum hæ species sunt. Aut ineuitabilia mala portẽdũt, aut euitabilia, aut quæ minui possunt, aut quæ prorogari. Læta aut mansura sunt, aut caduca. Mista aut habent partẽ boni, aut partẽ mali, aut mala in bonũ, aut bona in malũ uertunt. Nec aduersa nec læta sunt, quæ aliquã nobis actionem significant, quanec terreri nec lætari debemus, aut pegrinationẽ in qua nec metus, nec spei quicq̃ sit. Caput LI.

r Euertar ad ea fulmina, quæ significant quidem aliquid, sed quod ad nos non pertineat. Tanquam utrum eodem anno idem futurũ sit fulmen, quod factum est. Nihil significant fulmina, aut id cuius notitia nos effugit, ut illa quæ in uastum mare sparguntur, aut in desertas solitudines, quorum significatio uel nulla est, uel perit. Caput LII.

p Aucta adhuc adijciam ad enarrãdam uim fulminis, quæ non eodem modo omnẽ materiam uexat. Valẽtiora quia resistunt, uehemẽtius dissipat, cedẽtia nõnunq̃ sine iniuria transit. Cum lapide ferróq; & durissimus quibusq; conflgit, quia uiam necesse est p illa impetũ quærat. Itaq; facit uiam qua effugiat. Teneris et rarioribus parcit, quanq̃ et flãmus opportuna uideãtur, quia transitu patente munus sæuit. Loculis itaq; (ut dixi) integris, pecunia, quæ in his fuerat, conflata reperitur, qa ignis tenuissimus per occulta foramina transcurrit. Quicquid autem in tigno solidũ inuenit, ut contumax uincit. Non uno autem (ut dixi) modo sæuit, sed quid quæq; uis fecerit, ex ipso genere iniuriæ intelligis, & fulmen opere cognoscis. Interdum in eadem materia, multa diuersa eiusdẽ uis fulminis facit, sicut in arbore, quod aridissimũ est, urit, quod solidissimũ & durissimũ est, terebrat et frangit, summos cortices dissipat, Interiores libros interioris arboris, rũpit ac scindit, folia ptun-

dit acſtringit, uinum gelat, ferrũ & æs fundit. Caput LIII.

Illud eſt mirum, q uinũ fulmine gelatũ, cum ad priorem
i habitum redit, potum aut exanimat, aut dementeŕ facit.
Quare illud accidat, quærenti mihi illud occurrit. Ineſt fulmini uis peſtifera, ex hoc aliquẽ remanere ſpiritũ in eo humore, quem cõëgit gelauitq; ueriſimile eſt. Nec.n. alligari potuiſſet, niſi aliquod illi eſſet additũ uinculũ. Præterea olei quoq; et omnis unguenti teter poſt fulmen odor eſt. Ex quo apparet meſſe quandã ſubtiliſſimo igni, & contra naturã acto, peſtilentem potentiã, qua non tantũ icta cadunt, ſed etiam afflata. Præterea quocũq; decidit fulmen, ibi odorẽ ſulfuris eſſe certũ eſt, qui quia natura grauis eſt, ſæpius hauſtus alienat. Sed ad hoc uacui reuertemur. Fortaſſe enim libebit oſtendere quantum omnia iſta à philoſophia artium parente fluxere. Illa primũ & quæſiuit cauſas rerum, & obſeruauit effectus, &, quod in fulminis inſpectione longe melius eſt, initijs rerum exitus contulit.

Caput LIIII.

Vnc ad opinionem Poſſidonij reuertar. E' terra terreniſq;
n omnibus pars humida efflatur, pars ſicca & fumida remanet. Hæc fulminibus alimentũ eſt, illa imbribus. Quicquid in aëra ſicci fumoſiq; puenit, id includi ſe nubibus nõ fert, ſed rumpit claudentia. Inde eſt ſonus, quẽ nos tonitruũ uocamus. In ipſo quoq; aëre qcqd attenuatur, ſimul ſiccatur & calet. Hoc quoq; ſi incluſum eſt, æque fugam quærit, & cum ſono euadit, & modo uniuerſam eruptionẽ facit, eoq; uehementius intonat, modo p parteŕ et minutatim. Ergo tonitrua hic ſpiritus exprimit, dum aut rumpit nubeŕ aut peruolat. Volatio autem ſpiritus in nube concluſi, uehementiſſimum eſt atterendi genus.

Caput LV.

Onitrua nihil aliud ſunt, q̃ icti aëris ſonitus, qui fieri, niſi
t dũ aut teritur, aut rũpitur, nõ poteſt. Et ſi collidũtur, inqt, nubes inter ſe, fit is, quẽ deſyderas, ictus, ſed nõ uniuerſus. Non.n. tota totis cõcurrũt, ſed partibus partes. Nõ ſonant mollia, niſi illiſa duris ſint. Itaq; nõ auditur fluctus, niſi impactus. Ignis, inquit, muſſus in aquam ſonat, dum extinguitur. Puta ita eſſe, pro me eſt. Non.n. ignis tunc ſonũ efficit, ſed ſpiritus p extinguentia effugiẽs. Itidẽ ibi & fieri ignẽ in nube, & extingui, qui è ſpiritu naſcitur et attritu. Quid ergo inquit, non poteſt aliqua ex his tranſcurrẽtibus ſtellis incidere in nubẽ & extingui? Exiſtimemus poſſe aliquando et id fieri. Nũc naturalẽ cauſam quærimus & aſſiduam, & nõ rarã et fortuitã. Puta me cõfiteri uerũ eſſe, quod dicit. Aliquando poſt to-

nitrua emicare igneis, ſtellis tranſuerſis et cadẽtibus ſimileis, tamen nõ ob hoc tonitrua facta ſunt, ſed hoc fieri, qa tonitrua facta ſunt. Clidemus autem fulgurationes ait ſpecié inanẽ eſſe, nó ignẽ. Sic.n.p noctẽ ſplendorẽ motu remorũ uideri. Diſſimle eſt exẽplum. Illic.n. ſplẽdor intra ipſam aquam apparet. Id quod fit in aëre erumpit & exilit.

Caput LVI.

Eraclitus exiſtimat fulgurationẽ eſſe uelut apud nos incipientũ igniũ cõatus, et primam flãmam incertam, modo intereuntẽ, modo reſurgẽté. Hoc antiqui fulgẽtrã dicẽbãt. Tonitrua nos pluraliter dicamus, antiqui autẽ tonitrũ dixerũt, aut tonũ. Hoc apud Cecinnã inuenio facũdũ uirũ, ſi habuiſſet in eloquẽtia nomẽ, et niſi illũ Ciceronis umbra preſſiſſet. Etiãnũ illo uerbo utebantur antiq correpto, quo nos producta una ſyllaba utimur, dicimus enim ut ſplendêre, ſic fulgêre. Atqui illis, ad ſignificandam tam ſubitam è nubibus eruptionem lucis, mos erat uti media ſyllaba correpta, ut dicerent fúlgĕre.

Caput LVII.

Vid ipſe exiſtimem, quæris? Adhuc.n. alienis opinionibus accõmodaui manũ, dicã, fulgurat, cũ repentinũ late lumen emicuit. Id euenit, ubi í ignẽ extenuatis nubibus aër uertitur, nec uireis, qbus lõgius proſiliat, ĩuenit. Nõ miraris puto, ſi aëra aut motus extenuat, aut extenuatio incẽdit. Sic liqueſcit excuſſa glãs funda, & attritu aëris, uelut igne diſtillat. Ideo æſtate plurima fiũt fulmina, qa plurimũ cálida eſt. Facilius autẽ attritu cálidiore ignis exiſtit. Eodẽ autem modo fit fulgur, q tantũ fulget, & fulmen, quod mittitur. Sed illi leuior uis, alimentíq; eſt munus, &, ut breuiter dicã quod ſentio, Fulmen eſt fulgur intẽtũ. Ergo ubi cálidi fumidíq; natura emiſſa terris, in nubeis incidit, et diu in illarũ ſinu uolutata eſt. nouiſſime erumpit, & quia uireis non habet, ſplendor eſt. At ubi fulgura illa plus habuere materiæ, & maiore impetu arſerunt, non apparent tantum, ſed decidunt.

Caput LVIII.

Vidam utiq; exiſtimãt fulmen reuerti, qdã ſubſidere, ubi alimẽta prægrauauerũt, et fulmẽ ictu languidore delatũ eſt. At quare fulmẽ ſubitũ apparet, nec cõtinuatur aſſiduis ignibus? Quia celerrimũ eſt, muríq; motus, ſimul & nubeis rumpit, & aëra incendit, déinde deſinit flãma quieſcente motu. Nõ enim eſt aſſiduus ſpiritus curſus, ut ignis poſſit extendi, ſed quoties fortius ipſa iactatione ſe accendit fugiendi impetũ capit. Déinde cum euaſit, et pugna deſinit. Ex eadẽ cauſa modo uſq; ad terrã profertur, modo diſſoluitur, ſi minore ui preſſus eſt. Quare oblique fertur?

Quia ſpiritu conſtat, ſpiritus autem obliquus eſt, flexuoſus q; , & q̃a natura igne ſurſum uocat, iniuria deorſum premit, incipit obliquus eſſe. Interdum autem neutra uis alteri cedit, & ignis in ſuperiora nititur, & in inferiora deprimitur. Quare frequenter cacumina montiũ feriuntur? Quia oppoſita ſunt nubibus, & è cœlo cadentibus per hæc tranſeundum eſt. Caput LIX.

Intelligo quid iam dudum deſyderes, quid efflagites, malo, inquis, fulmina nõ timere, q̃ noſſe. Itaq; alios doce quẽadmodum fiant, ego mihi metum illorũ excuti malo, q̃ naturam indicari. Sequar quò uocas, omnibus enim rebus omnibus q; ſermonibus aliquid ſalutare miſcendum eſt. Cum imus per occulta naturæ, cum diuina tractamus, uẽdicandus eſt à malis ſuis animus, ac ſubinde firmandus, q̃ etiam eruditis & hoc unum agentibus, neceſſarium eſt. Non ut effugiamus ictus rerum (undiq; enim tela in nos iaciuntur) ſed ut fortiter conſtanter q; patiamur. Inuicti eſſe poſſumus, inconcuſſi non poſſumus. Quanquam interim ſpes ſubit, inconcuſſos quoq; eſſe nos poſſe. Quomodo inquis? Contemne mortem, et omnia quæ ad mortem ducunt contempta ſint, licet illa bella ſint, ſiue naufragia, ſeu morſus ferarum, ſiue ruinarũ ſubito lapſu procidentium pondera, nunquid amplius facere poſſunt, q̃ ut corpus ab animo reſoluant? Hæc nulla diligentia euitat, nulla felicitas domat, nulla potẽtia euincit, talia uera fortitudine diſponũtur. Mors omneis æque uocat. Iratis diis, propicijs q; moriendum eſt. Animus ex ipſa deſperatione ſumatur. Ignauiſſima animalia, quæ natura ad fugã genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicioſior hoſtis eſt, q̃ quem audacem anguſtiæ faciunt, longe q; uiolentius ſemper ex neceſſitate, q̃ ex uirtute corrigimur. Maiora, aut certe paria conatur animus magnus ac perditus. Cogitemus nos tanq̃ ad mortem proditos eſſe, et ſumus. Ita eſt Luculi, Omnes reſeruamur ad mortem. Totum hunc quem uidemus populum, quouſq; cogitas eſſe? cito natura reuocabit & condet. Nec de re, ſed de die quæritur. Eodem citius ue tardius ue ueniendum eſt. Quid ergo? Non tibi timidiſſimus omnium uidetur, & inſipientiſſimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Non ne contemneres eum, qui inter perituros conſtitutus, beneficij loco peteret, ut ultimus ceruicem præberet? Id facimus, magno æſtimamus mori tardius. In omneis conſtitutum eſt capitale ſupplicium, et quidem conſtitutione digniſſima, quod maximũ ſolet eſſe ſolatiũ extrema paſſuris, quod eorũ in cauſa eadem ſors eſt. Sequeremur traditi à iudice, aut magiſtratu, & car-

nifi nostro præstaremus obsequium. Quid interest, ad mortem iussi eamus an ultronei? O te dementem & oblitum fragilitatis tuæ, si tunc mortem times, cum tonat. Ita'ne salus tua in hoc uertitur? Viues si fulmen euaseris? Petet te gladius, petet te lapis, petet te febris. Non *maximum ex periculis tuis, sed speciosissimum fulmen est.* Male *scilicet erit actum tecum, si sensum mortis tuæ celeritas infinita præuenerit, si mors tua prædicetur, si tu tunc quidem quum spiras non supervacuæ, sed alicuius magnæ rei signum es.* Male *scilicet tecum agitur, si cum fulmine cæciderit. Sed pauescis ad cœli fragorem, & ad inane nubiū trepidas, et quoties aliquid effulsit, expiras. Quid ergo?* Honestius *iudicas deiectione animi perire, q̃ fulmine? Eo' itaq; fortius aduersus cœli minas surge, & cum mundus undiq; exarserit, cogita te nihil habere tanta morte perdendum. Quod si tibi parari credis illam cœli confusionem, illam tempestatum discordiam, si propter te ingestæ, illisæq; nubes strepunt, si in tuum exitium tanta uis ignium excutitur, at tu solatij loco numera, tanti esse mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus. Casus iste demat metum. Est inter cætera hoc quoq; commodum eius, q̃ expectationem tuam antecedit. Nemo unq̃ fulmen timuit, nisi q̃ effugit.*

LVCII ANNEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER TERTIVS, QVI EST DE AQVIS AQVARVMQVE MIRACVLIS. INIBI DE DILVVIO.

PRAEFATIO.

NON præterit me Lucili uirorum optime, q̃ magnæ rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui, & causas secretaq; eius eruere, atq; alijs noscenda producere. Quãdo tam multa consequar? tam sparsa colligam? tam occulta perspiciam? Præmittat ergo senectus, & obijciat annos inter uana studia consumptos, tanto' magis urgeamus, et damna ætatis male exemptæ labor sarciat, nox ad diem accedat, occupationes patrimonij recidantur, longe à domnio iacentis causa soluatur, sibi totus animus uacet, et ad contemplationem sui saltem in ipso fugæ impetu respiciat. Facitet, ac sibi instabit, & quotidie breuitatem temporis metietur.

Quicquid amissum est, id diligenti usu præsentis uitæ recolliget. Fidelissimus est ad honesta ex pœnitẽtia transitus. Libet mihi exclamare illius poëtæ inclyti uersum,

» Tollimus ingentes animos & maxima paruo
» Tempore molimur,-

hoc dicerẽ, si puer iuuenisq; molirer. Nullũ non tam magnis rebus tẽpus angustum est. Nunc uero ad rẽ seriã, grauẽ, immensam, postmeridianis horis accessimus. Faciamus qđ in itinere fieri solet. Qui tardius exierũt, uelocitate pẽsant morã. Festinemus, et opus, nescio an superabile, magnum certe, sine ætatis excusatione tractemus. Crescit animus quoties cœpti magnitudinẽ ostendit, & cogitat quantũ propositо, nõ quantũ sibi supersit. Consumpsere se qdã, dũ acta regum externorũ cõponunt, quæq; passi inuicẽ ausiq; sunt populi. Quantó satius est sua mala extinguere, q̃ aliena posteris tradere? Quantó potius deorũ opera celebrare, q̃ Philippi aut Alexandri latrocinia? Qui exitio gentiũ clari, nõ minores fuere pestes mortaliũ, q̃ inũdatio, qua planum omne perfusum est, q̃ conflagratio, qua magna pars animantiũ exaruit. Quemadmodũ Annibal superauerit alpes scribunt, quẽ admodũ confirmatũ Hispaniæ cladibus bellũ Italiæ inopinatus intulerit, infractisq; rebus etiam post Carthaginem, pertinax reges pererrauerit, contra Romanos ducem se promittens, etiã sine exercitu. Quemadmodũ non desierit senex omnibus angulis bellũ quærere. Adeo sine patria esse pati poterat, sine hoste non poterat. Quantó satius qd faciendum sit, q̃ qd factum sit quærere, ac docere eos, qui sua pmisere fortunæ, nihil stabile ab illa datum esse, eius omnia fluere aura mobilius? Nescit enim quiescere, gaudet lætis tristia sustinere, & utraq; miscere. Itaq; in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt uices rerũ. Quid exultas? Ista qbus ueheris in summũ, nescis ubi te relictura sint, habebunt suum, nõ tuũ finẽ. Quid iacẽs? ad imũ delatus es, nũc est resurgendi locus. In melius aduersa, ĩ deterius optata uertũtur. Ita accipiẽda est animo uarietas, nõ priuatarũ tantũ domuũ, quas leuis casus ĩpellit, sed etiã reipublicæ. Regna ex infimo coorta supra imperãtes constitere. Vetera ĩperia in ipso flore cecidere. Inueniri nõ potest numerus, q̃ multa ab alijs fracta sint. Nũc, cũ maxime deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliqas iactat, magna ista (qa parui sumus) credimus. Multis rebus nõ ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Quid præcipuũ ĩ rebus humanis est? Nõ classibus maria cõplesse, nec in rubri maris litore

ſigna poſuiſſe, nec deficiente terra ad iniurias aliorũ erraſſe in oceano ignota quærẽtẽ, ſed animo omne uidiſſe, et, qua nulla eſt maior victoria, uitia domuiſſe. Innumerabiles ſunt, q urbes, q populos habuere in poteſtate, pauciſſimi q ſe. Quid eſt præcipuũ? Erigere animũ ſupra minas & promiſſa fortunæ. Nihil dignũ putare, quod ſperes. Quid.n. habet dignũ qđ concupiſcas? qa à diuinorũ cõtẽplatione, quoties ad humana recideris, nõ aliter cæligabis, q̃ quorum oculi in denſam umbrã ex claro ſole rediere. Quid eſt præcipuũ? poſſe læto animo aduerſa tolerare, qcqd acciderit ſic ferre, quaſi tibi uolueris id accidere. Debuiſſes: n. uelle, ſi ſcires oĩa ex decreto dei fieri. Flere, queri, ingemere deſciſcere eſt. Quid eſt præcipuũ? Animus cõtra casa mutates fortis et cõtumax, luxuriæ nõ aduerſus tantũ, ſed et iſeſtus. Nec auidus piculi, nec fugax, proſperitatẽ nõ expectans, ſed áduerſus utrũq; intrepidus et incõfuſus. Nec illius tumultu, nec huius fulgore pulſus. Quid eſt præcipuũ? nõ admittere in animo mala cõſilia, puras ad cœlũ manus tollere, nullũ petere bonũ, qđ ut ad te tranſeat, aliq̃ poſſit amittere. Optare, qđ ſine aduerſario optatur, bonã mẽtẽ. Cætera, magno æſtimata mortalibus, etiã ſiq̃ domũ caſus abſtulerit, ſic intueri, quaſi exitura, quà uenerint. Quid eſt præcipuũ? Altos ſupra fortunã ſpiritus hominis tollere. Memniſſe, ut ſiue felix eris, ſcias hoc nõ futurũ diu, ſiue infelix, ſcias hoc te nõ eſſe, niſi cũ putes. Quid eſt præcipuũ? In primis liberũ animũ habere. Hæc res efficit nõ euenire Quiriti, ut ſit liber, ſed euenire naturæ. Liber autẽ eſt, q ſeruitutẽ effugit ſuã. Hæc eſt aſſidua ſeruitus, et ineluctabilis, et p diẽ ac noctẽ æqualiter premens, ſine interuallo, ſine cõmeatu. Sibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt, quã diſcutere facile eſt, ſi deſieris multa poſcere, ſi deſieris tibi referre mercẽdẽ, ſi ante oculos & naturã tuã poſueris, et ætatẽ, ac tibi ipſe dixeris, q̃d inſanio? q̃d anhelo? q̃d ſudo? q̃d terrã uerſo? q̃d forũ uiſo? Nec multo opus eſt, nec diu. Ad hoc proderit nobis inſpicere rerũ naturã, primo diſcedemus à ſordidis, deinde animũ ipſum, quo magno ſummóq; opus eſt, ſeducemus à corpore. Déinde in occultis exercitata ſubtilitas nõ erit in aperto deterior. Nihil autẽ eſt apertius his ſalutaribus, quæ contra negtiã noſtrã furoreḿq; diſcuntur, quæ damnamus, nec ponimus. Caput I.

Væramus ergo de aquis, et inueſtigemus, qua ratione fiãt.

q Siue (ut ait Ouidius)

Fons erat illimis nitidis argenteus undis.

Siue (ut ait Virgilius)

Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis

» *It mare præruptum, & pelago premit arua ſonanti.*
Siue, ut apud te. Iunior cariſſime inuenio.
» *Elyſius ſiculis de fontibus exilit amnis.*
Quomodo aquas ſubminiſtret, quomodo tot flumina ingentia per diem et noctem decurrant, quare alia Hybernis aquis intumeſcant, alia in defectu cæterorũ amniũ creſcant. Nilum interim ſeponemus à turba, propriæ naturæ & ſingularis, illi diẽ ſuũ dabimus, nunc uulgareis aquas proſequemur, tam frigidas q̃ calẽteis. In q̃bus quærendũ erit, utrũ calidæ naſcantur, an fiant. De cæteris quoq; diſſeremus, quas inſignes aut ſapor, aut aliqua reddit utilitas. Quædam enim oculos, quædam neruos iuuant, quædam inueterata et deſperata à medicis uitia percurant. Quædam medentur ulceribus, quædam interiora fouent potu, & pulmonis ac uiſcerũ querelas leuant. Quædam ſupprimunt ſanguinem, tam uarius ſingulis uſus, q̃ gratus eſt. Caput II.

a Vt ſtent omnes aquæ, aut fluunt, aut colliguntur, aut uarias habent uenas. Aliæ ſunt dulces, aliæ nariæ, aſperæ quippe interueniunt, ſalſæq; amaræq;, aut medicatæ, ex q̃bus ſulfuratas dicimus. Ferratas, et aluminoſas indicat inde ſapor. Habent præterea multa diſcrimina. Primũ tactus, frigidæ calidæq; ſunt. Deinde ponderis, omnes aut leues aut graues ſunt. Deinde coloris. Puræ ſunt et turbidæ, cæruleæ, lucidæ. Deinde ſalubritatis, ſunt etenim ſalubres & utiles, ſunt mortiferæ, ſunt quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues, quædam alunt, quædam ſine ulla bibentis ope tranſeunt, quædam hauſtæ fœcunditatem afferunt. Caput III.

u T ſtet aqua aut fluat, loci poſitio efficit, in deuexo fluit, in plano continetur & ſtagnat, & aliquando in aduerſum ſpiritu impellitur, tunc cogitur, non fluit. Colligitur ex imbribus, ex ſuo fonte natiua eſt. Nihil tamen prohibet eodem loco aquam colligi & naſci, quod in Fucino uidemus, in quem montis circumuecti fluuij deriuantur. Sed et magnæ latentesq; in ipſo undæ ſunt, itaq; etiam cum Hyberni defluxere torrentes, faciẽ ſuã ſeruat.

Caput IIII.

p Rimum ergo quæramus, quomodo ad continuãdos fluminum curſus terra ſufficiat, unde tantum aquarum exeat? Miramur, quod acceſſionem fluminum maria nõ ſentiant: Aeque mirandum eſt, quod detrimenta exeuntium terra non ſentit. Quid eſt, quod illam ſic impleuit, ut præbere tantum ex recondito poſſit, ac

poſſit, ac ſúbinde ſic ſuppleat? Quamcunq; rationem reddiderimus de flumine, eadem erit riuorum ac fontium.

Caput V.

Vidam iudicant terram quicquid aquarũ emiſerit, rurſus accipere, et ob hoc maria non creſcere, quia quod influxit non in ſuũ uertant, ſed protinus reddant. Occulto enim itinere ſubit terras, & palàm uenit, ſecretóq; reuertitur; colatúrq; tranſitu mare, quod per multiplices anfractus terrarum uerberatum amaritudinẽ ponit, & prauitatem ſaporis in tanta ſoli uarietate exuit, & in ſincèram aquam tranſit.

Caput VI.

Vidam exiſtimant, quicquid ex imbribus terra concipit, in flumina rurſus emitti. Et hoc argumenti loco ponunt, quod paucíſſima flumina ſunt in his locis, in quibus rarus eſt imber. Ideo ſiccas eſſe aiunt Aethiopiæ ſolitudines, páucoſq; inueniri in interiori Africæ fontes, qa feruida cœli natura ſit, et pene ſemper æſtiua. Squalidæ itaq; ſine arbore, ſine cultore arenæ iacent, rariis imbribus ſparſæ, quos ſtatim combibunt. At contra conſtat Germaniam Galliamq;, & proxime ab his Italiam abundare riuis & fluminibus, quia cœlo humido utuntur, & ne æſtas quidem imbribus caret.

Caput VII.

Dueríus hæc multa dici poſſe uides, primm ego tibi, uinearum diligens foſſor, affirmo, nullam pluuiam eſſe tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur, nec in inferiora deſcẽdit. Quomodo ergo poteſt imber ſuggerere amnibus uireis, qui ſummam humum tangit? Pars maior eius per ſtmuum alueos in mare transfertur, exiguum eſt quod ſorbet terra, nec id ſeruat. Aut enim arida eſt, & abſumit quicquid in ſe fuſum eſt, aut ſatiata, ſi quid ſupra deſyderium cecidit, excludit. Et ideo primis imbribus non augentur amnes, quia totos in ſe ſitiens terra trahit. Quid, quod quædã flumina erũpunt ſaxis & montibus, his quid conferent pluuiæ, quæ per nudas rupeis deferuntur, nec habent terram cui inſidant? Adijce, quod in ſiciſſimis locis, putei in altum acti, per ducentũm, aut trecentũm pedum ſpatia, inueniunt aquarum uberes uenas, in ea altitudine, in quam aqua non penetret, ut ſcias illic non cœleſtem eſſe, nec collectitium humorem, ſed, quod dici ſolet, uiuam aquam. Illo quoq; argumento hæc opinio refellitur, quod quidam fontes in ſummo montis cacumine redundant. Apparet ergo illos ſurſum agi, aut ibi concipi, cum omnis aqua pluuialis decurrat.

Caput VIII.

Vidam existimant, quemadmodum in exteriore parte terrarum uastæ paludes iacent, magni & nauigabiles lacus, quemadmodum ingenti spatio terræ maria porrecta sunt, infusa uallibus, sic interiora terrarum abundare aquis dulcibus. Nec minus illas stagnare, q̃ apud nos oceanum, & sinus eius, immò eò latius, quò plus terra in altum patet. Ergo ex illa profunda copia isti amnes egeruntur, quos quid miraris si terra detractos non sentiat, cum adiectos maria non sentiant.

Caput IX.

Vibusdam hæc placet causa. Aiunt habere terram intra se cauos recessus, & multum spiritus, qui necessario frigescit, umbra grauis pressus. Deinde piger & immotus in aquam, cum desijt, conuertitur, quemadmodum supra nos mutatio aëris imbrem facit, ita infra terras riuum agit. Supra nos stare nõ potest segnis diu & grauis, aliquando enim sole tenuatur, aliquando uentis expanditur. Itaq; interualla magna imbribus sunt. Sub terra uero quicquid est, quod illum in aquam conuertat, idem semper est, umbra perpetua, frigus æternum, inexercitata densitas. Semper ergo præbebit fonti aut flumini causas. Placet nobis terram esse mutabilem, hoc quoq; quicquid efflauit, quia non aëre libero concipitur, crassescit, & protinus in humorem conuertitur.

Caput X.

Abes primam aquarum sub terra nascentium causam, adijcias etiã licet, quod fiant omnia ex omnibus, ex aqua aër, ex aëre aqua, ignis ex aëre, ex igne aër. Quare ergo nõ terra fiat ex aqua, & ex terra aqua? quæ si in alia mutabilis est, et in aquã, immò maxime in hãc. Vtraq; cognata res est, utraq; densa, utraq; in extremum mundi compulsa. Ex aqua terra fit, cur non aqua fiat è terra? At magna sunt flumina. Cũ uideris quanta sunt, rursus ex quanto prodeant aspice. Miraris, cum labantur assidue, quædam uero & concitata rapiantur, quod præsto sit illis semper aqua noua. Quid si mireris, quod, cum uenti totum aëra impellant, non deficit spatio spiritus, sed per dies noctesq; æqualiter fluit, nec ut flumina certo alueo fertur, sed per uastum cœli spatium lato impetu uadit. Quod si ullam undam supereſſe mireris, quæ superueniat tot fluctibus fractis. Nihil deficit, quod in se redit. Omnium elementorũ alterni recursus sunt. Quicquid alteri perit, in alterũ transit. Et natura partes suas uelut in ponderibus constitutas examinat, ne portionũ æquitate turbata mundus præponderet.

Omnia

Omnia in omnibus sunt, non tantũ aër in ignem transit, sed nunq̃ sine igne est. Detrahe illi calorem, rigescet, stabit, durabitur. Transit aër in humorem, sed nihilominus non sine humore est. Et aëra & aquam facit terra, sed non magis unquam sine aqua est, quàm sine aëre. Et ideo facilior inuicem transitus est, quia illis, in quæ transeundum est, iam mista est. Habet ergo terra humorem, hunc exprimit, habet aëra, hũc umbra hyberni frigoris densat, ut faciat humorem. Ipsa quoq; mutabilis est in humorem, natura sua utitur.

Caput XI.

Vid ergo, inquis, si perpetui sunt amnes, uel causæ quibus flumina oriuntur ac fontes, quare aliquando siccantur, aliquando, quibus non fuere locis, exeunt? Sæpe motu terrarum itinera turbant, & ruina interscindit uiam aquis, quæ recentes & nouos exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut ipsius quassatione terræ aliunde alio transferuntur. Apud nos euenire solet, ut amisso cannali suo flumina primum refundantur, deinde, quia perdiderunt uiam, faciant, hoc quod accidisse ait Theophrastus in Coryco monte, in quo post terrarũ tremorem noua uis fontium emersit. Sed & alios quoq; casus interuenire quidam opinantur, qui aliter euocent aquas, aut à cursu suo decidant, atq; auertant. Fuit aliquando aquarum inops Hemus, sed cum Gallorum gens à Cassandro obsessa in illum se contulisset, & syluas cecidisset, ingens aquarum copia illis apparuit, quas uidelicet in alimentum suum nemora ducebant, quibus excisis humor, qui desijt in arbusta consumi, superfusus est. Idem ait & circa Magnesiam accidisse. Sed pace Theophrasti dixisse licеat, non hoc est simile ueri, quia ferè aquosissima sunt, quæcunq; umbrosissima. Quod non eueniret, si aquas arbusta siccarent, quibus alimentum ex proximo est, fluminum uero uis ex intimo manat, ultraq; excipitur, quàm radicibus euagari licet. Deinde succisæ arbores plus humoris desyderant, non tantum id quo uiuant, sed & id, quo crescant. Idem ait circa Arcadiam, quæ urbs in Creta insula est, fontes & lacus substitisse, quia deserit coli terra, diruta urbe. Postea uero quàm cultores recæperit, aquas quoq; recæpisse. Causam siccitatis hanc ponit, quod obduruerit constricta tellus, nec potuerit imbres inmagitata transmittere. Quomodo ergo plurimos uidemus in locis desertissimis fontes? Plura deniq; inuenimus, quæ propter aquas coli cæperunt, quàm quæ aquas habere cæperint, quia colebantur. Non enim esse pluuialẽ hanc aquã, quæ uastissima flumina à fonte

ſtatim, magnis acta nauigijs defert, ex hoc intelligas licet, quod per hyemem æſtatemq; par eſt a' capite deiectus. Pluuia poteſt facere torrentem, non poteſt autem æquali inter ripas ſuas tenore labentem, aquam non faciunt imbres, ſed incitant. Caput XII.

Aulo repetamus hoc altius ſi uidetur, & ſcies te non habere quod quæris, cum ad ueram omnium originem acceſſeris. Flumen nempe facit copia cuiusq; aquæ perennis. Ergo quæris a' me, quomodo aqua fiat. Interrogabo inuicem, quomodo aër fiat, aut terra. Si rerum elementa ſunt quatuor, non poteſt interrogari unde aqua ſit, quarta enim pars eſt naturæ. Quid ergo miraris, ſi rerum naturæ portio tam magna poteſt aliquid ex ſe ſemper effundere? Quomodo aër & ipſe quarta pars mundi uentos & auras mouet, ſic aqua riuos & flumina. Si uentus eſt fluens aër, & flumen eſt fluens aqua. Satis & multum illi uirium dedi, cum dixi elementum eſt. Intelligis quod ab illo proficiſcitur, non poſſe deficere.

Caput XIII.

Qua, ait Thales, ualentiſſimum elementum eſt, hoc fuiſſe primum putat, ex hoc ſurrexiſſe omnia. Sed nos quoq; aut in eadem ſententia eius, aut in ultima ſumus. Dicamus enim ignem eſſe qui occupet mundum, & in ſe cuncta conuertat. Hunc eundem languentem conſidere, & nihil relinqui aliud in rerum natura, igne reſtincto, quàm humorem, in hoc futuri mundi ſpeciem latere. Ita ignis exitus mundi eſt, humor primordium. Miraris amnes ex hoc poſſe exire ſemper, qui pro omnibus fuit, & ex quo ſunt omnia? Hic humor rerum primordium ſic poſitus eſt, ut fluminibus edendis ſufficere, ut riuis, ut fontibus poſſet. Quæ ſequitur Thaletis inepta ſententia eſt. Ait enim terrarum orbem aqua ſuſtineri, & uehi more nauigij, mobilitateq; eius fluctuare, tunc cum dicitur tremere. Non eſt ergo mirum, ſi abundat ad flumina fundenda, cum mundus in humore ſit totus. Hanc ueterem & rudem ſententiam explode. Nec eſt quod credas in hunc orbem aquam ſubire, & per rimas facere ſentinam.

Caput XIIII.

Egyptij quatuor elementa fecere, deinde ex ſingulis bina, marem & fœminam. Aërem marem iudicant, quà uentus eſt. Fœminam, quà nebuloſus & iners. Aquam uirilem uocant mare, nulliebrem omnem aliam. Ignem uocant maſculum, quà ardet flamma, fœminam quà lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem uocant, ſaxa cautesq;, fœminæ nomen aſſignant huic tractabili ad culturam.

Mare

Caput XV.

Are unum eſt, ab initio ſcilicet ita conſtitutum, habet ſuas
m uenas, quibus impletur atq; æſtuat. Quomodo maris, ſic & huius aquæ mitioris uaſta in occulto uia eſt, quam nullius fluminis curſus exhauriet. Abdita eſt uirium eius ratio. Tantum ex illa, quantum ſuperfluũ ſit, emittitur. Quædam ex iſtis ſunt, quibus aſſentire poſſumus, ſed hoc amplius cenſeo. Placet natura regi terram, & quidem ad noſtrorum corporum exemplar, in quibus & uenæ ſunt & arteriæ. Illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula, In terra quoq; ſunt alia itinera, per quæ aqua, & alia per quæ ſpiritus currit, adeoq; illam ad ſimilitudinem humanorum corpor̃ natura formauit, ut maiores quoq; noſtri aquarum appellauerint uenas. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humorum, alia neceſſarij, alia corrupti, ac paulo pigrioris, in capite cerebrũ, in oſſibus medullæ, muſculi, ſaliuæq; & lachrymæ, & quiddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico. Sic in terra quoq; ſunt humoris genera complura. Quædã quæ matura durentur. Hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumq; petit auaritia. Quædam quæ in lapidem ex liquore uertuntur. In quibuſdã uero locis terra humorq; liqueſcunt, ſicut bitumen, & cætera huic ſimilia. Hæc eſt cauſa aquarum, ſecundum legem naturæ uoluntatemq; naſcentium. Cæterum ut in noſtris corporibus, ita in illa ſæpe humores uitia concipiunt, aut ictus, aut quaſſatio aliqua, aut loci ſenium, aut frigus, aut æſtus corrupere naturam, & ſulfuratio contraxit humorem, qui modo diuturnus eſt, modo breuis. Ergo ut in corporibus noſtris ſanguis, cum percuſſa uena eſt, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec uenæ ſciſſura ſubſedit, atq; intercluſit, uel aliqua alia cura retro dedit ſanguinem, ita in terra ſolutis ac patefactis uenis, riuus, aut flumen effunditur. Intereſt quantum aperta ſit uena, quomodo conſumpta aqua ſit, modo exſiccatur aliquo ipedimento, modo coit uelut in cicatricẽ, comprimatq; illam quam fecerat uiã. Modo illa uis terræ, quam eſſe mutabilem diximus, deſinit poſſe alimenta in humorem conuertere, aliquando autem exhauſta replentur, modo per ſe uiribus recollectis, modo aliunde translatis. Sæpe enim inania appoſita plenis humorem in ſe attrahunt. Ipſe tranſire facilis in aliud. Sæpe ipſa terra in tabem ſoluitur, & humeſcit. Idem euenit ſub terra, quod in nubibus, ſi ſpiſſetur, grauioremq;, q̃ ut manere in natura ſua poſſit, gignat humorem. Sæpe colligitur roris modo, tenuis & diſperſus

liquor, qui ex multis in unum locum confluit. Sudorem aquæ leges uocant, quia guttæ quædam uel pressura loci eliduntur, uel æstu euocantur. Hic tenuis unda uix fonti sufficit, sed ex magnis causis magnisq; conceptibus excedunt amnes nonnunquã leuiter, si aqua pondere suo se tantum detulit, nonnunquam uehementer & cum sono, si illam spiritus intermustus eiecit.

Caput XVI.

Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisq; sicci sunt? Superuacuum est nominare singula flumina, quæ certis mensibus magna, certisq; angusta sunt, & occasionem singulis quærere, cum possim eandem causam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam uenit, quemadmodum podagra ad tempus respondet, quemadmodum purgatio, si nihil obstitit, statum diem seruat, quemadmodum præsto est ad mensem suum partus. Sic aquæ interualla habent, quibus se retrahant, & quibus reddant. Quædam autem interualla, quia minora sunt, ideo notabiliora, quædam maiora, nec minus certa. Et quid hoc mirum est, cum uideas ordinem rerum, & naturam per constituta procedere? Hyems nunquam aberrauit. Aestas suo tempore incaluit, Autumni Veriq; (ut solet) facta mutatio est. Tam solstitium q̃ æquinoctium suos dies retulit. Sunt & sub terra minus nota nobis iura naturæ, sed non minus certa. Crede infra, quicquid uides supra. Sunt & illic specus uasti, sunt ingentes recessus, ac spatia suspensis hinc & inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus, qui sæpe illapsas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidere. Hæc spiritu plena sunt, nihil enim usquam inane est, & stagna obsessa tenebris & locis amplis. Animalia quoq; illis innascuntur, sed tarda & informia, ut in aëre cæco pigroq; concepta, & in aquis torpentibus facta, pleraq; ex his cæca ut talpæ & subterranei uermes, quia deest lumen quod superuacuum est. Inde, ut Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis eruuntur.

Caput XVII.

Multa hoc loco tibi in mentem ueniunt, quæ urbane in rem incredibili fabulosaq; dicas, non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum, expecta ut aliquis in mari uersetur. Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos in maria transimus? Permutabimus sedes. Hoc miraris accidere. Quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ,

xuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut uincit. In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur ad mensam. Parum uidetur recens Mullus, nisi qui in conuiuæ manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientium color; quem in multas mutationes mors luctante spiritu uertit. Alios necant in Garo, & condiunt uiuos. Hi sunt, qui fabulas putant piscem uiuere posse sub terra, & effodi, non capi. Quam incredibile illis uideretur, si audirent natare in Garo piscem, nec cœnæ causa occisum esse super cœnam, cum multum in deliciis sint, & oculos ante, quàm gulam pauit.

Caput XVIII.

Permitte mihi quæstione seposita castigare luxuriam. Nihil est, inquis, Mullo expirante formosius. Ipsa colluctatione animam efflanti rubor primum, deinde pallor suffunditur. Quam æque uariatur, & in cæteras facies inter uitam & mortem coloris est hæc uagatio longa. Somniculosæ inertisq; luxuriæ fuit hoc tam sero experiri, sero eum circumscribi se, & fraudari tanto bono sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo, & tam pulchro piscatores fruebantur, qui coctum piscem, & exanimem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captum piscem, qui (ut aiunt) saperet ipsum mare. Ideo cursu aduehebatur, ideo gerulis cum anhelitu & clamore properantibus dabatur uia. Quó peruenere deliciæ? Is pro putrido iam piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magna tibi credere, ipse oportet mihi credam, huc afferatur, coràm me animam agat. Ad hunc fastum peruenere uentres delicatorum, ut gustare non possint piscem, nisi quem in ipso conuiuio natantem palpitantemq; uiderint. Quanto ad sollertiam luxuriæ plures eunt, tanto subtilius quotidie & elegantius aliquid excogitat furor, usitata contemnens. Illa audiebamus, nihil est mullus saxatili Mullo. At nunc audimus, nihil est moriente formosius. Da mihi in manus uas uitreum in quo exultet, in quo trepidet. Vbi multum diuq; laudatus est, ex illo perlucido uiuario extrahitur, tunc, ut quisq; peritior est, monstrat, uide quomodo exarserit rubor omni acrior minio, uide quas per latera uenas agat. Ecce sanguineum putes uentrem, quàm lucidum quiddam cœruleumq; sub ipso tempore effulsit. Iam porrigitur & pallet, & in unum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico assidet, nemo uidere mortem pa-

eris sui sustinet, quam optauit. Quotus quisq; funus domesticum ad rogum prosequitur. Fratrum, propinquorumq; extrema hora deseritur, ad mortem Mulli concurritur. Nihil enim est illa formosius. Non tempero mihi, quin utar interdum temerarie uerbis, & proprietatis modum excedam. Non sunt ad popinam dentibus, & uentre, & ore contenti, oculis quoq; gulosi sunt.

Caput XIX.

Ed ut ad propositum reuertar, accipe argumentum, magnam uim aquarum in subterraneis occuli fertilem fœdo situ piscium. Siquando erupit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, & turpem ac noxiam gustu. Certe cum in Caria circa Myndum urbem talis exilisset unda, periere quicunq; illos ederant pisces, quos ignotos ante eum diem cœlo nouus amnis ostendit. Nec id mirum, erant enim pinguia & differta, ut ex longo otio, corpora, cæterum inexercitata, & in tenebris stagnata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Nasci autem posse pisces in illo terrarum profundo sit indicium, quod anguillæ quoq; latebrosis locis nascuntur. Grauis & ipsæ cibus ob ignauiam utiq;, si altitudo luti illas penitus abscondit. Habet ergo non tantum uenas aquarum terra, ex quibus corriuatis flumina effici possunt, sed & amnes magnitudinis uastæ, quorum alijs semper cursus est, donec aliquo sinu terræ deuorentur, alij sub aliquo lacu emergunt. Iam quis ignorat esse quædam stagna sine fundo? Quorsum hæc pertinent? Vt appareat hanc esse magnis amnibus æternam materiam, cuius non tanguntur extrema, sicut fluminum, & fontium.

Caput XX.

a Ttquare aquis sapor uarius? propter quatuor causas. Ex solo prima est, ex quo efferuntur. Secunda ex eadem similitudine eius nascitur. Tertia ex spiritu, qui in aquam transfiguratus est. Quarta ex uitio, quod sæpe concipiunt corruptæ per iniuriam. Hæ causæ saporem dant aquis uarium, hæ medicaminum potentiam, hæ grauem spiritum odoremq; pestiferum, hæ leuitatem grauitatemq;, aut calorem, aut nimium rigorem. Interest utrũ per loca sulfure, an nitro, an bitumine plena transeant. Hac ratione corruptæ, cũ uitæ piculo bibuntur. Hinc est illud, de quo Ouidius ait,

» Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
» Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicantum

Mediatum est, & eius naturæ habet limum, ut corpora & glutinet & obduret. Quemadmodum Puteolanus puluis, si aquam attigit saxum est, sic econtrario, hæc aqua si solidum tetigit, hæret & affigitur. Inde est, quod res abiectæ in eundem lacum, lapideæ súbinde extrahuntur. Quod in Italia in quibusdam locis euenit, siue uirgam, siue frondem demerseris, lapidem post paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, allinitur q; paulatim. Hoc minus uidebitur tibi mirum, si notaueris albulam, & ferè sulfuratam aquam circa cannaleis suos, riuos q; durari. Aliquam harum habent causam illi lacus,

» =quos quisquis faucibus hausit, ut idem poëta ait,
» Aut furit, aut patitur mirum grauitate saporem.

Similem habet uim mero, sed uehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas donec exicetur, dementia est, & nimia grauitate defertur in somnum, sic aquæ huius sulfureæ uis habet quoddã acrius ex aëre noxio uirus, quod mentem aut furore mouet, aut sopore opprimit. Hoc habet mali & Lyncestius Amnis,

» Quem quicunq; parum moderato gutture traxit,
» Haud aliter titubat, q̃ si mera uina bibisset,

Caput XXI.

In quosdam specus qui despexere moriuntur, tam uelox malũ est, ut transuolantes aues deiiciat, ac talis est aër; talis locus, ex quo letalis aqua distillat. Quod si remissior fuerit aëris, aut loci pestis, ipsa quoq; temperatior noxa nihil amplius, q̃ tentat neruos, uelut ebrietate torpentes. Nec miror, si locus atq; aër aquas inficit, similes q; regionibus reddit, per quas, & ex quibus ueniunt. Fabuli sapor apparet in lacte, & uini uis existit etiam in aceto. Nulla res est, quæ non eius, à quo nascitur notas reddat.

Caput XXII.

Aliud est etiam aquarum genus, quod nobis placet cœpisse cum mundo. Siue ille æternus sit, hoc quoq; fuit semper. Siue initium aliquod est illi, hoc quoq; cum mundo dispositum est. Quod sit hoc, quæris? Oceanus, & quodcunq; cum illo mare terras interluit. Iudicant quidam flumina quoque, quorum inenarrabilis natura est, cum ipso mundo traxisse principia, ut Istrum, ut Nilum, uastos q; amneis, magis q; insigneis quàm ut dici possit, & eandem illis originem quam cæteris esse.

Caput XXIII.

AEc est ergo aquarum diuisio, ut quibusdam uidetur. Post
h illam sunt cœlestes ex posterioribus, quas nubila eijciunt.
Ex terrenis aliæ sunt (ut ita dicam) supernatantes, quæ in summa humo repunt, aliæ abditæ, quarum reddita est ratio.

Caput XXIIII.

VAre quædã aquæ cæleant, quædã etiã ferueãt in tantũ,
q ut non possint esse usui, nisi aut in aperto euanuerint, aut mistura frigidæ itepuerint. Plures cãusæ reddũtur. Empedocles existimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquã cælescere, si subiecti sunt solo, p quod aquarũ transcursus est. Facere solemus dracones & miliaria, et cõplureis formas, in qbus ære tenui fistulas struimus p decliue circũdatas, ut sæpe eundẽ ignẽ ambiens aqua per tantũ fluat spatij, quantũ efficiendo cælori sat est. Frigida itaq; intrat, effluit cælida. Idẽ sub terra Empedocles existimat fieri, quem nõ falli credunt, quibus balnearia sine igne cælefiunt. Spiritus in illa feruens loco æstuanti infunditur, hic p riuos lapsus nõ aliter, quàm igni subdito, parietes & uasa balnei cælefacit. Omnis deniq; frigida transitu mutatur in cælidã, nec trahit saporẽ; euaporatio, qa clausa plabitur. Quidã existimant p loca sulfure plena exeunteis uel introeunteis aquas calorẽ ueneficio materiæ, per quam fluunt, trahere, quod ipso odore, gustũq; testantur. Reddunt enim qualitatẽ eius, qua caluerunt materiæ. Quod ne accidere mireris, uiuæ cælo aquam infunde, feruebit.

Caput XXV.

VAdam aquæ mortiferæ sunt, nec odore notabiles, nec
q sapore. Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab incolis, aduenas fallit, quia non facie, non odore suspecta est, qualia sunt magnorum artificum uenena, quæ deprehendi, nisi morte, non possunt. Hæc autem, de qua paulo ante retuli aqua, summa celeritate corrumpit, nec remedio locus est, quia protinus hausta duratur, nec aliter q̃ gypsum sub humore constringitur, & alligat uiscera. Est autem noxia aqua & in Thessalia circa tempe, quam & feræ & pecus omne deuitat, per ferrũ & æs transit, tanta uis illi inest etiã dura molliendi, nec arbusta qdem ulla alit, & herbas necat. Quibusdã fluminibus uis inest mira, alia enim sunt quæ potu inficiunt greges ouiũ, intraq; breue tempus, quæ fuere nigræ, albã ferunt lanã, quæ albæ uenerant, nigræ abeunt. Hoc etiã in Bœotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu Melas nomen est, uterq; ex eodẽ lacu exeunt, diuersa facturi. In Macedonia quoq;, ut

ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod, qui facere albas oueis uolunt, adducunt, quod ut diutius potauere, non aliter q̃ infectæ mutantur. At ſi illis lana opus ſit nigra uel pulla, paratus gratuitus infector eſt, & ad Penelon eundũ gregem appellunt. Authores nouos habeo eſſe in Galatia flumen, quod idem in ouibus efficiat. Eſſe in Capadocia, quo poto equis, nec ulli præterea animali color mutetur, & ſpargatur albo cutis. Quoſdã lacus eſſe, qui nandi imperitos ferant, notum eſt. Erat in Sicilia, eſt et adhuc in Syria ſtagnum, in quo natant lateres, et mergi proiecta non poſſunt, & ſi grauia ſint. Huius rei palàm cauſa eſt, quamcunq; uis rem expende, & contra aquam ſtatue, dummodo utriuſq; par ſit modus, ſi aqua grauior eſt, leuiorẽ rem, quàm ipſa eſt, fert, & tantò ſupra ſe extollit, quantò erit leuior, grauiora deſcendunt. At ſi aquæ, & eius rei, quam contra pendis, par pondus erit, nec peſſum ibit, nec extabit, ſed æquabitur aquæ, et natabit quidem, ſed penè merſa, ac nulla eminens parte. Hoc eſt cur quædã tigna ſupra aquam penè tota efferantur, quædã ad mediũ ſummiſſa ſint, quædam ad æquilibriũ aquæ deſcendant. Nam cum utriuſq; pondus par eſt, neutra res alteri cedit. Grauiora deſcendunt, leuiora geſtantur. Graue autem & leue eſt, non æſtimatione noſtra, ſed comparatione eius quo uehi debet. Itaq; ubi aqua grauior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id, quo non uincatur, mergi. Sic euenit, ut in quibuſdam ſtagnis ne lapides quidem peſſum eant. De ſolidis & duris loquor. Sunt enim multi pumicoſi & leues, ex quibus quæ conſtant inſulæ in Lydia natant Theophraſtus eſt author. Ipſe ad Cutyliam natantem inſulam uidi. Alia in Vadimonis lacu uehitur, alia in lacu ſtationenſi. Cutylarum inſula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua ſuſtinetur, & in hanc atq; in illam partem non tantum uento impellitur, ſed & aura, nec unquam illi per diem & noctem in uno loco ſtatio eſt, adeo leui flatu mouetur. Huic duplex cauſa eſt, aquæ grauitas medicatæ, ob hoc ponderoſæ, & ipſius inſulæ materia uectibilis, quæ non eſt corporis ſolidi, quamuis arbores alat. Fortaſſe enim leues truncos, frondesq; in lacus ſparſas pinguis humor apprehendit, ac uinxit. Itaq; etiam ſi qua in illa ſaxa ſunt, inuenies aquoſa & fiſtuloſa, qualia ſunt, quæ duratus humor efficit utiq; circa medicatorum fontium riuos, quæ ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpuma ſolidantur. Necéſſario leue eſt, quod ex uentoſo, inaniq; concretum eſt. Quorundam cauſa non poteſt reddi. Quare aqua Nilotica fœcundiores fœminas faciat, adeo ut quarũ=

dam uiſcera longa ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxauerit, quare quædam in Lycia aquæ conceptum fœminarum cuſtudiant, quas ſolent petere, quibus parum tenax uulua eſt, quid ad me attinet? Ponо iſta inter temere uulgata. Creditum eſt quaſdam aquas ſcabiem afferre corporibus, quaſdam uitiligınem et fœdam ex aluo uarietatem, ſiue infuſa, ſiue pota ſit, quod uitium dicunt habere aquam ex rore collectam. Quis non grauiſſimas eſſe aquas credat, quæ in cryſtallũ cœunt. Contra autem eſt. tenuiſſimis hoc enim euenit, quas frigus ab ipſa tenuitate facillime gelat. Vnde autẽ fiat eiuſmodi lapis, apud græcos ex ipſo nomine apparet πρύσταλλον enim appellant æque hunc perlucidum lapidem, quàm illam glaciem, ex qua fieri creditur. Aqua enim cœleſtis minimum in ſe terreni habens, cum induruit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis, donec omni aëre excluſo in ſe tota comprehenſa eſt, & qui humor fuerat, lapis effectus eſt.

Caput. XXVI.

Eſtate quædam flumina augentur, ut Nilus, cuius aliâs ratio reddetur. Theophraſtus eſt author, in Ponto quoq; quoſdam amneis creſcere tempore æſtuo. Quatuor autem eſſe iudicant cauſas, aut quia tunc maxime in humorem mutabilis terra eſt, aut quia maiores in remoto imbres ſunt, quorum aqua per ſecretos cuniculos reddita tacite ſuffunditur. Tertia, ſi crebrioribus uentis oſtium cæditur, & reuerberatur fluctu amnis reſiſtit, qui creſcere uidetur, quia non effunditur. Quarta ratio eſt ſyderum, hæc enim quibuſdam menſibus magis urgent, & exhauriunt flumina, cum longius recæſſerunt, minus conſumunt, atq; trahunt. Itaq; quod impendere ſolebat, id incremento accedit. Quædam flumina palàm in aliquem ſpecum decidunt, & ſic ex oculis auferuntur. Quædam conſumuntur paulatim & intercidunt, eadem ex interuallo reuertuntur, recipiuntq; & nomen & curſum. Cauſa manifeſta eſt, ſub terra uacat locus. Omnis autem humor natura ad inferius, & ad imane defertur. Illò itaq; recepta flumina curſus egere ſecretò. Sed cum primum aliquid ſolidi quod obſtaret occurrit, prærupta parte, quæ minus ad exitum repugnauit, repetiere curſum ſuum.

» Sic ubi terreno Lycus eſt epotus hiatu,
» Exiſtit procul hinc, alióq; renaſcitur ore.
» Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapſus,
» Redditur Argolicis ingens Eraſinus in agris.

Idem et in oriente Tigris facit, abſorbetur, et deſideratus diu tandẽ longe remoto loco purgamenta eiectat, ut Arethuſa in Sicilia quinta

quaq; æstate per olympia. Inde opinio est Alpheon ex Achaia eo usq; penetrare, & agere sub mare cursum, nec ante, quàm in Syracusano litore emergere. Ideo quibus diebus olympia sunt, uictimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Et hoc etiam à te traditum est, ut in prima Lucili carissime, & a Virgilio, qui alloquitur Arethusam.

» Sic tibi, cum fluctus subter labêre sicanos,
» Doris amara suam non intermisceat undam.

Est in chersoneso Rhodiorum fons, qui post magnum interuallum temporis fœda quædam turbidus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatusq; est. Hoc quibusdam locis fontes faciunt, ut non tantum lutum, aut folia, sed testas quoq;, & quicquid putre iacuit, expellant. Vbiq; autem facit mare, cui hæc natura est, ut omne immundum stercoroſumq; litoribus impingat. Quædam uero partes maris id certis temporibus faciunt, ut circa Messanam & Mylas fimo quiddam simile turbulentum in litus mare profert, feruetq; & exæstuat, non sine odore fœdo, unde illic stabulari solis boues fabula est. Sed difficilis ratio est quorundam, utiq; inibi tempus eius uelde, quo purgatur, obseruatum, sed incertum est. Itaq; proxima quidē inueniri & uicina non potest causa, cæterum publica est illa. Omnis aquarum stantium clausarumq; natura se purgat. Nam in his quibus cursus est, non possunt uitia consistere, quæ sua uis defert & exportat. Illæ quæ non emittunt, quicquid insedit, magis minusue æstuant. Mare uero cadauera stramentaq;, & naufragorum reliqua similia ex intimo trahit, nec tantum tempestate fluctuq;, sed tranquillum quoq; placidumq; purgatur.

Caput XXVII.

Sed monet me locus, ut quæram cum fatalis dies diluuij uenerit, quemadmodum magna pars terrarū undis obruatur. Vtrum oceani uiribus fiat, & externum in nos pelagus insurgat, an crebri sine intermissione imbres, & elisa æstate hyems pertinax immensam uim aquarum ruptis nubibus diruat. An flumina tellus largius fundat, aperiatq; fontes nouos. Aut nō sit una tanto malo causa, sed omnis ratio consentiat, & simul imbres cadant, flumina increscant, maria sedibus suis excita percurrant, et omnia nouo agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita est. Nihil difficile est naturæ, utiq; ubi in finem sui properat. Ad originē rerum parce utitur uiribus, dispensatq; se incrementis salientibus, subitò ad ruinam toto impetu uenit. Quàm longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perducatur infans. Quantis laboribus

tener educatur, quàm diligenti nutrimento obnoxium nouissime cor pus adolescit, at quàm nullo negotio soluitur. Vrbes cõstituit ætas, ho ra dissoluit. Momento fit cinis, diu sylua. Magna tutela stant aut uigent omnia, citò acrepente dissiliunt. Quicquid ex hoc statu rerum natura fluxerit, in exitum mortalium satis est. Ergo cum affuerit illa necessitas temporis, multa simul fata causas mouent, nec sine con cussione mundi tanta mutatio est, ut quidam putant, inter quos Fabianus est. Primo immodici cadunt imbres, & sine ullis solibus triste nubilo cœlum est. Nebulaq; continua, & ex humido spissaq; caligine nunquam exiccantibus uenis. Inde uitium satis est, segetum sine fruge surgentium marcor. Tunc corruptis quæ seruntur manu, palustris omnibus campis herba succrescit. Mox iniuriam & ualidiora sensere, solutis quippe radicibus arbusta procumbunt, & uitis, atq; omne uirgultum non tenetur solo, quod molle fluidumq; est. Iam nec gramina aut pabula læta aquis sustinet, fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur, quà ilex est & quercus excutitur, & quæcunq; in his arduis arbor commissura astricta lapidum stetit. Labant ac madent tecta, & in imum usq; receptis aquis fundamenta desidunt, ac tota humus stagnat, frustra titubantium fultura tentatur. Omne enim firmamentum in lubrico figitur, & lutosa humo nihil stabile est. Postquam magis magisq; nimbi ingruunt, et congestæ seculis tabuerunt niues, deuolutus torrens altissimis montibus rapit syluas male hærentes, & saxa reuolutus remissa compagibus rotat. Abluit uillas, & intermistos ouium greges deuehit, uulsisq; minoribus tectis quæ in transitu abduxit, tandem in maiora uolutus oberrat. Vrbes & implicitos trahit mœnibus suis populos, ruinam an naufragium querantur incertos. Adeo simul & quod opprimeret, & quod mergeret, uenit. Auctus deinde processu aliquo in se torrentibus raptis plana passim populatur. Nouissime in ruina magna gentium clarus, onustusq; diffunditur. Flumina uero suapte natura uasta, et tempestatibus rapta alueos relinquunt. Quid tu esse Rhodanum, quid putas Rhenum atq; Danubium, quibus torrens etiam in cannali suo cursus est, cum superfusi nouas sibi fecere ripas, ac scissa humo simul excessere alueo? Quanta cũ præcipitatione uoluuntur, ubi per campestria siuens Rhenus ne spatio quidem languidus, sed latissime uelut per angustum aquas implet? Cumq; Danubius non iam radices, nec media montium stringit, sed iuga ipsa solicitat, ferens secum madefacta montiũ latera, ruperisq; deiectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis

laborantibus auulsa recesserũt. Deinde nõ inueniens exitum, omnia enim sibiipse præcluserat, in orbem redit, ingentem terrarũ ambitum, atq; urbium uno uorticæ inuoluit. Interim permanent imbres, fit cælũ grauius, ac sic diu malũ ex malo cõlligit. Quod olim fuerat nubilum, nox est, & quidem horrida & terribilis intercursu luminis diri, crebra enim micant fulmina, procellæ quatiunt mare, tunc primũ auctum fluminũ accessu, & sibi angustum, iam.n. promouet litus, nõ cõtinetur suis finibus, sed prohibent exire torrentes, aguntq; fluctus retro. Pars tamen maior, ut maligno hostio retenta, restagnat, & agros in formam unius lacus redigit. Iam omnia, quæ prospici possint, aquis obsidentur. Omnis tumulus in profundo latet, & immensa ubiq; altitudo est, tantum in summis montium iugis nada sunt. In ea excelsissima cum liberis coniugibusq; fugêre, actis ante se gregibus. Diremptum inter miseros commercii ac transitus, quoniã qcqd submissius erat, id unda cõpleuit. AEditissimis qbusq; adhærebant reliquiæ generis humani, qbus in extrema pductis, hoc unum solatio fuit, quod transierat in stuporẽ metus, non uacabat timere mirantibus, ne dolor qdẽ habebat locũ. Quippe uim suã pdit in eo, q ultra sensum mali miser est. Ergo insularũ modo eminent montes,

» -& sparsas Cycladas augent, ut ait ille poëtarum ingeniosissimus egregie, sic & illud pro magnitudine rei dixit.

» Omnia pontus erat, deerant quoq; littora ponto,

nisi tantũ ipetũ ingenij et materiæ ad puerileis ineptias reduxisset.

» Nat lupus inter oueis, fuluos uehit unda leones.

Non est res satis sobria lasciuire deuorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confusionis imaginem cœpit cum dixit,

» Expatiata ruunt per apertos flumina campos,

» -Prisæq; labant sub gurgite turres.

Magnifice hoc, si non curauerit quid oues & lupi faciant. Natari autem in diluuio, & in illa rapina potest? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, mersum est? Concepisti imaginẽ quantam debebas obrutis omnibus terris, cælo ipso in terram ruente, perfer, scies, quid deceat, si cogitas orbem terrarum natare. Nunc ad propositum reuertamur. Caput XXVIII.

Vnt qui existimẽt immodicis ibribus uexari terras posse, non obrui. Magno impetu magna ferienda sunt. Faciet pluuia segetes malas, fructum grando decutiet, intumescent riuis flumina, sed residunt. Quibusdam placet moueri mare, & illinc causam tantæ cladis accersiri. Non potest

torrentium, aut imbrium, aut fluminum iniuria fieri tam grande naufragium. Vbi instat illa pernicies, mutariq; genus humanum placuit, fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuijs concesserim, suppressis aquilonibus, & flatu sicciore, austris nubes, & imbres, & amnes abundare. Sed adhuc in damna profectũ est.

» Sternuntur segetes, & deplorata colonis
» Vota iacent, longiq; perit labor irritus anni.

Non lædi debent terræ, sed abscondi. Deniq; cum per ista proluſum est, crescunt maria, sed super solitum, & fluctum ultra extremum tempestatis maximæ uestigium mittunt, deinde à tergo uentis surgentibus ingens æquor inuoluunt, quod longe à conspectu uentis litoribus frangitur. Deinde ubi litus his prolatum est, & pelagus in alieno constitit, uelut admoto malo, comminus procurrit æstus eximo recessu maris. Nam ut aëris, ut ætheris, sic huius elementi larga materia est, multoq; in abdito plenior. Hæc fatis mota non æstu. (Nam æstus fati ministerium est) attollit uasto sinu fretum, agitq; ante se. Deinde in altitudinem erigitur, & illis tutis hominum receptaculis supereſt. Nec id aquis aridum est, quoniam æquo terris fastigio ascenderet. Si quis excelsa perlibret maria, paria sunt, nam par undiq; sibi ipsa tellus est. Caua eius & plana inferiora sunt, sed istis adeo in rotundum orbis æquatus est. In parte autem eius & maria sunt, quæ in unius æqualitatem pilæ coëunt. Sed quemadmodum campos intuentem, quæ paulatim deuexa sunt, fallunt, sic enim non intelligimus curuaturas maris, & uidetur planum quicquid apparet, at illud æquale terris est. Ideoq; ut effluat, non magna mole se tollet, dum satis est illi, ut supra paria ueniat, leuiter exurgere, nec à litore ubi inferius est, sed à medio, ubi ille cumulus est. Defluit ergo ut solet æstus æquinoctialis sub ipsum lunæ solisq; ortũ omnibus alijs maior undare. Sed hic qui ad occupandas terras emittitur, solitis maximisq; uiolentior, plus aquarum trahit, nec ante, quàm supra cacumina eorum, quos perfusurus est, montium creuit, deuoluitur. Per centena milia, quibusdam locis æstus excurrit innoxius, & ordinem seruat. Ad mensuram enim crescit, iterumq; decrescit. At illo tempore solutus legibus sine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eadẽ qua conflagratio futura est, alterutrũ fit, cum deo uisum ordiri meliora, uetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur, ex his ortus & ex his interitus est. Ergo quandocunq; placuere res nouæ mundo, sic in nos mare emittitur, desuper ut feruor ignisq;, cum aliud genus exitij placuit.

Quidam

Capui XXIX.

Vidam existimant terrã quoq; concuti, et dirupto solo noua
q fluminum capita detegere, quæ amplius, ut è pleno pro-
fundant. Berosus, qui Belum interpretatus est, ait cursu ista
syderum fieri, & adeo qdem affirmat, ut conflagrationi atq; diluuio
tempus assignet, arsura enim terrena contendit, quando omnia sy-
dera, quæ nunc diuersos agunt cursus in Cancro conueniunt, sic
sub eodem posita uestigio, ut recta linea exire per urbes omnium
possint. Inundationem futuram, cum eadem syderum turba in Ca-
pricornum conuenerit. Illic solstitium, hic bruma conficitur. Magnæ
potentiæ signa, quæ in ipsa mutatione anni momenta sunt. Et istas
ego recæperim causas, neq; enim ex uno est tanta pernicies. Et illa,
quæ in conflatione nostri placent, huc quoq; transferenda puto. Siue
anima est mundus, siue corpus natura gubernante, ut arbores, ut
sata, ab initio eius usq; ad exitum, quicquid facere, quicqd pati de-
beat, inclusum est. Vt in semine omnis futuri ratio hominis compre-
hensa est, & legem barbæ & canorum nondum natus infans ha-
bet, totius enim corporis & sequentis ætatis in paruo occultóq; li-
niamenta sunt. Sic origo mundi, non minus solem & lunam, & ui-
ces syderum, & animalium ortus, quàm quibus mutarentur ter-
rena, continuit. In his fuit inundatio, quæ non secus, quàm
hyems, quàm æstas lege mundi uenit. Itaq; non pluuia istud fiet,
sed pluuia quoq;. Non incursu maris, maris quoq; incursu. Non
terræ motu, sed terræ quoq; motu. Omnia adiuuabunt naturam,
ut naturæ constituta peragantur. Maximam tamen causam ad se mu-
tandam terra ipsa præstabit, quam diximus esse mutabilem, &
solui in humorem. Ergo quandocunq; erit terminus rebus humanis,
cum partes eius interire debuerint, aboleriue funditus totæ, ut de
integro totæ, rudes, innoxiæq; generentur, nec superst in deteriora
magister, pluis humoris, quàm semper fuit, fiet. Nunc enim elementa
ad id, quod debetur pensa sunt. Aliquid oportet alteri accedat, ut
quæ libramento stant, inæqualitas turbet. Accedet humori, nunc
enim habet quo ambiat terras, non quo obruat. Quicquid illi adie-
ceris, necesse est in alium locum exundet. Vnde ergo terra habeat,
minus ut ualidioribus infirma succumbat? Incipiet ergo putrescere,
dehinc laxata ire in humorem, & assidua tabe defluere. Tunc exi-
lient sub montibus flumina, ipsosq; impetu quatient, inde aura ta-
cita manabunt. Solum omne aquas reddet, summi scaturient mon-
tes. Quemadmodum in morbum transeunt sana, & ulceri uicina

consentiunt, ut quæq; proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, stillabuntq;, deinde current, & hiante pluribus locis saxo, per fretum salient, & maria inter se component. Nihil erunt Adriatici, nihil Siculi æquoris fauces, nihil Carybdis, nihil Scylla, omnes nouum mare fabulas obruet, & hic qui terras cingit Oceanus extremas, ueniet in medium. Quid ergo est? nihilominus tenebit alienos mensis hyems, æstas prohibebitur, & quodcunq; terras sydus exiccat, compresso ardore cessabit. Peribunt tot noia, Caspium & Rubrum mare, Ambraici, & Cretici sinus, Propontis & Pontus. Peribit omne discrimen. Confundetur quicquid in suas partes natura digessit. Non muri quemq; turresue tuebuntur. Non proderunt templa supplicibus, nec urbium summa, quippe fugientes unda præueniet, & ex ipsis arcibus deferet. Alia ab occasu, alia ab oriente concurrent, unus humanum genus condet dies. Quicquid tam longa fortunæ indulgentia excoluit, quicquid supra cæteros extulit, nobilia pariter atq; adornata, magnarumq; gentium regna pessundabit.

Caput XXX.

Vt omnia, ut dixi, facillima naturæ, uti quæ a primo facere constituit, ad quæ non subito, sed ex denunciato uenit.

Iam autem a primo die mundi, cum in hunc habitum ex informi unitate discederet, quando mergerētur terrena, decretū est, & ne sit quandoq;, uelut in nouo opere, dura molitio, olim ad hæc maria se exercent. Non uides ut fluctus in litora tanquam exiturus incurrat? Non uides, ut æstus fines suos transeat, & in possessionē terrarum mare inducat? Non uides, ut illi perpetua cum claustris suis pugna sit? Quis porro istinc, unde tantum tumultum uides, metus est e mari, & magno impetu erumpentibus fluuijs? Vbi non humorem natura disposuit, ut undiq; nos, cum uoluisset, aggredi posset? Mentior, nisi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos auaritia, aut defodit, aut aliqua causa penetrare altius cogit, eruenti finis aliquando est. Adijce nunc, quod immanes sunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Vndiq; ergo erit causa diluuio, cum aliæ aquæ subinfluant terras, aliæ circumfluant, quæ diu cœrcitæ uincent, & amnes amnibus iungent, paludibus stagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & maiore hiatu soluet. Quemadmodum corpora nostra ad egestum uenter exhaurit, quemadmodum eunt in sudore uires, ita tellus liquefiet, & alijs causis quiescentibus, intra se, quo mergatur, inueniet. Sic magna omnia coitura crediderim. Nec erit longa

mora

mora exitij. Tentatur, *diuellituŕq; concordia, cùm semel aliquid ex hac idonea diligentia remiserit mundus, statim undiq; ex aperto, & abdito, superne, ab infimo aquarum fiet eruptio.* Nihil est tam uiolentum & incontinens sui, contumax, infestuḿq; renitentibus, *quàm magna uis undæ.* Vtetur libertate permissa, & iubente natura, quæ scindit, circuit́q;, complebit. Vt ignis, diuersis locis ortus, citò miscet incendium, flammis coire properantibus, sic momento redũdantia pluribus locis maria se committent. Nec ea semper licentia undis erit, sed peracto exitio generis humani, extinctiśq; pariter feris, in quarum homines ingenia transierant, iterum aquas terra sorbebit, terram pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget, & reiectus è nostris sedibus in sua secreta pelletur oceanus, & antiquus ordo reuocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabituŕq; terris homo inscius scelerum, & melioribus auspicijs natus. Sed illis quoq; innocentia non durabit, nisi dum noui sunt, citò nequitia surrepit, uirtus difficilis inuentu est, rectorem duceḿq; desyderat, etiam sine magistro uitia discuntur.

LVCII ANNEI SENECAE QVAESTIONVM NATVRALIVM LIBER QVARTVS, IN QVO DE NIVE, GRANDINE, ET PLVVIA, ATQVE IN PRIMIS DE NATVRA NILI. PRAEFATIO.

d DELECTAT *te, quemadmodum scribis,* Luculi uirorum optime, Sicilia, *et officium procurationis otiosæ.* Delectabit, *si continere id intra fines suos uolueris, nec efficere imperium, quod est procuratio. Facturum te hoc non dubito, scio quàm sis ambitioni alienus, quàm familiaris otio, & literis.* Turbam *rerum hominuḿq; desyderant, qui se pati nesciunt.* Tibi tecũ optime conuenit. Nec mirũ est paucis istud cõtingere in imperio, si nobis ipsi molesti sumus, si modo amore nostri, modo tædio laboramus. Infelicẽ animũ nunc superbia inflamus, nunc cupiditate distendimus, aliâs uoluptate laxamus, aliâs solicitudine exurimus. Quod est miserrimum, nunq̃ sumus singuli. Necesse est itaq; assidua utamur, in tam magnorũ uitiorũ contubernio, rixa. Fac ergo mi Luculi, qđ facere consueuisti, à

turba, quantũ potes, te separa, nec adulatoribus latus præbeas. Artifices sunt ad captandos superiores. Par illis, etiã si bene caueris, nõ eris. Sed mihi crede proditioni, si capieris, ipse te trades. Habent hoc in se naturale blanditiæ, etiam cum reijciuntur placent, sæpe exclusæ nouissime recipiuntur. Hoc enim ipsum imputant, quod repelluntur, & subigi ne contumelia qdem possunt. Incredibile est, quod dicturus sum, sed tamen uerum, eà maxime quisq; patitur quà patet, fortasse enim idem, qui patet patitur. Sic ergo formare, ut scias non posse te consequi, ut sis impenetrabilis, cum omnia caueris, per ornamenta fiet. Alius adulatione clàm utetur parce, alius ex aperto palàm rusticitate simulata, quasi simplicitas illa, non ars sit. Plancus artifex ante Villeum maximus, aiebat non esse occulte, nec dissimulando blandiendum. Perit, inquit, procari, si latet, plurimum adulator, cum deprehensus est proficit, plus etiamnum si obiurgatus est, si erubuit. Futuros multos in prouincia tua Plancos cogita, & hoc nõ esse remedium tanti mali, nolle laudari. Crispus Passienus, quo ego nil noui subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis & curandis uitijs, sæpe dicebat adulationibus non claudere hostium, sed aperire. Et quidem sic, quemadmodum opponi amicæ solet, quæ si impulit grata est, gratior si effregit. Demetrium egregium uirum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem sibi esse ad diuitias uiam, quo die pœnituisset bonæ mentis. Nec inuidebo, inquit, uobis hanc artem, sed docebo eos quibus quæsito opus est, quemadmodum non dubiam fortunam maris, nõ emendi, uendendiq; litem subeant, non incertam fidem ruris, incertiorem fori tentent. Quemadmodũ non solum facili, sed etiam hilari uia pecuniã faciant, gaudentesq; despolient. Te, inquit, longiorem fido Anneo iurabo, & Apollonio pycta, quamuis staturam habeas Thetsi Threcæ incompositi. Hominem quidem non esse ullum liberaliorem, non mentiar, cum possis uideri omnibus donasse, qcquid dereliquisti. Ita est mi Iunior, quò apertior est adulatio, quò improbior, quò magis frontem suam prefricuit, cecîdit aliam, hoc citius expugnat. Eò enim iam dementiæ uenimus, quod qui parce adulatur, pro maligno sit. Solebam tibi dicere Gallionem fratrẽ meum, quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest, talia uitia non nosse, hoc eum odisse. Ab omni illum parte tentasti, ingenium suspicere cœpisti omnium maximum, & dignissimum, quod consecrari mallet, quàm conteri. Pedes abstulit, frugalitatem laudare cœpit. Quare sic à nobis resiluit? uti nos nec laudare, nec damnare uideatur. Prima statim uerba præcidit.

præcidit. Cœpisti mirari comitatem & compositam suauitatem, quæ illos quoq; quos transit, abducit, gratuitum etiam in obuios meritum. Nemo enim mortalium uni tam dulcis est, quàm hic omnibus. Cum interim tanta naturalis boni uis est, uti artem simulationemq; non redoleat. Nemo non imputari sibi bonitatem publicam patitur, hoc quoq; loco blanditijs tuis restitit, ut exclamares inuenisse te inexpugnabilem uirum aduersus insidias, quas nemo non in sinum recipit. Eo` quidem magis hanc eius prudentiam, & in euitando ineuitabili malo pertinaciam te suspicere confessus es, quia sperauerat posse apertis auribus recipi, quamuis blanda dicères, quia uera dicebas, sed eo` magis intellexit obstandum. Semper enim falsis a` uero petitur ueritas. Nolo tamen tibi displiceas, quasi male egeris, & quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit. Non deprehendit te, sed repulit. Ad hoc exemplar componere. Cum quis ad te adulator accesserit, dicito. Vis tu ista uerba, quæ iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeant, ferre ad aliquem, qui paria facturus, uult, quicquid dixeris, audire? Ego nec decipere uolo, nec decipi possum. Laudari me à uobis, nisi laudaretis etiam malos, uellem. Quid autem necesse est in hoc descendere, ut te petere comminus possint. Longum inter uos interuallum sit. Cum cupieris bene laudari, quare hoc ulli debeas? Ipse te lauda, dic, liberalibus me studijs tradidi, quanquam paupertas alia suaderet, & ingenium abduceret. Vbi præsens studij pretium est, ad gratuita carmina deflexi me, & ad salutare philosophiæ studium contuli. Ostendi in omne pectus eandem cadere uirtutem, & eluctatus natalium angustias, nec sorte me, sed animo mensus, par maximis steti. Non mihi inimicitia Getulici Caij fidem eripuit, non in aliorum personam infeliciter armati Messala, & Narcissus, diu publici hostes ante, quàm sui, propositum meum potuerunt euertere. Ceruicem pro fide apposui. Nullum uerbum mihi, quod non salua bona conscientia procederet, excussum est. Pro amicis omnia timui, pro me nihil, nisi ne parum bonus amicus fuissem. Non mihi muliebres fluxere lachrymæ, non e` manibus ullius supplex pependi. Nihil indecorũ nec bono, nec uiro feci. Periculis meis maior paratus ire in ea, quæ minabantur. Ego gratias fortunæ, quæ experiri uoluisset, quanti æstimarẽ fidem. Non debebat mihi paruo res tanta constare. Nec examinauit me quidem diu, neq; enim paria pendebant, utrum satius esset me perire pro fide, an fidem pro me. Non præcipiti impetu in ultimum consilium, quo me eriperem furori potentium, mi. Videbam apud Caium

formenta, uidebam ignes. Sciebam olim ſub illo in eum ſtatum res humanas decidiſſe, ut inter miſericordiæ opera haberentur cœſt. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore deſilui, ne uiderer pro fide tantum mori poſſe. Adijce nunc inuictum muneribus animum, & in tanto auaritiæ certamine nunquam ſuppoſitam manum lucro. Adijce nunc uictus parſimoniam, ſermonis modeſtiam, aduerſus minores humanitatem, aduerſus maiores reuerentiam. Poſt hoc ipſe te conſule, uera ne an falſa memoraueris. Si uera ſunt, coràm magno teſte laudatus es, ſi falſa ſine teſte deriſus es. Poſſum & ipſe nunc uideri te aut captare, aut experiri. Vtrumlibet crede, & omneis timeri à me incipe. Virgilianum illud * excludi.

» Nuſquam tuta fides.- Aut Ouidianum.

» -Quà terra patet fera regnat Erinnys.

» In facinus iuraſſe putes.- Aut illud Menandri.

» Quis enim non in hoc magnitudinem ingenij ſui concitauit? deteſtatus conſenſum humani generis tendentis ad uitia, omneis, ait, malos uiuere, & in ſcenam uelut ruſticus poëta proſiluit. Non ſenem excepit, non puerum, non fœminam, non uirum, & adijcit, ſingulos peccare non paucos, ſed iam ſcelus eſſe contextum. Fugiendum ergo, & in ſe redeundum eſt, immo à etiam à ſe recedendum. Hoc tibi, & ſi diuidimur mari, præſtare tentabo, ut dubium uiæ iniecta manu ad meliora perducam. Et ne ſolitudinem ſentias, hinc tecum miſcebo ſermones. Erimus una, qua parte optimi ſumus, dabimus inuicem conſilia, & ex uultu audientis pendentia. Longe te ab iſta prouincia abducam, ne forte magnam hiſtorijs eſſe fidem credas, & placere tibi incipias, quoties cogitaueris. Hanc ego habeo ſub meo iure prouinciam, quæ maximarum urbium exercitus & ſuſtinuit & fregit, cum inter Carthaginem & Romam ingentis belli pretium iacuit, cum quatuor Romanorum principum, id eſt totius imperij uireis contractas in unum locum uidit, altamq; Pompei fortunam erexit, Cæſaris fatigauit, Lepidi tranſtulit, omniumq; cepit. Quæ illi ingẽti ſpectaculo interfuit, ex quo liquere mortalibus poſſet, quàm uelox foret ad imum lapſus ex ſummo, quamq; diuerſa uia magnam potentiam fortuna deſtrueret. Vno enim tempore uidit Pompeium Lepidumq; ex maximo faſtigio, aliter ad extrema deiectos, cum Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus ſuum.

Itaq;

Caput I.

Taq; ut totum mente abducam, quamuis multa habeat Si-
i cilia in se, circáq; se mirabilia, omneis interim prouinciæ tuæ quæstiones præteribo, et in diuersum cogitationes tuas abstraham. Quæram enim tecum id, quod libro superiore distuli, quid ita Nilus æstuis mensibus abundet. Cui Danubium simulem habere naturam philosophi tradiderunt, quod & fontis ignoti, & æstate quàm hyeme maior sit. Vtrunq; apparuit falsum. Nam & caput eius in Germania esse comperimus, & æstate quidem incipit crescere, sed adhuc manente intra mensuram suam Nilo, primis caloribus, cum sol uehementior inter extrema ueris niueis emollit, quas ante consumit, quàm intumescere Nilus incipiat. Reliquo uero æstatis minuitur, & ad hybernam magnitudinem redit, atq; ex ea dimittitur.

Caput II.

T Nilus ante ortum caniculæ augetur mediis æstibus, ul-
a tra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore inundaret Aegyptum, quo maxime usta feruoribus terra undã altius traheret, tantum hausura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, qua in Aethiopiã uergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cœlestibus terram non adiuuent. Vnam, ut scis, Aegyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut partior. Nemo aratorum aspicit cœlum. Quare non cum poëta in eo iocor? & illi Albium suum impingo, qui ait,

-Nec pluuio supplicat herba ioui.

Vnde crescere incipiat si comprehendi posset, causæ quoq; incrementi inuenirentur. Nunc uero magnas solitudines peruagatus, & in paludes diffusus, gentibusq; sparsus, circa Philas primum ex uago & errante colligitur. Philæ insula est aspera & undiq; præruptæ, duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen ferunt. Vrbs totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quàm uiolentus, egressus Aethiopiam arenasq;, per quas iter ad commercia indici maris est, prælabitur. Excipiunt autem cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excasasq; pluribus locis rupeis Nilus insurgit, & uireis suas concitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angustias eluctatur, ubicunq; uincit, aut uincitur, fluctuat. Et illic excitatis primum aquis, quas sine tumultu leui alueo duxerat, uiolen-

tus, & torrens per malignos transitus prosilit, dissimilis sibi. Quippe ad id lutosus & turbidus fluit. At ubi in scopulos cautium intrauit, spumat, & illi non ex natura sua, sed ex iniuria loci color est. Tandemq; eluctatus obstantia, in uastam altitudinem subitò destitutus cadit, cum ingenti circumiacentiũ regionum strepitu, quem perferre gens ibi asperis collocata nõ potuit, obtusis assiduo fragore auribus, et ob hoc sedibus ad quietiora translati sunt. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini parunla nauigia conscendunt, quorũ alter nauem regit, alter exhaurit. Déinde multum inter rapidam insaniam Nili, & reciprocos fluctus uolutati, tandem tenuissimos cannaleis tenent, per quos angusta rupium effugiunt, & cum tuto flumine effusi, nauigium ruens manu temperant, magnoq; spectantium metu in caput missi, cum iam adplorauerit, mersosq;, atq; obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quẽ ceciderant, loco nauigant, torménti modo missi. Nec mergit cadens unda, sed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas nascitur. Exiguo ab hoc spatio petra diuiditur Aβaτον græci uocant, nec illam ulli, nisi antistites calcant. Illa primum saxa auctum fluminis sentiunt. Post magnum déinde spatium duo eminent scopuli, Nili uenas uocant incolæ, ex quibus magna uis funditur, nõ tamen quanta operire possit Aegyptum. In hæc ora stipem sacerdotes, & aurea dona præfecti, cum solẽne uenit sacrum, iaciunt. Hinc iam manifestus nouarum uirium Nilus alto, ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem excedat obiectu montium pressus. Circa Memphim demum liber, & per campestria uagus, in plura scinditur flumina, manuq; cannalibus factis, ut sit modus in deriuantium potestate, per totam discurrit Aegyptum. Initio diducitur, déinde continuatis aquis in faciem laci, ac turbidi maris stagnat. Cursum illi uiolentiamq; eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextra leuaq; totam amplexus Aegyptum. Quantum creuit Nilus, tantum spei in annum est, nec computatio fallit agricolam, adeo ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoso ac sitienti solo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in siccis, atq; hiantibus locis fœcem relinquit, & quicquid pingue secum tulit, arentibus locis illinit, imatq; agros duabus ex causis, & quod imundat, & quod oblimat. Ita quicquid non adijt, sterile ac squalidum iacet. Si creuit super debitum, nocuit. Mira itaq; natura fluminis, quod cum cæteri amnes abluant terras et euiscerent, Nilus

tanto

tanto cæteris maior, adeo nihil exedit, nec abradit, ut contra adiiciat uireis, minimumq; in eo sit, quod solum temperet. Illato enim limo, arenas saturat, ac inungit. Debetq; illi Aegyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Illa facies pulcherrima est, cum iam se in agros Nilus ingessit, latent campi, opertæq; sunt ualles, oppida insularum modo extant. Nullum in mediterraneis, nisi per nauigia commercium est, maiorq; est lætitia gentibus, quo minus terrarum suarum uident. Sic quoq;, cum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur, quodcunq; elegeris ex his, mare est. Multos nihilominus ignobileis ramos in aliud atq; aliud litus porrigit. Cæterum beluas marinis uel magnitudine, uel noxa pareis educat. Et ex eo, quantus sit, æstimari potest, quod ingentia animalia & pabulo sufficienti, & ad uagandum loco continet. Babillus uirorum optimus, perfectusq; in omni literarum genere rarissimus author est, cũ ipse præfectus obtineret Agyptum, Heraclitio ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse, Delphinorum à mari concurrentium, & Crocodilorum à flumine aduersum agmen agentium, uelut pro partibus prælium, Crocodilos ab animalibus placidis, morsuq; innoxijs uictos. His superior pars corporis dura, & impenetrabilis est etiam maiorum animalium dentibus, at inferior mollis ac tenera, hanc Delphini spinis, quas dorso eminenteis gerunt, submersi uulnerabant, & in aduersum emissi diuidebant. Recisis hoc modo pluribus, cæteri uelut acie uersa refugerunt. Fugax animal audaci, audacissimum timido. Nec illos Tentyritæ generis, aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu et temeritate. Vltro enim insequuntur, fugienteisq; iniecto trahunt laqueo, pleriq; pereunt, quibus minus præsens animus ad persequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquam deuliisse Theophrastus est author. Biennio continuo, regnante Cleopatra, non ascendisse decimo regni anno, & undecimo constat. Significatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem, Antonij enim Cleopatræq; defecit imperium. Per nouem annos non ascendisse Nilum superioribus seculis Callimachus est author. Sed nunc ad inspiciendas causas, propter quas æstate Nilus crescat, aggrediamur, & ab antiquissimis incipiam. Anaxagoras ait ex Aethiopiæ iugis solutas niueis ad Nilum usq; decurrere. In eadem opinione omnis uetustas fuit, hoc Aeschylus, Sophocles, Euripides credebant. Sed falsum esse argumentis plurimis patet. Primo Aethiopiam feruentissimam esse indicat hominum adustus color, & Troglodytæ, quibus subterraneæ domus sunt.

Saxa uelut igni ferueſcunt, non tantum medio, ſed inclinato quoque die, ardens puluis, nec humani ueſtigij patiens, argentum replumbatur, ſignorum coagmenta ſoluuntur, nullum materiæ * ſuperadornatæ manet operimentum. Auſter quoq; qui ex illo tractu uenit, uentus calidiſſimus eſt. Nullum ex his animalibus, quæ latent bruma unquam recondítur. Etiam per hyemem in ſummo & aperto ſerpens eſt. Alexandriæ quoq;, quæ longe ab huiuſmodi immodicis caloribus eſt poſita, niues non cadunt, ſuperiora etiam pluuia carent. Quomodo ergo regio tantis ſubiecta feruoribus duraturas per totam æſtatem niues recipit? quas ſanè aliqui montes illic quoq; excipiant, nunquam tamen magis, quàm Alpes, quàm Thraciæ iuga, aut Caucaſus. Atqui horum montium flumina uere & prima æſtate intumeſcunt, déinde hybernis minora ſunt. Quippe uernis temporibus imbres niuem diluunt, reliquias eius primus calor diſſipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Iſter, nec Cayſtrus ſubiacent malo æſtate. Altiſſimæ ſunt & in illis ſeptentrionalibus iugis niues. Phaſis quoq; per id tempus, eas oras tenens, creſceret, ſi niues flumina poſſent contra æſtatem magna producere. Præterea ſi hæc cauſa attolleret Nilum, æſtate prima pleniſſimus flueret, tunc enim maximæ & integræ adhuc niues, ex molliſſimóq; tabes eſt. Nilus autem per menſes quatuor liquitur, & illi æqualis accéſſio eſt. Si Thaleti credis, Eteſiæ deſcendenti Nilo reſiſtunt, & curſus eius acto contra oſtia mari ſuſtinent, ita reuerberatus in ſe recurrit, non creſcit, ſed exitu prohibitus reſiſtit, & quacunq; mox potuit, incœnceſſus erumpit. Eudimenes Maſſilienſis teſtimonium dicit. Nauigaui, inquit, Atlanticum mare, ubi Nilus fluit maior, quandiu Eteſiæ tempus obſeruant, tunc enim eijcitur mare inſtantibus uentis. Cum reſederint, & pelagus conquieſcit, minoráq; deſcendenti inde uis Nilo eſt. Cæterum dulcis mari ſapor eſt, & ſimiles Niloticis belluæ. Quare ergo, ſi Nilum Eteſiæ prouocant, & ante illos incipit incrementum eius, & poſt eos durat? Præterea non ſit maior, quo illi flauere uehementius? Nec remittitur incitatúrq;, prout illis impetus fuit? quod fieret, ſi illorum uiribus creſceret. Quid, quod Eteſiæ litus Aegypti uerberant, & contra illos Nilus deſcendit, inde uenturus, unde illi, ſi origo ab illis eſſet. Præterea ex mari purus & cæruleus efflueret, non ut nunc turbidus uenit. Adde quod teſtimonium eius

testium turba coarguitur. Tunc erat mendacio locus, cum ignota essent externa litora, libebat illis fabulas mittere. Nunc uero tota exteri maris ora mercatorum nauibus stringitur, quorum nemo narrat nunc cœruleum Nilum, aut mare saporis alterius, quod & natura credi uetat, quia dulcissimum quodq; & leuissimum sol trahit. Præterea quare hyeme non crescit, & tunc potest uentis concitari mare, aliquando quidem maioribus, nam Etesiæ temperati sunt. Quod si è mari ferretur Atlantico, semel oppleret Aegyptum. At nunc per gradus crescit. Oenopides Chius ait hyeme calorem sub terris contineri, ideo & specus calidos esse, & tepidiorem puteis aquam, itaq; uenas interno calore siccari. Sed in alijs terris augentur imbribus flumina. Nilum, quia nullo imbre adiuuetur, tenuari, deinde crescere per æstatem, quo tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus. Quod si uerum esset, æstate flumina crescerent, omneisq; putei æstate abundarent. Deinde non calorem hyeme sub terris esse maiorem. Aqua & specus & putei tepent, quia aëra rigentem extrinsecus non recipiunt. Ita non calorem habent, sed frigus excludunt. Ex eadem causa æstate refrigent, quia illò remotus, seductusq; aër calefactus non peruenit. Diogenes Apolloniates ait, Sol humorem ad se rapit, hunc exsiccata tellus tum ex mari ducit, tum ex cæteris aquis. Fieri autem non potest, ut una sicca sit tellus, alia abundet, sunt enim perforata omnia, & inuicem peruia. Sicca ab humidis sumunt aliquando. Nisi aliquid terra acciperet, exaruisset. Ergo undas sol trahit, sed ex his quæ premuntur maxime, hæc meridiana sunt. Terra cum exaruit, plus ad se humoris adducit, ut in lucernis oleum illò fluit, ubi exuritur. Sic aqua illò incumbit, quò uis caloris & terræ æstuantis arcessit. Vnde ergo trahit? ex illis scilicet partibus semper hybernis, septentrionalibus, unde exundat. Ob hoc Pontus in inferum mare assidue fluit rapidus, non ut cætera maria alternatis ultro citro æstibus, in unam partem semper pronus & torrens. Quod nisi faceret, hisq; itineribus, quod cuiq; deest, redderetur, quod cuiq; superest, emitteretur, iam aut sicca essent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cum pontus & amnes cuncti inuicem commeent, non omnibus locis æstate maiora sunt flumina? Aegyptum sol magis percoquit, itaq; Nilus magis crescit, sed in cæteris quoq; terris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare ulla pars terræ sine humore est, cum omnis ad se ex alijs re-

gonibus trahat, eoq; magis, quò calidior est? Deinde quare Nilus dulcis est, si hæc illi è mari unda est? Nec enim ulli flumini dulcior gustus.

Caput III.

Grandinem hoc modo fieri, quo apud nos glacies fit, gelata nube tota, si affirmauero, nimis audacem rem fecero. Itaq; ex his me testibus numero secundæ notæ, qui uidisse quidem se negant, sed audisse. Aut quod historici faciunt, & ipse faciam. Illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rẽ nolunt spondere, sed adijciunt. Penès authores fides erit. Ergo si mihi parum credis, Possidonius tibi authoritatem promittet, tam in illo quod præterit, q̃ in hoc quod secuturum est. Grandinem enim fieri ex nube aquosa & iam in humorem uersa sic affirmabit, tanq̃ interfuerit. Quare autem rotunda sit grando, etiam sine magistro scire poteris, cum adnotaueris stillicidium omne glomerari. Quod & in speculis apparet, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis sparsis, aliaq; omni leuitate. Nam & in herbarũ uel arborum foliis, si quæ guttæ adhæserunt, in rotundum iacent.

» Quid magis est saxo durum? quid mollius unda?

» Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

» aut ut alius poëta ait, Stillicidij casus lapidem cauat,

et hæc ipsa excauatio rotunda fit. Ex quo apparet illud huic quoq; simile esse quod cauat, locũ.n. sibi ad formã & habitũ sui exculpit. Præterea potest, etiã si non fuerit grando talis, dũ defertur corrotundari, et toties p̃ spatiũ aëris densi deuoluta æquabiliter, atq; in orbẽ teri. Quod nix pati non potest, q̃a non est tam solida, immo q̃a tam fusa est, & non p̃ magnam altitudinem cadit, sed circa terras initiũ eius est. Itaq; longius illi p̃ aëra, sed ex proximo lapsus est. Quare non & ego idem mihi p̃mittam, quod Anaxagoras, cũ inter nullos magis, q̃ inter philosophos esse debet æqua libertas? Grando nihil aliud est, q̃ suspensa glacies. Nix in pruina pendens congelatio. Illud enim iã diximus, quod inter aquã et rorẽ interest, hoc inter pruinã & glaciẽ, necnon inter niuem & glaciẽ interesse.

Caput IIII.

Oteram me peracta quæstione dimittere, sed bene emensum dabo, & quoniam cœpi tibi molestus esse, quicquid in hoc loco quæritur, dicam. Quæritur autem, quare hyeme ningat, non grandinet, & Vere iam frigore infracto grando cadat. Nam, ut fallar tibi, uerũ mihi quidem persuadetur, qui me usq; ad mendacia hæc leuiora, in q̃bus os præcidi, nõ oculi erui solent, credulum præsto. Hyeme aër riget, et ideo nondũ in aquã uertitur, sed

in niuem, cui aër propior est. Cum uer cœpit, maior inclinatio temporis sequitur, & calidiore cœlo maiora fiunt stillicidia. Ideo, ut ait Virgilius noster,

» -Cum ruit imbriferum uer,

uehementior immutatio est aëris undiq; patefacti, & soluentis se, ipso tempore adiuuante. Ob hoc nimbi graues uastiq; magis q̃ ptinaces deferũtur. Bruma lentas pluuias habet et tenues, quales sæpe solent interuenire, cum pluuia rara & minuta, niuem quoq; admistam habet. Dicimus niualem diem, cum altum frigus, & triste cœlum est. Præterea Aquilone flante, & suum cœlum habente, minutæ pluuiæ sunt. Austro imber iprobior, et guttæ pleniores sunt.

Caput V.

Em a' nostris positam nec dicere audeo, quia infirma uidetur, nec præterire. Quid enim mali est aliquid & faciliori iudicio scribere? Immo' si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, silentium indicetur. Pauca enim admodum sunt sine aduersario. Cætera etiam si uincunt, litigant. Aiunt quicqd circa Scythiam & Pontum & Septentrionalem plagam glaciatum, & astrictum est, Vere relaxari. Tunc flumina gelata discedere, tunc obrutos montes niues soluere. Credibile est ergo frigidos spiritus inde fieri, et uerno cœlo immisceri. Illud quoq; adijciunt, quod nec sum expertus, nec experiri cogito. Tu quoq;, censeo, si uolueris uerum exquirere, niuem ita caue, experiaris. Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram niuem calcant, q̃ eorum qui teneram, & labefactam. Ergo si non mentiuntur, quicquid ex illis septentrionalibus locis iam disturbata niue & glacie frangente se fertur, id meridianæ partis tepentem iam humidumq; aëra alligat, & præstringit. Itaq; cũ pluuia futura erit, grando fit iniuria frigoris.

Caput VI.

On tempero mihi quo minus' omnium nostrorum ineptias proferam, quosdam peritos obseruandarum nubium esse affirmant, & prædicere cum grando uentura sit, & hoc intelligere usu ipso potuisse, cum colorem nubium notassent, quem grando toties insequebatur. Illud incredibile, Cleone fuisse publice præpositos χαλαζοφύλακας speculatores futuræ grandinis. Hi cum signum dedissent adesse iam grandinem, quid expectas ut homines ad penulas discurrerent, aut ad storeas? Immo' pro se quisq; alius agnũ immolabat, alius pullũ. Protinus autem illæ nubes alio' declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides, accipe quod ri-

deas magis. Si quis nec agnum, nec pullũ habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu auidas, aut crudelevs existimes nubevs, digitum suum acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minus ab huius agello grando se auertebat, q̃ ab illo, in quo maioribus hostijs exorata erat.

Caput VII.

Rationem huius rei quidã quærunt. Alteri ut homines sapientissimos decet, negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, quãuis munera & deos uincant. Alteri suspicari se aiunt, esse in ipso sanguine uim quandam potentem auertendæ nubis, ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse uis tanta, ut illa in altum penetret? & eam sentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere, mendaciũ et fabula est. At Cleone iudicia animaduertebant in illos, qbus delegata erat cura prouidendæ tempestatis, quod negligentia eorum uineæ uapulassent, aut segetes procidissent. Et apud nos in duodecim tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiqtas credebat & attrahi nubevs cantibus, & repelli, quorum nihil posse fieri tam palàm est, ut huius rei causa nullius philosophi schola intranda sit.

Caput VIII.

Nam rem ad hoc adijciã, & fauere, ac plaudere teiumabit. Aiunt niuem in ea parte aëris fieri, quæ prope terras est. Hanc enim plus habere caloris ex tribus causis. Vna, quod omnis terrarum euaporatio, cum multum intra se feruidi aridiq; habeat, hòc est calidior, quò recentior. Altera quod radij solis à terra resiliunt, & in se recurrunt. Horum duplicatio proxima quæq; à terris calefacit. Quæ ideo plus habent teporis, quia solem bis sentiunt. Tertia causa est, quod magis superiora perflantur. At quæcunq; depressa sunt, minus uentis uerberantur.

Caput IX.

Cædit his ratio Democriti. Omne corpus quò solidius est, hòc calorem citius concipit, & diutius seruat. Itaq; si in solem posueris æneum uas & uitreum & argenteum, æneo citius calor acædet, diutius adhærebit. Adijcit deinde quare hoc existimet fieri. His, inquit, corporibus, quæ duriora & pressiora, densioraq; sunt, necesse est minora foramina esse, & tenuiorem in singulis spiritum. Sequitur, ut quemadmodum minora balnearia, & minora miliaria citius calefiunt, sic hæc foramina occulta, & oculos effugientia, & celerius feruorem sentiant, et propter easdem angustias, quicquid receperunt, tardius reddant.

Caput X.

AEc longe præparata ad id perducunt, de quo nunc quæ
h ritur. Omnis aër quò propior est terris, hòc crassior. Quemadmodum in aqua & in omni humore fex ima est, ita in aëre spississima quæq; desidunt. Iam autem probatum est omnia quò crassioris solidioriśq; materiæ sunt, hòc fidelius custodire calorem receptum, sed quò æditior est aër, & quò longius à terrarũ colluuie recessit, hòc sincerior, puriorq; est. Itaq; solem non retinet, sed uelut per inane transmittit, ideo minus calefit.

Caput XI.

Contra autem quidam aiunt cacumina montium hòc ca-
c lidiora esse debere, quò propiora soli sunt. Qui mihi uidentur errare, quod Apenninum & Alpes, & alios notos ob eximiam altitudinem montes, in tantum putant crescere, ut illorum magnitudo sentire solis uicinam possit. Excelsa sunt ista quãdiu nobis comparantur, at uero ubi ad uniuersum respexeris, manifesta est omnium humilitas. Inter se uincuntur, & uincunt. Cæterum in tantum nihil attollitur, ut collatione totius nulla sit uel maximis portio, quod nisi esset, non diceremus totum orbem terrarũ pilam esse. Pilæ proprietas est cum æqualitate quadam rotunditas. Aequalitatem autem hanc accipe, quam uides in lusoria pila. Non multum illi cõmissuræ & rimæ earum nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur. Quomodo in hac pila nihil illa interualla officiunt ad speciem rotundi, sic nec in uniuerso qdem orbe terrarũ æditi montes, quorum altitudo totius mundi collatione consumitur. Qui dicit altiorem montẽ, quia solem propius excipiat, magis calere debere, idem dicere potest longiorem hominem citius, q̃ pusillum debere calefieri, & citius caput eius q̃ pedes. At quisquis mundũ mensura sua æstimauerit, & terram cogitauerit tenere puncti locum, intelliget nihil in illa posse ita eminere, ut cœlestia magis sentiat, uelut in propinquum illis accesserit. Montes isti, quos suspicimus, & uerticæ æterna niue obsessi, nihilominus in imo sunt. Sed propius qdem soli est mons, q̃ campus aut uallis. Sed sic, quomodo est pilus pilo crassior, arbor arbore, & mons monte maior esse dicitur. Isto enim modo & arbor, et alia magis, q̃ alia terra, dicetur uicina cœlo, quod falsum est, quia inter pusilla nõ potest esse magnum discrimen, nisi dum inter se comparantur. Vbi ad collationem immensi corporis uentum est, nihil interest quanto alterum altero sit maius, quia etiam si magno discrimine, tamen minima uincuntur.

Caput XII.

Ed ut ad propoſitum reuertar, propter has, quas retuli cauſas, pleriſq; placuit in ea parte aëris niuem concipi, quæ uicina terris eſt, & ideo minus alligari, quia minore rigore coit. Nam uicinus aër & plus habet frigoris, q̃ ut in aquam & imbrem tranſeat, & minus, q̃ ut duretur in grandine. Hoc medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis aquis.

Caput XIII.

Vid iſtas inquis ineptias, quibus nec literatior fit quiſquã, nec melior, tam operoſe perſequeris? Quomodo fiant niues dicis, cum multo magis ad nos dicta tè pertineat, quomodo emendæ non ſint niues. Haha, iubes me cum luxuria litigare. Quotidianum iſtud & ſine effectu iurgium eſt. Litigemus tamen, etiam ſi ſuperior futura eſt, pugnanteis ac reluctanteis uincat. Quid porro? Hanc ipſam inſpectionem naturæ nihil iudicas ad id, quod uis, conferre? Cum quærimus, quomodo nix fiat, & dicimus illam pruinæ ſimilẽ habere naturam, plus illi ſpiritus, q̃ aquæ ineſſe, non putas exprobrari illis, cum emere aquam turpe ſit, ſi nec aquam quidem emunt? Nos uero quæramus potius quomodo fiant niues, q̃ quomodo ſeruentur. Quoniam non contenti uina diffundere ueterana, & per ſapores ætates q; diſponere, inuenimus quomodo ſtiparemus niuem, ut ea æſtatem euincęret, et contra anni feruorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentia conſecuti ſumus? Nempe ut gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, q̃ ſpiritum, q̃ ſolem emere non poſſumus. Quod hic aër etiam delicatis diuitibus q; ex facili, nec emptus uenit. O q̃ nobis male eſt, q̃ quicquam à rerũ natura in medio relictum eſt, hoc quod illa fluere, et patere omnibus uoluit, cuius hauſtum uitæ publicum fecit, hoc, quod tam homini, q̃ feris auibus q;, & inertiſſimis animalibus in uſum large ac beate profudit, contra ſe ingenioſa luxuria redegit ad pretium. Adeo nihil poteſt illi placere, niſi carum. Vnum hoc erat, quod diuites in æquum turbæ deducęret, quo uno non poſſent antecędere pauperrimũ. Illi, cui diuitiæ moleſtæ ſunt, excogitatũ eſt, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam. Vnde ad hoc peruentum ſit, ut nulla nobis aqua ſatis frigida uideretur quæ flueret, dicã. Quãdiu ſanus & ſalubris cibi capax ſtomachus eſt, impletur q;, non premitur, naturalibus fomentis contentus eſt. Vbi quotidianis cruditatibus, non temporis æſtus, ſed ſuos ſentit, ubi ebrietas continua uiſceribus inſedit, & præcordia bile, in quam uertitur, torret, aliquid

neceſſario

necessario quæritur, quo æstus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remedijs incitat uitiũ. Itaq; non æstate tantum, sed & media hyeme niuem hac causa bibunt. Quæ huius rei causa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum interuallum unq̃, quo interquiescerent, datum est, sed prandia cœnis usq; in lucẽ perductis ingesta sunt, & distentos copia ferculorum, ac uarietate, commesatio altius mersit? Deinde nunquam intermissa intemperantia, quicquid ante decoxerat, efferuit, & in desyderium semper noui rigoris accendit. Itaq;, quamuis cœnationem uelis, ac specularibus muniant, & igne multo dooment hyemem, nihilominus stomachus ille solutus, & æstu suo languidus, quærit aliquid, quo erigatur. Nam sicut animo relictos stupentesq; frigida spargimus, ut ad sensum sui redeant, ita uiscera istorum uitijs torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa uehementiore perusseris. Inde est, inquam, q̃ nec niue contenti sunt, sed glaciem, uelut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac sæpe repetitis aquis diluunt. Quæ non è summo tollitur, sed ut uim maiorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effoditur. Itaq; ne unum quidem eius est pretium, sed habet institores aqua, & annonam (proꝰ pudor) uariam. Vnguentarios? Lacedæmonij urbe expulere, & propere cedere finibus suis iusserunt, q̃a oleũ disperderent. Quid illi fecissent, si uidissent reponẽdæ niuis officinas, & tot iumenta deportandæ aquæ deseruientia, cuius colorem saporemq; paleis, quibus custodiunt, inquinant? At Dij boni, q̃ facile est extinguere sitim sanam. Sed quid sentire possunt emortuæ fauces, & obtallatæ cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil calidum illis satis est. Sed ardentes boletos, & raptim in condimento suo mersatos demittunt penè fumantes, quos deinde restinguant niuatis potionibus. Videbis, inquã, quosdã gracili pallioło, focaliq; circundatos, pallentes & ægros, non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frusta eius in cyphos suos deijcere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse putas? Febris est, et quidem eò acrior, q̃ non tactu uenarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur, sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli, fluidoq; durum atq; patiens. Non intelligis omnia consuetudine uim suam perdere? Itaq; nix ista, in qua etiamnum natatis, eò peruenit usu, & quotidiana stomachi seruitute, ut aquæ locum obtineat. Aliquid adhuc quærite illa frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor.

LVCII ANNEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER QVINTVS, IN QVO DE VENTIS ET AERIS MOTV AGITVR.

Caput I.

VENTVS *est fluens aër. Quidam ita diffinierunt,*
Ventus est aër fluens in unam partem. Hæc diffinu=
u *tio uidetur diligentior, quia nunquam aër tam im=*
mobilis est, ut non in aliqua sit agitatione. Sic tran=
quillum mare dicitur, cum leuiter cõmouetur, nec
in unam partem inclinatur. Itaq; si legeris,
n *Cum placidum uentis staret mare,=*
scito illud non stare, sed concuti leuiter, & dici tranquillum, quia
nec huc, nec illo impetum capiat. Idem & de aëre iudicandũ est,
non esse unquam immobilem, etiam si quietus sit. Quod ex hoc in=
telligas licet, cum sol in aliquem clausum locum infusus est, uidemus
corpuscula minuta in aduersum ferri, alia sursum, alia deorsum
uarie concursantia. Ergo parum diligenter comprehẽdet quod uult,
qui dixerit, fluctus est maris agitatio, quia tranquillum quoq; agi=
tatur. At ille abunde sibi cauerit, cuius hæc diffinitio fuerit, Fluctus
est maris in unam partem agitatio. Sic in hac quoq; re, de qua nunc
maxime quærimus, non circumscribetur, qui ita se gesserit, ut dicat;
Ventus est fluens aër in unam partem. Aut, uentus aër est fluens im=
petu, aut uis aëris in unam partem fluentis, aut cursus aëris aliquo
concitatior. Scio quid responderi pro diffinitione altera possit. Quid
necesse est adijcere te in unam partem fluens aër? Vtiq; enim quod
fluit, in unam partem fluit. Nemo aquam fluere dicit, si tantũ intra
se mouetur, sed si aliquo fertur. Potest ergo aliquid moueri & non
fluere, & econtrario nõ potest fluere, nisi in unam partem. Sed si hæc
breuitas satis a calumnia tuta est, hac utamur. Si uero aliquis cir=
cũspectior est, uerbo non parcat, cuius adiectio cauillationem omnem
poterit excludere. Nunc ad ipsam rem accedamus, quoniam satis de
formula disputatum est.

Caput II.

EMocritus *ait, cum in angusto inani multa sint corpusc=*
d *la, quæ ille atomos uocat, sequi uentum. At contra quietũ*
& placidum aëris statum esse, cum in multo inani pauca
sunt

sunt corpuscula. Nam, quemadmodum in foro, aut uico, quãdiu ibi paucitas est, sine tumultu ambulatur, ubi turba in angustum concurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit. Sic in hoc, quo circundati sumus spatio, cum exiguum locum multa corpora impleuerint, necesse est alia alijs incidant, & impellant, ac repellantur, implicenturq; & comprimantur, ex quibus nascitur uentus, cum illa, quæ colluctabantur, incubuere, & diu fluctuata ac dubia inclinauere se. At ubi in magna laxitate corpora pauca uersantur, nec artari possunt, nec impelli.

Caput III.

Hoc falsum esse uel ex eo colligas licet, q interim minime
h *uentus est, cum aër nubilo grauis est. Atqui tunc plurima corpora se in angustum contulere, & inde spissatarum nubium grauitas est. Adijce nunc q circa flumina & lacus frequens nebula est, artatis coniunctisq; corporibus, nec tamen uentus est. Interdum uero tanta caligo effunditur, ut conspectum in uicino stantium eripiat, quod non eueniret, nisi in paruum locum corpora se multa compellerent. Atqui nullũ tempus magis, q̃ nebulosum caret uento. Adijce nunc, quod econtrario uenit, ut sol matutinum aëra spissum, & humidum ortu suo tenuat, tunc surgit aura, cum datum est laxamentum corporibus, & stipatio illorũ, ac turba resoluta est.*

Caput IIII.

Vomodo, inquis, ergo uenti fiunt, quos non negas fieri?
q *Non uno modo. Aliâs enim terra ipsa magnã uim aëris eijcit, & ex abdito spirat. Aliâs, cum magna & continua ex imo euaporatio in altum agit, quæ emiserat, mutatio ipsa halitus misti in uentum uertitur. Illud enim nec ut credam mihi ꝑsuaderi potest, nec ut taceã. Quomodo in nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non sine magna narium iniuria emittitur, & uentrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius, sic putant & hanc magnam rerum naturam alimenta mutantem emittere spiritum. Bene nobiscum agitur, quod semper concoquit, alioqui immundius aliquid timeremus. Nunquid ergo hoc uerius est, dicere multa ex omni parte terrarũ, & assidua ferri corpuscula, quæ cũ coacervata sunt, deinde extenuari sole cœperint, q̃a omne quod in angusto dilatatur, spatiũ maius desyderat, uentus existit.*

Caput V.

Vid ergo, hanc solam esse causam uenti existimas, aquarũ
q *terrarumq; euaporationes, ex his grauitatem aëris fieri, deinde solui impetu, cum, quæ densa steterant, ut est necesse, extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego uero et hanc iu-*

dicã, cæterũ illa est longe uerior cãusa, ualentiorq; habere aëra naturalẽ uim mouendi se, nec aliũde accipere, sed inesse illi, ut aliarum rerũ, ita huius potentiã. An hoc existimas, nobis qdem datas uires esse, qbus nos moueremus, aëra autem inertem, & inagitabilẽ relictum esse? cũ aqua motum suũ habeat, etiã uentis quiescentibus, nec enim aliter animalia edere posset. Muscum quoq; innasci aquis, & herbosa quædam, quæ uidemus summo innatantia. Caput VI.

e St ergo aliquid in aqua uitale. De aqua dico? Ignis, qui omnia cõsumit, quædam etiam creat, & quod uideri nõ potest simule ueri, sed tamen uerum est, animalia igne generantur. Habet ergo aliquam uim talem aër, & ideo modo spissat se, modo expandit & purgat, & aliâs cõtrahit, diducit, ac differt. Hoc ergo interest inter aëra, & uentum, quod inter lacum & flumen. Aliquando per se ipse Sol cãusa uenti est, fundens rigentem aëra, & ex denso cõactõq; explicans. Caput VII.

i Nuniuersum de uentis diximus, nunc uiritim incipiemus illos excutere. Fortasse apparebit quemadmodum fiant, si apparuerit, quando, & unde procedant. Primum ergo anteluccanos flatus inspiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex conuallibus, aut ex aliquo sinu feruntur. Nullus ex his pertinax est, sed cadit fortiore iam sole, nec fert ultra terrarum aspectum. Hoc uentorum genus incipit Vere, nec ultra æstatem durat. Et inde maxime uenit, ubi aquarum plurimum, & montium est. Plana licet abundent aquis, tamen carent aura, hac dico, quæ pro uento ualet.

Caput VIII.

q Vomodo ergo talis flatus concipitur, quẽ Græci ἐτησίαν uocant? Quicquid ex se paludes & flumina emittunt (id autem & multum est, & assiduum) per diem solis alimentum est, nocte non exhauritur, sed montibus inclusum, in unam regionem colligitur. Cum illam impleuit, & iam se non capit, sed exprimitur aliquo, et in unam partem procedit, hic uentus est. Itaq; eo incumbit, quo liberior exitus inuitat, & loci laxitas, in quam coaceruata incurrant. Huius rei argumentum est, q prima noctis parte non spirat. Incipit enim fieri tunc illa collectio, quæ circa lucem iam plena est, & onerata quærit, quo defluat, & eo potissimum exit, ubi plurimum uacui est, & magna, ac patens area. Adijcit autem ei stimulos ortus solis, feriens gelidum aëra. Nam etiam ante, q̃ appareat, lumine ipso ualet, & nondum quidem aëra radijs impellit, iam tamen lacessit & irritat lucæ præmissa.

Nam

Nam cum ipse procesſit, alia ſuperius rapiuntur, alia diffunduntur tepore. Ideo non ultra matutinum illis datur flare, omnis illorũ uis conſpectu ſolis extinguitur. Etiam ſi ualentiores flauere, circa mediũ tamen diem relangueſcunt, nec unq̃ uſq; in meridiem aura producitur. Alia autem imbecillior, ac breuior eſt, prout ualentioribus minoribus ue collecta cauſis eſt.

Caput VIIII.

VAre tamen tales uenti uere & æſtate ualidiores ſunt?

q Leuiſſimi enim cætera parte anni, nec qui uela impleãt, ſurgunt. Quia uere aër aquoſus eſt, et ex plurimis aquis, locisq; ob humidam cœlinaturam ſaturis, & redundantibus, maior euaporatio eſt. At quare æſtate æque profunditur? Quia poſt occaſum ſolis remanet diurnus calor, & magna noctis parte perdurat, qui euocat exeuntia, ac uehementius trahit, quicquid ex his ſponte reddi ſolet, deinde non tantum habet uirium, ut quod euocauit, abſumat. Ob hoc diutius corpuſcula emanare ſolita, & efflare terra ex ſe, atq; humorem emittit. Facit autem uentum ſolis ortus non calore tantum, ſed etiam ictu. Lux enim (ut dixi) quæ ſolem anteœdit, nondum aëra calefacit, ſed percutit tantum, percuſſus autem inlatus œdit. Quanq̃ ego ne illud quidem concœſſerim, lucem ipſam ſine calore eſſe, cum ex calore fiat. Non habet forſitan tantum teporis, quantum tactu appareat, opus tamen ſuũ facit, & denſa diducit ac tenuat. Præterea loca, quæ aliqua iniquitate naturæ ita clauſa ſunt, ut ſolem accipere non poſſint, illa quoq; nebula, & triſti luce calefiunt, & per diẽ minus, q̃ noctibus rigent, etiamnum natura calor omnis abigit nebulas, & à ſe repellit. Ergo ſol quoq; idem facit. Et ideo quibuſdam uidetur inde flatus eſſe, unde ſol eſt. Hoc falſum eſſe ex eo apparet, q̃ aura in omnem partem uehit, & contra ortum plenis uelis nauigatur. Quod non eueniret, ſi ſemper uentus ferretur à ſole.

Caput X.

TEſiæ, quoq; qui in argumentũ à quibuſdam aduocantur, e non nimis propoſitum adiuuant. Dicam primum qd illis placeat, deinde cur diſpliceat mihi. Eteſiæ, inquiunt, hyeme non ſunt, quia breuiſſimis diebus ſol deſinit prius, q̃ frigus euincatur. Itaq; niues & ponuntur & durantur. Aeſtate incipiunt flare, cum & dies longus extenditur, & recti in nos radij diriguntur. Veri ergo ſimile eſt concuſſas calore magno niues plus humidi efflare. Item terras exoneratas niue, retectasq; ſpirare liberius. Itaq; plura ex ſeptentrionali parte cœli corpora exire, & in hæc loca, quæ remiſſiora ac tepidiora ſunt, deferri. Sic impetũ Eteſias ſumere,

& ob hoc à solstitio illis initium est, ultraq; ortum caniculæ non ualent, quia iam multum è frigida cœli parte in hanc egestum est. Ac sol mutato cursu in nostrã rectior tenditur, & alteram partem aëris attrahit, alterã uero impellit, sic ille Etesiarũ flatus æstatem frangit, & à mensium feruentissimorũ grauitate defendit. Caput XI.

Vnc quod promisi dicendum est, quare Etesiæ illos non adiuuent, nec quicquam huic conferant causæ. Dicamus autem lucæ auram inatari, eandem subsidere, cum illã soltangit. Atqui Etesiæ ob hoc somniculosi à nautis & delicatiuocãtur, q (ut ait Gallio) mane nesciunt surgere, eo tempore ferè incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura est, quod non accideret, si ut auras, ita illos sol commoueret. Adijce nunc, quod si causa flatus est illis spatium diei ac longitudo, etiam ante solstitium flarent, cum longissimi dies sunt, & cum maxime niues tabescunt. Iulio enim mense iam despoliata sunt omnia, aut certe admodum pauca iacent adhuc sub niue. Caput XII.

Vt quædam genera uentorum quæ ruptæ nubes, & in pronum solutæ emittunt, hos Græci uentos ἐκπνεύσεις uocant. Qui hoc (ut puto) modo fiunt, cum magna inæqualitas, ac dissimilitudo corporum, quæ uapor terrenus emittit in sublime eat, & alia ex his corporibus sicca sint, alia humida. Ex tanta discordia corporum inter se pugnantium, cum in unum conglobata sunt, ueri simile est quasdam cauas effici nubes, & interualla inter illas relinqui fistulosa, & in modum tibiæ angusta. His interuallis tenuis includitur spiritus, qui maius desyderat spatium, cum euerberatus cursu parum libero incaluit, & ob hoc amplior fit, finditq; cingentia, & erumpit in uentum, qui ferè procellosus est, qui superne demittitur, & in nos cadit uehemens & acer, quia non fusus nec per apertum uenit, sed laborat, & iter sibi ui ac pugna parat. Hic ferè breuis flatus est, quia receptacula nubium, per quæ ferebatur, ac munimenta perrumpit, ideo tumultuosus uenit, aliquando non sine igne ac sono cœli. Hi uenti multo maiores, diuturniores q; sunt, si alios quoq; flatus ex eadem causa ruentes in se abstulerint, & in unum confluxerint plures, sicut torrentes modicæ ualetudinis eunt, quãdiu separatis suus cursus est. Cum uero plures in se aquas conuertunt, fluuium iustorum ac perenniũ magnitudinem excedunt. Idem credibile est fieri et in procellis, ut sint breues, quãdiu singulæ sunt, ubi uero sociauere uires, & pluribus cœli partibus elisus spiritus eodem se contulit, & impetus illis accedit, & motus.

Facit

Caput XIII.

f Acit ergo uentum resoluta nubes, quæ plurimis modis soluitur. Nonnunquam conglobationem illã spiritus rumpit incluſi, & in exitum nitentis luctatio. Nonnunquam calor, quem modo sol facit, modo ipsa arietatio, ut magnorum inter se corporum attritus. Hoc loco si tibi uidetur quæri potest, cur turbo fiat. Euenire in fluminibus solet, ut quãdiu sine impedimento ferantur, simplex & rectum illis iter sit, ubi incurrere in aliquod saxum ad latus ripæ prominens, retorqueantur, & in orbem aquas sine exitu flectant, ita ut circũlata in se sorbeantur, & uorticem efficiant. Sic uentus quãdiu nihil obstitit, uires suas effundit, ubi aliquo promontorio repercussus est, aut ui locorum cõeuntium in cannalẽ deuexum, tenuemq; collectus, sæpius in se uolutatur, similemq; illis, quas diximus conuerti, aquis facit uorticem. Hic uentus circũactus, & eundem ambiens locum, ac se ipsa uertigine concitans, turbo est. Qui si pugnatior est, ac diutius uolutatus inflammatur, et efficit, quẽ Græci πρηστῆρα uocant. Hic est igneus turbo. Hi ferè omnia pericula uenti erupti de nubibus produnt, quibus armenta rapiantur, et totæ naues in sublime tollantur. Etiamnum quidam uenti diuersos ex se generant, & impulsum aëra in alias quoq; partes, quàm in quas ipsi inclinauere, dispergunt. Illud quoq; dicam, quod mihi occurrit, quemadmodum stillicidia, quamuis iam inclinent se & labantur, nondum tamen effœcere lapsum, sed ubi plura cõiere, & turba uires dedit, tunc fluere & ire dicuntur. Sic quãdiu leues sunt aëris motus agitati pluribus locis, nondum uentus est, tunc enim incipit, cum omnes illos muscuit, & in unum impetum contulit. Spiritum à uento modus separat, uehementior enim spiritus uentus est, inuicem spiritus, leuiter fluens aër.

Caput XIIII.

r Epetam nunc quod primo dixeram, edi e specu uentos, recæssúq; interiore terrarum. Non tota solido contextu terra in unum usq; fundatur, sed multis partibus caua, & cæcis suspensa latebris, alicubi habet inania sine humore. Ibi, etiam si nulla lux discrimen aëris monstrat, dicam tamen nubes nebulasq; in obscuro consistere. Nam ne hæc quidem supra terras, quia uidentur, sunt, sed quia sunt, uidentur. Illic quoque nihilominus ob id sunt, q̃ non uidentur flumina. Illic scias licet nostris paria sublabi, alia leuiter ducta, alia in confragosis locis præcipitando sonantia. Quid ergo? non illud æque dabis esse aliquos

& sub terra lacus, et quasdam aquas sine exitu stagnare? Quæ sit ita sunt, necesse est & illud, aëra onerari, oneratumq; incumbere, et uentum propulsu suo concitare. Ex illis ergo subterraneis nubibus scimus nutriri inter obscura flatus, cum tantum uirium fecerint, quanto aut terræ obstantia auferant, aut aliquod apertum ad hos efflatus iter occupent, & per hãc cauernam in nostras sedes efferantur. Illud uero manifestum est, magnam esse sub terris uim sulfuris, & aliorum non minus ignem alentium, per hæc loca cum se exitũ quærens spiritus torsit, accendat flammam ipso obstrictu necesse est. Deinde flammis latius fusis, etiam siquid ignaui aëris erat, extenuatum moueri, & uiam cum fremitu uasto, atq; impetu quærere. Sed hoc diligentius persequar, cum quæram de motibus terræ.

Caput XV.

Vnc mihi permitte narrare fabulam. Asclepiodotus author est, demissos q̃plurimos à Philippo in metallum antiquũ olim destitutum, ut explorarent quæ ubertas eius esset, quis status, an aliquid futuris reliquisset uetus auaritia. Descendisse illos cũ multo lumine, & multos duxisse dies, deinde longa uia fatigatos, uidisse flumina ingentia, & conceptus aquarum inertiũ uastos, pares nostris, nec compressos quidem terra supereminente, sed liberæ laxitatis, nó sine horrore uisos. Cum magna hæc legi uoluptate, intellexi enim seculũ nostrum non nouis uitijs, sed iam antiquitus traditis laborare, nec nostra ætate primũ auaritiam uenas terrarũ lapidũq; rimatã, in tenebris male abstrusa quæsisse. Illi quoq; maiores nostri, quos cælebramus laudibus, quibus dissimiles queri-mur nos esse, spe ducti, montes cæciderũt, & supra lucrũ sub ruina steterunt. Ante Philippũ Macedonem reges fuere, q pecuniã in altissimis usq; latebris sequerentur, & relicto spiritu libero, in illos se demitterent specus, in quos nullũ noctiũ, dierumq; q̃ueniret discrimen, et à tergo lucẽ relinquerẽt. Quæ tãta, spes fuit? Quæ tanta necessitas hominẽ ad sydera erectum incuruauit, & defõdit, et in fundũ telluris intimæ mersit, ut erueret aurum non minore periculo quærendũ, q̃ possidendũ? Propter hoc cuniculos egit, et circa prædã lutulentã incertamq; reptauit, oblitus dierũ, oblitus naturæ melioris, à qua se auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis est, q̃ istis supra quos auaritia ingens terrarũ pondus iniecit, q̃bus abstulit cælũ, quos in imo, ubi illud malũ uirus latitat, infõdit. Illo à descẽdere ausi sunt, ubi nouã rerũ positionẽ, terrarũ pendentiũ habitus, uentosq; p cæcũ mane experirentur, & aquarũ nulli fluentiũ horridos fontes, &

altam.

altam ppetuaḿq; nocté. Déinde cum iſta fecerint, inferos metuunt.

Caput XVI.

Ed ut ad id, de quo agitur, reuertar, uenti quatuor ſunt, in ortum, occaſum, meridiem, ſeptentrioneḿq; diuiſi. Cæteri, quos uarijs nominibus appellamus, his applicantur.

» Eurus ad auroram, Nabathæáq; regna recæſſit,
» Perſidáqs, & radijs iuga ſubdita matutinis.
» Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt
» Proxima ſunt Zephyro. Scythiam, ſepteḿq; triones
» Horrifer inuaſit Boreas. Contraria tellus
» Nubibus aſſiduis, pluuioq; madeſcit ab Auſtro.

Vel ſi breuius illos complecti mauis, in unam tempeſtatem (quod fieri nullo modo poteſt) congregentur.

» Vna Eurusq;, Notusq; ruunt, creberq; procellis
» Africus, - et qui locum in illa rixa non habuit, Aquilo.

Quidam illos duodecim faciunt. Quatuor enim cœli partes in ternas diuidunt, & ſingulis uentis binos ſub præfecto dant. Hac arte Varro uir diligens illos ordinat, nec ſine cauſa. Non enim eodem ſemper loco ſol oritur, aut occidit, ſed alius eſt ortus occaſusq; æquinoctialis, bis autem æquinoctium eſt, alius ſolſtitialis, alius hybernus. Qui ſurgit ab oriente æquinoctiali, Subſolanus apud nos dicitur, Græci illum ἀπηλιώτην uocant. Ab oriente hyberno Eurus exit, quem noſtri uocauere Vulturnum, et Liuius hoc illum nomine appellat, in illa pugna Romanis parum proſpera, in qua Annibal & contra ſolem orientem exercitum noſtrum, & contra uentum conſtituit, cum uenti adiutorio, ac fulgoris præſtringentis oculos hoſtium uicit. Varro quoq; hoc nomen uſurpat. Sed & Eurus iam ciuitate donatus eſt, & noſtro ſermoni non tanquam alienus interuenit. Ab oriente ſolſtitiali excitatum Græci καικίαν appellant, apud nos ſine nomine eſt. Aequinoctialis occidens Fauonium mittit, quem Zephyrum eſſe dicent tibi, etiam qui græce neſciunt loqui. A ſolſtitiali occidente Chorus uenit, qui apud quoſdam Argeſtes dicitur, mihi non uidetur, quia Chori uiolenta uis eſt, & in unam partem rapax, Argeſtes fere mollis eſt, & tam euntibus communis, q̃ redeuntibus. Ab occidente hyberno Africus furibundus & ruens, apud Græcos λὶψ dicitur. A ſeptentrionali latere ſummus eſt Aquilo, medius ſeptentrio, imus Thracias. Huic deeſt apud nos uocabulum. A meridiano axe Euronotus eſt, déinde Notus, latine Auſter, déinde Libonotus, qui apud nos ſine nomine eſt.

Caput XVII.

Lacet autem duodecim uentos esse, non quia ubiq; tot sint, quosdam enim inclinatio terrarũ excludit, sed quoniam plures nusquam sunt. Sic casus sex dicimus, non quia omne nomen sex recipit, sed quia nullum plureis q̃ sex. Qui duodecim uentos esse dixerunt, hoc secuti sunt, totidem uentorũ esse, quot cœli discrimina. Cœlum enim diuiditur in circulos quinq;, qui per mundi cardines eunt. Est septentrionalis, est Solstitialis, est Aequinoctialis, est Brumalis, est contrarius Septentrionali. His sextus accedit, qui superiorẽ partem mundi ab inferiore secernit, ut scis, dimidia enim pars mundi semper supra, dimidia infra est. Hanc lineã quæ inter aperta, & occulta est, Græci ὁριζοντα uocant, nostri finitorẽ dixere, alij finientẽ. Adijciẽdus est adhuc meridianus circulus, q̃ Horizonta rectis angulis secat. Ex his q̃dam circuli in transuersa currunt, & alios interuentu suo scindunt. Necesse autem est tot aëris discrimina esse, quod parteis. Ergo Horizon siue finiens circulus, quinq; illos orbeis, quos modo dixi fieri, secat, & efficit decẽ parteis, quinq; ab ortu, quinq; ab occasu. Meridianus circulus, q̃ in Horizonta incurrit, regiones duas adijcit. Sic duodecim aër discrimina accipit, & totidẽ facit uentos. Quidam sunt quorundã locorũ proprij, qui non transmittunt, sed in proximum ferunt. Non est illis a latere uniuersi mundi impetus. Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapix, Athenas Saron, Pamphiliam Catægis, Galliam Circius, cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tanq̃ salubritatem cœli sui debeant ei. Diuus certe Augustus templũ illi, cũ in Gallia moraretur, & uouit & fecit. Infinitũ est, si singulos uelim persequi. Nulla enim propemodum regio est, quæ non habeat aliquẽ flatum ex se nascentem, & circa se cadentem.

Caput XVIII.

Inter cætera itaq; prouidentiæ opera, hoc quoq; aliquis, ut dignum admiratione suspexerit, non enim ex una causa uentos aut inuenit, aut per diuersa disposuit, sed primũ ut aëra non sinerent pigrescere, sed assidua uexatione utilẽ redderent, uitalemq; tractu. Deinde ut imbres terris subministrarẽt, ijdemq; nimios compescerent. Nam modo adducunt nubeis, modo deducunt, ut per totum orbem pluuiæ diuidi possent. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reijcit, Etesiæ non patiũtur apud nos nubeis consistere, ijdem totam Indiam et Aethiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid, q̃ fruges percipi non possent, nisi flatu superuacua, & mista seruandis uentilarentur, nisi esset, quod segetem

excitaret, & latentem frugem ruptis uelamentis suis, quæ folliculos agricolæ uocant, adaperiret? Quid, quod omnibus inter se populis commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit? Ingens naturæ beneficium, si illud in iniuriam suam non uertat hominum furor. Nunc, quod de Cæsare olim maiore uulgo dictitatum est, & à Tito Liuio positum, in incerto esse, utrum illũ magis nasci reipublicæ profuerit, an non nasci, dici etiam de uentis potest, adeo quicquid ex illis utile et necessarium est, non potest his repensari, quæ in pniciem suam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo non sunt ista natura sua bona, si uitio male utentium nocent. Nimirum in hoc prouidentia, ac dispositor ille mundi deus aëra uentis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid esset situ squalidum, effudit, non ut nos classes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hostem in mari, aut post mare inquireremus. Quæ nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela uentis damus bellum paraturi, & periclitamur periculi causa. Incerta fortuna experimur uim tempestatum, nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturæ. Non erat tanti, si ad pacem per ista ueheremur. Nunc autem cũ euaserimus tot scopulos latentes, & insidias uadosi maris, cum effugerimus procellosos désuper montes, per quos præceps in nauigantes uentus impingit, cum inuolutos nubilo dies, et nimbis ac tonitribus horrẽdas noctes, cũ turbinibus diuulsa nauigia, quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos fessos tot malis portus excipiet? Bellũ scilicet, & obuius in litore hostis, & trucidandæ gentes, tracturæ magna ex parte uictorẽ, & antiquarum urbium flãmam. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus scribimus directuros acie in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? Parum uidelicet ad mortes nostras terra late patet, nimis delicate fortuna nos tractat, nimis dura dedit nobis corpora, felicẽ ualetudinẽ, nõ depopulatur nos casus incurrens, emetiri cuiq; annos suos ex cómodo licet, & ad senectutẽ decurrere. Itaq; eamus in pelagus, & uocemus in nos fata cessantia. Miseri qd quæritis mortem quæ ubiq; superest? Petit illa uos et ex lectulo, sed ubiq; innocẽtes petat, occupabit uos i uestra domo, sed occupet nullũ molitẽtes malũ. Hoc uero qd aliud qs dixerit, q̃ insaniã circũferre pericula, et ruere in ignotos iratũ sine iniuria, occurrẽtia deuastautẽ, ac ferarum more occidere, quẽ nõ oderis? Illis tamen in ultionẽ, aut ex fame morsus est. Nos sine ulla parsimonia nostri, alieniq; sanguinis, mouemus maria, et nauigia deducimus, salutẽ cómittimus fluctibus, secundos optamus uentos,

uento, quorũ felicitas est ad bella perferri. Quousq; nos mala nostra rapuere? Parum est intra orbem suũ furere. Sic Persarum rex stolidissimus in Græciam traiecit, quam exercitus non uincet, cum impleuerit. Sic Alexander ulterior Bactris & Indis uolet quærere, quid sit ultra magnum mare, & indignabitur aliqd esse ultimũ sibi. Sic Parthis auaritia Crassum dabit, non horrebit reuocantis diras tribuni, non tempestates longissimi maris, nõ circa Euphratem præsaga fulmina, & deos resistentes, per hominum deorumq; iras ad aurum ibitur. Ergo non immerito quis dixerit rerũ naturam melius actura fuisse nobiscum, si uentos flare uetuisset, & inhibito discursu furentium, in sua quenq; terra stare iussisset. Si nihil aliud, certe suo quisq; tantum, ac suorum malo nasceretur. Nunc parũ ui domestica, externis quoq; laborandũ est. Nulla terra tam longe remota est, quæ non emittere aliquod suũ malum possit. Vnde scio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat inter terminos arma? an paret classes ignota moliens? Vnde scio hic mihi, an ille uentus bellum inuehet? Magna pars erat pacis humanæ maria præcludi. Non tamen (ut paulo ante dicebam) queri possumus de authore nostro deo, si beneficia eius corrũpimus, & ut essent contraria efficimus. Dedit ille uentos ad custodiendam cœli, terrarumq; temperiẽ, ad euocandas, supprimendasq; aquas, ad alendos satorũ atq; arborũ fructus, quos ad maturitatem cũ aliis causis adducat ipsa iactatio attrahens abũ in summa, & ne torpeat permouens. Dedit uentos ad ulteriora noscenda, fuisset enim imperitum animal, & sine magna experientia rerũ homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Dedit uentos, ut commoda cuiusq; regionis fierent cõmunia, nõ ut legiones equitemq; gestarent, nec ut pnicioſa gentiũ arma transueherent. Si beneficia naturæ utentium prauitate ppendimus, nihil non nostro malo accepimus, cui uidere expedit? cui loqui? cui non uita tormentũ est? Nihil inuenies tam manifestæ utilitatis, quod non in contrariũ transferat culpa. Sic uentos quoq; natura bonos futuros inuenerat, ipsi illos cõtrarios fecimus. Omnes in aliqd nos malũ ducunt. Non eadẽ est his et illis causa soluendi, sed iusta nulli. Diuersis enim irritamentis ad tentandũ iter impellimur. Itaq; alicui uitio nauigatur. Egregie Plato dicit, q nobis circa exitum iam testium loco dandus est, minima esse quæ homines emant uita. Immo Lucili cariſſime, si bene furorem illorum extimaueris, id est nostrum, (in eadem enim turba uolutamur) magis ridebis, cum cogitaueris uitæ parari ea, in quibus uita consumitur.

LVCII ANNEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER SEXTVS, IN QVO DE TERRAEMOTV AGITVR.

Caput I.

POMPEIOS *cælebrem Campaniæ urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumq; litus, ab altera Herculanense conueniunt, mareq; ex aperto conductum amœno sinu cingit, desedisse terræmotu, uexatis quæcũq; adiacẽbãt regionibus; Lucili uirorum optime, audiuimus, & quidem diebus Hybernis, quos uacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Fẽbruarij fuit motus hic, Regulo & Virgilio Coss. qui Campaniam nunquam securam huius mali, indemnem tamen & toties defunctam metu, magna strage uastauit. Nam & herculanensis oppidi pars ruit, dubieq; stant etiam quæ relicta sunt, & Nucerinorum colonia, ut sine clade, ita non sine querela est. Neapolis quoq; priuatim multa, publicæ nihil amisit, leuiter ingenti malo perstricta. Villæ uero præruptæ passim sine iniuria tremuere. Adijcunt his sexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuisas statuas, motæ post hoc mentis aliquos, atq; impotes sui errasse. Quorum ut causas excutiamus, & propositi operis contextus exigit, & ipse in hoc tempus congruens cæsus, quærenda sunt trepidis solatia, & demendus ingens timor. Quid enim cuiquam satis tutum uideri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labant? Si, quod unũ immobile est in illo fixumq;, ut cuncta in se intenta sustineat, fluctuat, si, quod proprium habet, terra perdidit stare, ubi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quo solicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, ubi tecta crepuere, & ruina signum dedit, tunc præceps quisq; se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebrã prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc, quod nos tuetur ac sustinet, supra quod urbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit, aut titubat? Quid tibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, ubi timor fugam perdidit? Quid est inquam satis munitum? Quid ad*

tutelam alterius ac ſui firmum? Hoſtem muro repellam, præruptæ altitudinis caſtella uel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur, à tempeſtate nos uindicant portus, nimborum uim effuſam, & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt, fugientes non ſequitur incendium, áduerſus tonitrua, & minas cœli ſubterraneæ domus, & defoſſi in altum ſpecus remedia ſunt. Ignis ille cœleſtis, non tranſuerberat terram, ſed exiguo eius obiectu retundtur. In peſtilentia mutare ſedes licet. Nullum malum ſine effugio eſt. Nunquam fulmina populos perusſerunt. Peſtilens cœlum exhauſit urbes, non abſtulit. Hoc malum latiſſime patet, ineuitabile, auidum, publicæ noxium. Nó enim domos ſolú, aut familias, aut urbes ſingulas haurit, ſed gentes totas, regionesq; ſubuertit, & modo ruinis operit, modo in altam uoraginem condit, ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod nó eſt, ſaltem fuiſſe, ſed ſupra nobiliſſimas urbes ſine ullo ueſtigio prioris habitus, ſolum extenditur. Nec deſunt, q hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptú cum ſedibus ſuis eunt, & è uiuorú numero uiui auferuntur, tanq̃ non omne fatum ad eundem terminum ueniat. Hoc habet inter cætera iuſtitiæ ſuæ natura præcipuú, quod cum ad exitum uentum eſt, omnes in æquo ſumus. Nihil itaq; intereſt, utrum me lapis unus elidat, an monte toto premar. Vtrum ſupra me domus unius onus ueniat, & ſub exiguo eius tumulo, ac puluere expirem, an totus caput meú terrarum orbis abſcondat. In lucæ hunc, & in aperto ſpiritú reddam, an in uaſto terrarum dehiſcentium ſinu. Solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorú concadentiú ferar. Nihil intereſt mea, quantus circa mortem meam tumultus ſit, ipſa ubiq; tantundẽ eſt. Próinde magnum ſumamus animum áduerſus iſtam cladẽ, quæ nec euitari, nec prouideri poteſt. Deſinamus audire iſtos, q Campaniæ renunciauere, quiq; poſt hunc caſum emigrauerunt, negantq; ſeipſos unq̃ ipſam regionem acceſſuros. Quis enim illis promittit melioribus fundamentis hoc, aut illud ſolú ſtare? Omnia eiuſdem ſortis ſunt, & ſi nondú mota, tamen mobilia. Hunc fortaſſe in quo ſecurius conſiſtis locú, hæc nox, aut hic ante noctem dies ſcindet. Vnde ſcias an melior eorum locorú conditio ſit, in quibus iam uires ſuas fortuna conſumpſit, et quæ in futurú ruina ſua fulta ſunt? Erramus enim, ſi ullam terrarum partem exceptam, immunemq; ab hoc periculo credimus. Omnes ſub eadem iacent lege. Nihil ita, ut immobile eſſet, natura concepit, alia temporibus alijs cadunt. Et quemadmodú in urbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa ſuſpenditur, ita & in hoc orbe

terrarum nunc hæc pars facit uitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim urbes simul ꝑdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam quæcunq; est ista uis mali, quæ incurrit, nunc Campaniam lædit. Circuit fatum, & siquid diu præterijt, repetit. Quædam rarius solicitat, sæpius quædam. Nihil immune esse, & innoxium sinit. Non homines tantum, qui breuis, & caduca res nascimur, urbes, oræq; terrarum & litora, & ipsum mare in seruitutem fati uenit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ, & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis uelocissima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac morã credimus. Et ꝑpetua sibi omnia promittentibus in mentem nõ uenit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neq; enim Campaniæ istud, aut Achaiæ, sed omnis soli uitium est, male cohærere, & ex causis pluribus resolui, & summa manere, partibus ruere.

Caput. II.

Vid ago? Solatium ꝺuersus pericula dare promiseram,
q *ecce undiq; timenda denuncio. Nego quicq̃ esse quietis æternæ, quod perire possit, & perdere. Ego uero hoc ipsum solatij loco pono, & quidem ualentissimi. Quandoquidem sine remedio timor stultis est, ratio terrorem prudẽtibus excutit. Imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaq; generi humano dictum puta, quod illis subita captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est.*

» *Vna salus uictis nullam sperare salutem,*

Si uultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda, circumspicite, q̃ leuibus causis discutiamur. Non cibus nobis, non humor, non uigilia, non somnus sine mensura quadam salubria sunt. Iam intelligitis nugatoria esse nostra, & imbecilla corpuscula, fluida, non magna molitione perdenda. Sine dubio id unum periculi satis esset, quod tremunt terræ, quod subito dissipantur, ac superposita deducunt. Magni se æstimat, qui fulmina & motus terrarum hiatusq; formidat, uult ille imbecillitatis suæ conscius timere pituitam. Ita uidelicet nati sumus, tam felicia sortiti membra, & in hanc magnitudinem creuimus, & ob hoc, nisi mundi partibus motis, nisi cœlum intonuerit, nisi terra subsederit, perire nõ possumus. Vnguiculi nos, & ne totius ꝙdem dolor, sed aliqua à latere eius scissura conficit, & ego timeam terras trementes, quẽ crassior saliua suffocat? Ego extimescam emotũ sedibus suis mare? & ne æstus maiore, q̃ soleat, cursu, plus aquarũ trahens superueniat, cum quosdã strangulauerit

potio male lapsa per fauces? Quàm stultum est mare horrere, cum scias stillicidio perire te posse. Nullum est maius solatiũ mortis, quàm ipsa mortalitas. Nullum autem omnium istorum, quæ extrinsecus terrent, quàm quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt. Quid enim dementius, quàm ad tonitrua succidere, & sub terram correpere fulminum metu? Quid stultius, q̃ timere nutationem, aut subitos montium lapsus, & irruptiones maris extra litus eiecti, cum mors ubiq; præstò sit, & undiq; occurrat? Nihilq; sit tam exiguũ, quod nõ in perniciẽ generis humani satis ualeat? Adeo non debent nos ista confundere, tanquam plus in se mali habeant, q̃ uulgaris mors, ut contra cum sit necessarium eò uita exire, & aliquando emittere animam, maiore perire ratione iuuet. Necesse est mori ubicunq;, quandoq;. Stet licèt ista humus, & se teneat suis finibus, nec ulla iactetur iniuria, supra me quandoq; erit. Interest ergo illã ego mihi, an ipsa se mihi imponat? Diducitur ingenti potentia nescio cuius mali, rumpitur, & me in immensam altitudinem abducat. Quid porro? Mors leuior in plano est? Quid habeo quod querar, si rerum natura non me uult iacere in ignobili loco? si mihi iniecit sui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclyto carmine.

» Si cadendum est, inquit, mihi, cœlo cecidisse uelim.

Idem licèt dicere. Si cadendum est, cadam orbe concusso. Non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatiũ est, terram quandoq; uidere mortalem.

Caput III.

Illud quoq; proderit præsumere animo, nihil horum deos facere, nec ira numinum aut cœlum concuti, aut terram. Suas ista causas habent, nec ex imperio sæuiunt, sed quibusdam uitijs, ut corpora nostra turbantur, & tunc, cum facere uidentur, iniuriam accipiunt. Nobis autem ignorantibus uerum, omnia terribilia sunt, utpote quorum metum raritas auget. Leuius accidunt familiaria, & ex insolito formido est maior. Quare autem quicq̃ nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus, nec cogitamus, quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Damus itaq; huius negligentiæ pœnas, tanquam nauis territi, cum illa non sint noua, sed insolita. Quid ergo, non religionem incutit mentibus, & quidem publicè, siue deficere solis uisus est, siue luna, cuius obscuratio frequentior, aut parte sui, aut tota delituit? longeq; magis illæ actæ in transuersum faces, & cœli magna pars ardens, & crinita sydera, & plures solis orbes, & stellæ per diem uisæ, subitiq; transcursus ignium, multam post se lucem trahentium? Nihil

horum

horum sine timore miramur, & cum timendi sit causa nescire, non est tanti scire, ne timeas. Quanto satius est causas inquirere, & quidem toto in hoc intentum animo. Neq; enim illo quicquam inueniri dignius potest, cui se non tantum commodet, sed impendat.

Caput IIII.

Quæramus ergo quid sit, quod terram ab infimo moueat, quid tanti molẽ ponderis impellat, quid sit illa ualentius, quid tantum onus ui sua labefactat, cur modo tremat, modo laxata subsidat, nunc in partes diuisa discedat, & aliâs internallum ruinæ suæ diu seruet, aliâs cito comprimat. Nunc amnes magnitudinis notæ conuertat introrsus, nũc nouos exprimat. Aperiat aliquando aquarum calentium uenas, aliquando refrigeret, ignesq; nonnunquam per aliquod ignotum antea montis, aut rupis foramen emittat, aliquando notos, & per secula nobiles comprimat. Mille miracula mouet, faciemq; mutat locis, et defert montes, subrigit plana, ualles extuberat, nouas i profundo insulas erigit. Hæc ex quibus causis accidant, digna res est excuti. Quid, inquis, erit pretium operæ? Quo nullũ maius est, nosse naturam. Neq; enim quicquam habet in se huius materiæ tractatio pulchrius, cum multa habeat futura usui, q̃ quod hominem magnificentia sui detinet, nec mercede, sed miraculo colitur. Inspiciamus ergo quid sit, propter quod accidant hæc. Quorum est adeo mihi dulcis inspectio, ut q̃is aliquando de motu terrarum uolumen iuuenis ediderim, tamen tentare me uoluerim, & experiri, an ætas aliquid nobis, aut ad scientiam, aut certe ad diligentiam adiecerit.

Caput V.

Ausam, qua terra concutitur, alij in aqua esse, alij in ignibus, alij in ipsa terra, alij in spiritu putauere, alij in pluribus, alij in omnibus his. Quidam liquere ipsis aliquam ex istis causam dixerunt, sed non liquere quæ esset. Nunc singula prosequamur. Illud ante omnia mihi dicendum est, opiniones ueterũ parum exactas esse & rudes. Circa uerum adhuc errabatur. Noua omnia erant primo tentantibus, post eadem illa limata sunt, & si quid inuentum est, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit rerum naturæ latebras dimouere, nec contentum exteriori eius conspectu, introspicere, & in deorũ secreta distendere. Plurimum ad inueniendum contulit, qui speranit posse reperiri. Cum excusatione itaq; ueteres audiendi sunt. Nulla res consumata est, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima, atq; inuolutissima, in qua etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas

quod agat inueniet, sed in omni alio negotio longe semper à perfecto fuere principia.

Caput VI.

IN aqua causam esse, nec ab uno dictum est, nec uno modo.
i Thales Milesius totam terrã subiecto iudicat humore portari & innare, siue illud oceanum uocas, siue magnum mare, siue alterius naturæ simplicem adhuc aquam, & humidum elementum. Hac, inquit, unda sustinetur orbis, uelut aliquod grande nauigium, & graue his aquis quas premit. Supervacuum est reddere causas, propter quas existimat grauissimam partem mundi non posse spiritu tam tenui, fugaciq; gestari, non enim nunc de situ terrarum, sed de motu agitur. Illud argumenti loco ponit, aquas esse in causa, quibus hic orbis agitatur, quod in omni maiore motu erumpũt ferè noui fontes, sicut in nauigijs quoq; euenit, ut si inclinata sunt, & abiere in latus, aquam sorbeant, quæ in omni onere eorum, quæ uehit, si immodicè depressa sunt, aut superfunditur, aut certe dextra sinistraq; solito magis surgit. Hanc opinionem falsam esse, non est diu colligendum. Nam si terram aqua sustineret, tota aliquando concuteretur, semper moueretur, nec agitari illam miraremur, sed manere. Tunc tota concuteretur, non ex parte, nunquam enim nauis dimidia iactatur. Nunc uero terrarum non uniuersarũ, sed ex parte motus est. Quomodo ergo fieri potest, ut quod totum uehitur, totum non agitetur, si eo, quo uehitur, agitatum est? At quare aquæ erumpunt? Primum omnium sæpe tremuit terra, & nihil humoris noui fluxit. Deinde si ex hac causa unda prorumperet, à lateribus terræ circumfunderetur, sicut in fluminibus ac mari uidemus accidere, ut incrementum aquarum, quoties nauigia desidunt, in lateribus maxi meappareat. Ad ultimum non tam exigua fieret, q̃ dicit, eruptio, nec uelut per rimam sentina subreperet, sed fieret ingens inundatio, ut ex infinito liquore, & ferente uniuersa.

Caput VII.

VIdam motum terrarum aquæ imputauere, sed non ex
q eadem causa. Per omnem, inquiunt, terram multa aquarũ genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum nauigabilis etiam sine adiutorio imbrium magnitudo est. Hinc Nilus per æstatem ingentes aquas inuehit. Hinc qui medius inter pacata & hostilia fluit Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamq; disterminans, alter Germanos, auidam gentem belli, repellens. Adijce nunc patentissimos lacus, & stagna populis inter se ignotis circundata, & ineluctabiles nauigio paludes, nec

des, nec ipsis quidem inter se peruias, quibus incoluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum subitos ex occulto amnes uomentia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus, quorum uires q̃ repentinæ, tam breues. Omnis aquarum etiam intra terram natura faciesq; est. Illic quoq; aliæ uasto cursu deferuntur, & in præceps uolutæ cadunt, aliæ languidiores in uadis refunduntur, & leuiter ac quiete fluunt. Quis autem neget uastis illas receptaculis conapi, & cessare multis inertes locis? Non est diu probandum ibi multas aquas esse, ubi omnes sunt. Neq; enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito multoq; funderet. Si hoc uerum est, necesse est aliquando illic amnis excrescat, & relictis ripis uiolentus in obstantia incurrat. Sic fiet motus alicuius partis, in qnã flumen impetum dedit, et quam, donec decrescat, uerberabit. Potest fieri, ut aliquã regionem riuus affluens exedat, ac secum trahat aliquam molẽ, qua lapsa, superposita quatlantur. Iam uero nimis oculis permittit, nec ultra illos scit producere animũ, qui nõ credit esse in abscondito terræ sinus maris uasti. Nec enim uideo quid prohibeat uel obstet, quo minus habeatur aliquod etiã in abscondito litus, & per occultos aditus receptum mare, quod illic quoq; tantundẽ loci teneat, aut fortassis hòc amplius, quo superiora cum tot animalibus erant diuidenda. Abstrusa enim & sine possessore deserta, liberius undis uacant. Quas quis uetat illic fluctuare, et uentis, quos omne interuallum terrarum, & omnis aër creat, impelli? Potest ergo maior solito exorta tempestas aliquam partem terrarum impulsam uehementius cõmouere. Nam apud nos quoq; multa, quæ procul à mari fuerant, subito eius accessu uapulauere, & uillas in conspectu collocatas, fluctus, qui longe audiebatur, inuasit. Illic quoq; potest accedere ac decedere pelagus infernum, quorũ neutrum sit sine motu superstantium.

Caput VIII.

Non quidem existimo diu te hæsitaturũ, an credas esse subterraneos amnes, & mare absconditum. Vnde enim ista prorũpunt, unde ad nos ueniũt, nisi qđ origo humoris inclusa est? Age cũ uides interruptũ Tigrim in medio itineris siccari, et non uniuersum auerti, sed paulatim nõ apparentibus dãnis imminui primũ, dein de cõsumi, quo illũ putas abire, nisi in obscura terrarũ? utiq; cũ uideas emergere iterũ, non minorem eo, q prior fluxerat? Quid cum uides Alpheum celebratum poëtis in Achaia mergi, & in Sicilia rursus transiecto mari effundere amœnissimum fontem Arethusam? Nescis autem inter opiniones, qbus narratur Nili æstiua

inundatio, & hanc esse, à terra illum erumpere, & augeri, non superuenientibus aquis, sed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Cæsar, *ut aliarũ uirtutum, ita ueritatis in primis amantissimus, ad inuestigandum caput* Nili *miserat, audiui narrantes, longum illos iter peregisse, cum à rege* Aethiopiæ *instructi auxilio, cõmendatiq; proximis regibus penetrassent ad ulteriora quidem aiebant, peruenimus ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerãt, nec sperare quisquã potest, ita implicatæ aquis herbæ sunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec nauigio, quod nisi paruũ & unius capax limosa & obsita palus non ferat.* Ibi, *inquit, uidimus duas petras, ex quibus ingens uis fluminis excidebat.* Sed *siue caput illa, siue accessio sit* Nili, *siue tunc nascitur, siue in terras ex priore receptæ cursu redit, non'ne tu credis illam, quicquid est, ex magno terrarum lacu ascendere?* Habeant enim *oportet pluribus locis sparsum humorem, & in imo coactum, ut eructare tanto impetu possint.*

Caput IX.

Gnem causam motus quidam, & quidem non eandem iudicant. In primis Anaxagoras, qui existimat simuli penè ex causa et aëra concuti, & terram, cum in inferiore parte spiritus crassum aëra, & in nubeis coactum, eadem ui, qua apud nos quoq; nubila frangi solent, rumpit, et ignis ex hoc collisu nubium, cursúq; elisi aëris emicuit, hic ipse in obuia incurrit exitum quærens, ac diuellit repugnãtia, donec per angusta aut nactus est uiam exeundi ad cœlũ, aut ui, aut iniuria fecit. Alij in igne causam quidem esse, sed non ob hoc iudicant, sed quia pluribus obrutus locis ardeat, & proxima quæq; consumat. Qui siquando exesa ceciderint, tunc sequi motum earum partium, quæ subiectis adminiculis destitutæ labant, donec corruêre, nullo occurrente, quod onus exciperet. Tunc chasmata, tunc hiatus uasti aperiuntur, aut cum diu dubitauere, super ea se, quæ supersunt, stantq;, cõponunt. Hoc apud nos quoq; uidemus accidere, quoties incendio pars ciuitatis laborat, cum exustæ trabes sunt, aut corruptæ, quæ superioribus firmamentum dabant, tunc diu agitata fastigia concidunt, & tandiu deferuntur, atq; incerta sunt, donec in solido resederunt.

Caput X.

Naximenes dit terram ipsam sibi esse causam motus, nec extrinsecus incurrere, quod illam impellat, sed intra ipsam & in ipsa. Quasdam enim parteis eius decidere, quas aut humor resoluerit, aut ignis exederit, aut spiritus uiolentia excusserit.

excusserit. Sed his quoq; cessantibus non deesse, propter quod aliquid abscedat, aut reuellatur. Nam primũ omnia uetustate labuntur, nec quicq̃ tutum a senectute est. Hæc solida quoq;, et magni roboris carpit. Itaq; quemadmodum in ædificijs ueteribus quædam non percussa, tamen decidunt, cum plus ponderis habuere, q̃ uirium, ita in hoc uniuerso terræ corpore euenit, ut partes eius uetustate soluãtur, solutæ cadant, & tremorem superioribus afferant, primum dum abscedunt (nihil enim utiq; magnum sine motu eius, cui hæsit, abscinditur) deinde cum deciderunt, solido exceptæ, resiliunt pilæ more, quæ cum cecidit exultat, ac sæpius pellitur, toties a solo in nouum impetum missa. Si uero in stagnantibus aquis delata sunt, hic ipse casus uicina concutit fluctu, quem subitum, uastumq; illisum ex alto pondus eijcit.

Caput XI.

Vidam ignibus quidem assignant hunc tremorem, sed
q aliter. Nam cum pluribus locis ferueant, necesse est ingentem uaporem sine exitu uoluant, qui ui sua spiritum intendit, & si acrius institit, opposita diffundit, si uero remissior fuit, nihil amplius, quàm mouet. Videmus aquam spumare igne subiecto. Quod in hac aqua facit inclusa & angusta, multo magis illum facere credamus, cum uiolentus, ac uastus ingentes aquas excitat. Tunc ille uaporatione inundantium aquarum, quicquid pulsauerit, agitat.

Caput XII.

Spiritum esse qui moueat, & plurimis, & maximis au-
ſ thoribus placet. Archelaus antiquitatis diligens ait ita. Venti in concaua terrarum deferuntur, deinde ubi iam omnia spatia plena sunt, et inquantum aër potuit densatus est, is qui superuenit spiritus, priorem premit, & elidit, ac frequentibus plagis primo cogit, deinde perturbat. Tunc ille quærens locum, omnes angustias dimouet, & claustra sua conatur effringere. Sic euenit, ut terræ spiritu luctante, & fugam quærente, moueantur. Itaq; cum terræmotus futurus est, præcedit aëris tranquillitas & quies, uidelicet, quia uis spiritus, quæ concitare uentos solet, in inferna sede detinetur. Nunc quoq; cum hic motus in Campania fuit, quãuis hyberno tempore, tamen quietus per superiores dies a cœlo aër stetit. Quid ergo? Nunquam flante uento terra concussa est? Admodum raro duo simul flauere uenti. Fieri tamen & potest & solet. Quod si recipimus, & constat duos uentos rem simul gerere, Quidnam accidere possit, ut alter superiorem aëra agitet, alter inferum?

Caput XIII.

N hac ſententia licet ponas Ariſtotelem, et diſcipulum eius
i Theophraſtum, non, ut græcis uiſum eſt, diuini, tamen & dulcis eloquij uirum, & nitidi ſine labore. Quid utriq; placeat exponam. Semper aliqua euaporatio eſt è terra, quæ modo arida eſt, modo humido miſta. Hæc ab infimo edita, & inquantum potuit elata, cum ulteriorem locum, in quem exeat, non habet, retro fertur, atq; in ſe reuoluitur, dumq; rixa ſpiritus reciprocantis iactat obſtantia, & ſiue intercluſus, ſiue per anguſta euiſus eſt, motum ac tumultum ciet. Straton ex eadem ſchola eſt, qui hanc partem philoſophiæ maxime coluit, & rerum naturæ inquiſitor fuit. Huius tale decretum eſt, frigidum & calidum ſemper in contraria abeunt, et una` eſſe non poſſunt, eò` frigidum conſluit, unde uis calida diſceſſit, & inuicem ibi calidum eſt, unde frigus expulſum eſt. Hoc quod dico uerum eſt, ſed utrunq; in contrarium agi, ex hoc tibi appareat. Hyberno tempore, cum ſupra terram frigus eſt, calent putei, nec minus ſpecus, atq; omnes ſub terra receſſus, quia eò` ſe calor contulit, ſuperiora poſſidenti frigori cedẽs. Qui cum in inferiora peruenit, et eò` ſe quantum poterat ingeſſit, quò` denſior, hòc ualidior eſt, huic alius ſuperuenit, cui neceſſario congregatus ille iam, et in anguſtum preſſus loco cedit. Idem econtrario euenit, cum uis maior frigidi illata in cauernis eſt, quicquid illic calidi latet, frigori cedens abit in anguſtum, & magno impetu agitur, quia non patitur utriuſq; natura concordiam, nec in uno moram. Fugiens ergo, & omni modo cupiẽs excedere, proxima quæq; remolitur, ac iactat. Ideoq; ante, q̃ terra moueatur, ſolet mugitus audiri, uentis in abdito tumultuantibus, nec enim aliter poſſet, ut ait noſter Virgilius,

» Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cælſa moueri,

niſi hoc eſſet uentorum opus. Vices deinde huius pugnæ ſunt, deſinit calidi congregatio, ac rurſus eruptio. Tunc frigida compeſcuntur, & ſuccedunt mox futura potentiora. Dum ergo alterna uis curſat, & ultro citroq; ſpiritus commeat, terra concutitur.

Caput XIIII.

Vnt qui exiſtiment ſpiritu quidem, & nulla alia ratione
ſ tremere terrã, ſed ex alia cauſa, quam Ariſtoteli placuit. Quid ſit quod ab his dicatur audi. Corpus noſtrum & ſanguine irrigatur & ſpiritu, qui per ſua itinera diſcurrit. Habemus autem quædam anguſtiora animæ receptacula, p quæ nihil amplius, quàm meat, quædam patentiora, in quibus colligitur, & inde diuiditur

uiditur in parteis. Sic hoc totum terrarum omniũ cœrpus, & aquis, quæ uicem ſanguiniis tenent, & uentis, quos nihil aliud quis, q̃ animam uocauerit, peruium eſt. Hæc *duo alibi concurrunt, alibi conſiſtunt. Sed quemadmodum in cœrpore noſtro, dum bona ualetudo eſt, uenarum quoq; imperturbata mobilitas modum ſeruat, ubi aliquid aduerſi eſt, micat crebrius, & ſuſpiria atq; anhelitus laborantis, ac feſſi ſigna ſunt, ita terræ quoq;, dum illis poſitio naturalis eſt, inconcuſſæ manent, cum aliquid peccatur, tunc uelut ægri cœrporis motus eſt, ſpiritu illo, qui modeſtius perfluebat, icto uehementius, & quaſſante uenas ſuas.* Nec *ut illi paulo ante dicebant, q̃bus animal placet eſſe terram, nam ſi hoc eſt, quemadmodum animal, tota uexationem ſentiet. Neq; enim in nobis febris alias parteis moratius impellit, ſed per omneis pari æqualitate diſcurrit. Vide ergo nunc, quod intret in illam ſpiritus ex circumfuſo aëre, qui quãdiu habet exitum, ſine iniuria labitur, ſi offendit aliquid, & incidit quod uiã claudat, tunc oneratur, primo infundente ſe à tergo aëre, déinde p aliquam rimam maligne fugit, & hòc acrius fertur, quò anguſtius. Id ſine pugna non poteſt fieri, nec pugna ſine motu. At ſi nec rimam quidem, per quam effluat, inuenit, conglobatus illic furit, & huc atq; illò circũagitur, aliáq; deijcit, alia intercîdit, cum tenuiſſimus, idemq; fortiſſimus & irrepat quamuis in obſtructa, & quicquid intrauerit, ui ſua diducat & diſſipet. Tunc terra iactatur, aut enim datura uento locum diſcedit, aut cum dedit, in ipſam, qua illum emiſit, cauernam fundamento ſpoliata conſidit.*

Caput XV.

Vidam ita exiſtimant. Terra multis locis perforata eſt,
q *nec tantum primos illos aditus habet, quos uelut ſpiramenta ab initio ſui recepit, ſed multos illi caſus impoſuit. Alicubi deduxit, quicquid ſuperne terreni erat aqua, alia torrentes cecidere, alia æſtibus magnis dirupta patuere. Per hæc interualla intrat ſpiritus, quem ſi incluſit mare, & adegit, nec fluctus retro abire permiſit, tunc ille exitu ſimul reditúq; præcluſo, uolutatur. Et quia in rectum non poteſt tendere, quod illi naturale eſt, in ſublime ſe intendit, & terram prementem reuerberat.*

Caput XVI.

Tiamnum dicendum eſt, quod pleriſq; authoribus pla-
e *cet, & in quo fortaſſe fiet diſſenſio. Non eſſe terram ſine ſpiritu palàm eſt, non tantum illo dico, quo ſe tenet ac parteis ſui iungit, qui ineſt etiam ſaxis mortuiſq; cœrpo-*

ribus, ſed illo dico uitali, & uegeto, & alente omnia. Hunc niſi haberet, quomodo tot arbuſtis ſpiritum infunderet, non aliunde uiuentibus, & tot ſatis? Quemadmodum tam diuerſas radiceſ aliter, atq; aliter in ſe merſas foueret, quaſdam ſumma receptas parte, quaſdam altius tractas, niſi multum haberet animæ, tam multa, tam uaria generantis, & hauſtu atq; alimento ſui educantis? Leuibus adhuc argumentis ago. Totum hoc cœlum, quod igneus æther, mundi ſumma pars claudit, omnes hæ ſtellæ, quarum inueniri non poteſt numerus, omnis hic cœleſtium cœtus, & (ut alia prætream) hic tam prope a nobis agens curſum ſol, omni terrarū ambitu non ſemel maior, alimentum ex terreno trahunt, & inter ſe partiuntur. Nec ullo alio ſcilicet, q̃ halitu terrarum ſuſtinentur? Hoc illis alimentum, hic paſtus eſt. Non poſſet autem tam multa, tantoq; ſe ipſa maiora terra nutrire, niſi plena eſſet animæ, quam per diem ac noctem ab omnibus partibus ſuis fundit. Fieri enim non poteſt, ut non multum illi ſuperſit, ex qua tantum petitur ac ſumitur, & ad tempus quidem, quod exeat naſcitur. Nec enim eſſet perennis illi copia ſuffecturi in tot cœleſtia ſpiritus, niſi inuicem iſta excurrerent, & in aliud alia ſoluerentur. Sed tamen neceſſe eſt abundet ac plena ſit, & ex condito proferat. Non eſt ergo dubium quin multum ſpiritus lateat intus, & cæca ſub terra ſpatia aër latus obtineat. Quod ſi uerum eſt, neceſſe eſt id ſæpe moueatur, quod re mobiliſſima plenum eſt. Nunquid enim dubiū eſſe poteſt cuiquam, quin nihil ſit tam inquietum q̃ aër, & tam uerſabile & uagatione gaudens?

Caput XVII.

Sequitur ergo, ut naturam ſuam exerceat, & quod ſemper moueri uult, aliquando & alia moueat. Id quandó fit? Cum illi curſus interdictus eſt. Nam quãdiu non impeditur, placide fluit, cum offenditur & retinetur, inſanit, & moras ſuas arripit, non aliter, quàm ille

» -Pontem indignatus Araxes.

Quãdiu illi facilis & liber eſt alueus, primas quaſq; aquas explicat. Vbi ſaxa manu, uel caſu illata, in latere preſſere uenientem, tunc impetum mora quærit, & quò plura oppoſita ſunt, plus inuenit uiriū. Omnis enim illa unda quæ a tergo ſuperuenit, & in ſe creſcit, cū onus ſuum ſuſtinere nó potuit, uim ruina parat, & prona cum his quæ obiacebant fugit. Idem ſpiritu fit, qui quò ualentior agiliorq; eſt, eò citius rapitur et uehementius ſeptus omneis diſturbat. Ex quo motus fit ſcilicet eius partis, ſub qua pugnatum eſt. Quod dicitur, uerū eſſe ex illo proba-

tur,

tur, ſæpe enim cũ terræmotus fiunt, ſi modo pars eius aliqua diruptæ erat, inde uentus per multos dies fluxit. Vt traditur factum eo terræ motu, quo Chalcis laborauit, quod apud Aſclepiodotum inuenies auditorem Poſſidonij, in ipſis quæſtionum naturalium cauſis. Inuenies & apud alios authores hiaſſe uno loco terram, & inde non exiguo tempore ſpiraſſe uentum, qui ſcilicet illud iter ipſe ſibi fecerat, ꝑ quod ferebatur.

Caput XVIII.

Maxima ergo cauſa eſt, propter quam terra moueatur ſpiritus natura citus, & locum è loco mutans. Hic quãdiu nõ impellitur, & in uacanti ſpatio latet, iacet innoxius, nec circũiectis moleſtus eſt. Vbi illum extrinſecus ſuperueniens cauſa ſolicitat compellitq;, & in arctum agit, ſcilicet adhuc cedit tantum et uagatur. Vbi erepta diſcedendi facultas eſt, et undiq; obſiſtitur, tunc

» -Magno cum murmure montis
» Circum clauſtra fremit,- quæ diu pulſata conuellit ac iactat,

eo acrior quo cum ualentiore mora luctatus eſt. Deinde cum circa perluſtrauit omne quo tenebatur, nec potuit euadere, inde quo maxime impactus eſt, reſilit, & aut per occulta diuiditur, ipſo terræ motu raritate facta, aut ꝑ nouum uulnus emicuit. Ita eius uis tanta non poteſt cohiberi, nec uentum tenet ulla compages, ſoluit enim quodcunq; uinculum, & omne onus fert ſecum, infuſusq; per minima, laxamentum ſuperat. Indomita naturæ potentia libera eſt, utiq; cum concitatius ſibi ius ſuum uindicat. Spiritus uero inuicta res eſt, nihil enim erit quod

» luctantem uentos, tempeſtatesq; ſonoras
» Imperio premat, ac uinclis & carcere frenet.

Sine dubio poëtæ hunc uoluerũt uideri carcerem, in quo ſub terra clauſi laterent. Sed hoc non intellexerunt, nec id, quod clauſum eſt, eſſe adhuc uentum, nec id, quod uẽtus eſt, poſſe iam claudi. Nam quod in clauſo eſt, quieſcit, & aëris ſtatio eſt. Omnis in fuga uentus eſt. Etiamnum et illud accedit his argumentis, per quod appareat, quod motum efficit ſpiritus, quod corpora quoq; noſtra nõ aliter tremunt, quàm ſi ſpiritum aliqua cauſa perturbat, cum timore contractus eſt, cum ſenectute langueſcit, & uenis torpentibus marcet, cum frigore inhibetur, aut ſub acceſſionem curſu ſuo deijcitur. Nam quãdiu ſine iniuria perfluit, & ex more procedit, nullus eſt tremor corpori. Cum aliquid occurrit, quod inhibeat eius officium, tunc parum potens in perferendis his, quæ ſuo uigore tenebat, deficiens concutit, quicquid integer tulerat.

Caput XIX.

Etrodorum Chium necesse est audiamus, quod uult sententiæ loco dicentem. Non enim permitto mihi nec eas quidem opiniones præterire, quas improbo, cum satius sit omnium copiam fieri, & quæ improbamus, damnare potius, q̃ præterire. Quid ergo dicit? Quomodo in dolio cantantis uox per totum cum quadam discussione percurrit ac resonat, et tam leuiter mota tamen circuit non sine tactu eius, tumultuq; quo inclusa est, sic spelunc arũ sub terra pendentium uastitas habet aëra suum, quem simul alius superne incidens percussit, agitat non aliter, quàm illa de quibus paulo ante retuli, inania indito clamore sonuerunt.

m

Caput XX.

Eniamus nunc ad eos qui omnia ista, quæ retuli, in causa esse dixerunt, aut ex his plura. Democritus plura putat, ait enim motum aliquando spiritu fieri, aliquando aqua, aliquando utroq;, & id hoc modo prosequitur. Aliqua pars terræ concaua est, in hanc aquæ magna uis confluit. Ex hac est aliquid tenue, & cæteris liquidius. Hoc cum superueniente grauitate reiectum est, terris illiditur, & illas mouet. Nec enim fluctuare potest sine motu eius, in quod impingitur. Etiamnũ quomodo de spiritu dicebamus, de aqua quoq; dicendum est. Vbi in unum locum congesta est, & capere se desierit, aliquo incumbit, & primo uiam pondere aperit, deinde impetu. Nec enim exire nisi per deuexum potest diu inclusa, nec indirectum cadere moderate, aut sine concussione eorũ, per quæ & in quæ cadit. Si uero, cum iam rapi cœperit, aliquo loco substitit, & illa uis flumnis in se reuoluta est, in continentem terram repellitur, & illam, qua parte maxime pendet, exagitat. Præterea aliquando madefacta tellus, liquore penitus accepto, altius sidit, & fundus ipse uitiatur, tunc ea pars premitur, in quam maxime aquarum uergentium pondus inclinat. Spiritus uero nonnunquam impellit undas; & si uehementius institit, eam scilicet terræ partẽ mouet, in quam coactas aquas intulit. Nonnunquam in coacta itinera coniectus, & exitum quærens, mouet omnia. Terra autem penetrabilis uentis est, & spiritus subtilior est, quàm ut possit excludi, & uehementior, quàm ut possit sustineri concitatus ac rapidus. Omnes istas esse posse causas Epicurus ait, plures q; alias tentat, et alios, qui aliquid unum ex istis esse affirmauerunt, corripit, cum sit arduum de his quæ coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere. Ergo (ut ait) potest terram mouere aqua, si partes aliquas

u

eluit, & abraſit, quibus desijt posse extenuatis ſuſtineri, quod integris ferebatur. Potest terram mouere impressio ſpiritus. Fortasse enim aër extrinſecus alio intrante aëre, agitatur. Fortasse aliqua parte ſubitò decidente percutitur, & inde motum capit. Fortasse aliqua pars terræ uelut columnis quibuſdam ac pilis ſuſtinetur, quibus uitiatis ac recedentibus, tremit pondus impoſitum. Fortasse calida uis ſpiritus in ignem uerſa, & fulmini ſimilis, cum magna ſtrage obſtantium fertur. Fortasse paluſtres & iacentes aquas aliquis flatus impellit, & inde aut ictus terrã quatit, aut ſpiritus agitatio, ipſo motu creſcens & ſe incitans, ab imo in ſumma uſq; perfertur. Nullam tamen illi placet cauſam motus eſſe maiorem, quàm ſpiritum.

Caput XXI.

Obis quoq; placet hunc ſpiritum eſſe, qui tanta poſſit co-
n nari, quo nihil eſt in rerum natura potentius, nihil acrius, ſine quo nec illa quidem, quæ uehementiſſima ſunt, ualent. Ignem ſpiritus concitat, aquæ, ſi uentum detrahas, inertes ſunt. Tunc demum impetum ſumunt, cum illas agit flatus, qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum, & nouos montes ſubiectus extollere. Et inſulas non ante uiſas in medio mari ponere. Therem & Theream, & hanc noſtræ ætatis inſulam ſpectantibus nobis in Aegæo mari natam, quis dubitat, quin in lucem ſpiritus uexerit? Duo genera ſunt (ut Poſſidonio placet) quibus mouetur terra, utriq; nomen eſt proprium. Altera ſuccuſſio eſt, cum terra quatitur, & ſurſum ac deorſum mouetur, altera inclinatio, qua in latera nutat nauigij more. Ego & tertium illud exiſtimo, quod noſtro uocabulo ſignatum eſt, non enim ſine cauſa tremorem terræ dixere maiores, qui utriq; diſſimilis eſt, nam nec ſuccutiuntur tunc omnia, nec inclinantur, ſed uibrantur. Res minime in huiuſmodi caſu noxia, ſicut longe pernicioſior eſt inclinatio concuſſione. Nam niſi celeriter ex altera parte properabit motus, qui inclinata reſtituat, ruina neceſſario ſequitur. Cum diſſimiles hi motus inter ſe ſint, cauſæ eorum diuerſæ ſunt.

Caput XXII.

Rius ergo de motu quatiente dicamus. Siquando magna
p onera per uicos uehiculorum plurium tracta ſunt, & rotæ maiore niſu in ſalebras inciderunt, terram concuti ſentiet. Aſclepiodotus tradit, cum petra è latere montis abrupta cecidiſſet, ædificia uicina tremore collapſa ſunt. Idem ſub terris fieri poteſt, ut ex his quæ impendent rupibus aliqua reſoluta, magno pondere ac ſono in ſubiacentem cauernam cadat, eò uehementius,

quo aut plus ponderis habuit, aut uenit altius, & sic cõmouetur omne tectum cauatæ uallis. Nec tantum pondere suo abscindi saxa credibile est, sed cum flumina supra ferantur, assiduus humor commissuras lapidis extenuat, & quotidie his ad quæ religatus est aufert, & illam (ut ita dicam) cutem, qua continetur abradit. Deinde longa per ævum diminutio usq; eo infirmat illa, quæ quotidie attriuit, ut desinant esse oneri ferendo. Tunc saxa uasti ponderis decidũt, tunc illa præcipitata rupes, quicquid ab illo repercussit, non passura consistere, sonitu uenit,

» -Et ruere omnia uisa repente, ut ait Virgilius noster. Huius motus sucutientis terras hæc erit causa, ad alteram transeo.

Caput XXIII.

r Ara terræ natura est, multumq; habens uacui, per has raritates spiritus fertur, qui ubi maior influxit nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & alijs (ut paulo ante retuli) causa. Siqd apud te profectura testiũ turba est, hanc etiã Calisthenes probat, nõ contẽptus uir, fuit enim illi nobile ingeniũ, & furibundi regis impatiens. Hic est Alexandri crimen æternum, quod nulla uirtus, nulla bellorũ felicitas redimet. Nã quoties quis dixerit, occîdit Persarũ multa milia, opponetur, & Calisthenẽ. Quoties dictũ erit, occîdit Darium, penès quem tunc magnum regnum erat, opponetur, & Calisthenem. Quoties dictũ erit, omnia oceanótenus uicit, ipsum quoq; tentauit nouis classibus, & imperiũ ex angulo Thraciæ usq; ad orientis terminos protulit, dicetur, sed Calisthenẽ occîdit. Omnia licet antiqua ducũ regumq; exẽpla transierit, ex his, quæ fecit nihil tam magnũ erit, q̃ scelus. Hic Calisthenes in libris quibus describit quemadmodũ Helicæ, Burisq; mersæ sunt, quis illas casus in mare, uel in illas mare immersit, dicit id quod in priore parte dictum est, spiritus intra, terram per occulta foramina, quemadmodũ ubiq;, ita & sub mari. Deinde cum est obstructus ille trames, per quẽ descenderat, reditum autẽ illi a tergo resistens aqua abstulit, huc & illuc fertur, & sibi ipse occurrens terram labefactat. Ideo frequentissime mari appositæ uexantur, & inde Neptuno hæc assignata est maris mouendi potentia. Quisquis primas literas græcas didicit scit illũ apud Homerum σεισίχθονα uocari.

Caput XXIIII.

ſ Piritum esse huius mali causam & ipse consentio, de quo disputabo, quomodo intret hic spiritus, utrum per tenuia foramina, nec oculis comprehensibilia, an per maiora ac patentiora. Et utrum ab imo, an etiam per summa terrarum. Hoc

incredibile est. Nam in nostris quoq; corporibus cutis spiritum re= spuit, nec est illi introitus, nisi per quem trahitur, nec consistere qui= dem à nobis receptus potest, nisi in laxiore corporis parte. Nō enim inter neruos pulpasue, sed in uisceribus, & patulo interioris par= tis recessu cōmoratur. Idem de terra suspicari licet, uel ex hoc, quod motus non in summa terræ, circa ue summa est, sed subter & ab imo. Huius indicium est, quod altitudinis profundæ maria iactan= tur, motis scilicet his, supra quæ fusa sunt. Ergo uerisimile est terram ex alto moueri, & illic spiritum in cauernis ingentibus concipi. Immò (inquit) ceu cum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoq; spiritus extrinsecus accedens quassat. Quod nullo modo potest fieri. Algere enim debet, ut idem illi accidat, quod nobis, quos externa causa in horrorem agit. Accidere autem terræ simile quid= dam nostræ affectionis, sed non ex simili causa concesserim. Illam interior & altior iniuria debet impellere. Cuius rei argumentum uel maximum hoc potest esse, quod cum uehementi motu adapertū ingenti ruina solum est, totas nonnunquam urbes & recipit hiatus ille, & abscondit. Thucydides ait, circa Peloponnesiaci belli tempus Atalantem insulam aut totam, aut certe maxima ex parte superfu= sam. Idem Sidone accidisse Possidonio crede. Nec ad hoc testibus opus est. Meminimus enim terris interno motu diuulsis, loca disiecta, & campos interisse. Quodiam dictum quemadmodum existimem fieri.

Caput XXV.

Vm spiritus magna ui in uacuum terrarum locum penitus
c applicuit, cœpitq; rixari, & de exitu cogitare, latera ipsa, inter quæ latet, sæpius percutit, supra quæ urbes inter= dum sitæ sunt, hæc nonnunquam adeo concutiuntur, ut ædificia superposita procumbant. Nonnunquam in tantum, ut parietes, qbus fertur omne regimen cæui, decidant in illum subterua cantem locum, totæq; urbes in immensam altitudinem uergant. Si uelis credere, aiunt aliquando Ossam Olympo cohæsisse, deinde terrarum motu recessisse, & scissam unius magnitudinem montis in duas parteis. Tunc effugisse Peneion, qui paludes, quibus laborabat Thessaliæ, siccauit, abductis in se, quæ sine exitu stagnauerant, aquis. Ladon flu= men inter Elim & Megalempolim medius est, quem terrarum mo= tus effudit. Per hoc quid probo, in laxos specus (quid enim aliud ap= pellem loca uacua sub terris) spiritum conuenire. Quod nisi esset, magna terrarum spatia commouerentur, & una multa titubarent. Nunc exiguæ partes laborant, nec unquam per ducenta milia mo=

tus extenditur. Ecce hic qui impleuit fabulis orbem, non transcendit Campaniam. Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? Cum laborauit Aegine tam propinquas illi Patras de motu nihil audisse? Illa nasta concussio, quæ duas suppressit urbeis Helicen, & Burim, circa Aegæum constitit. Apparet ergo in tantum spatium motum pertendere, quantum illa sub terris uacantis loci inanitas pateat.

Caput XXVI.

Oteram ad hoc probandum abuti authoritate magnorũ uirorum, qui Aegyptum nunquam tremuisse tradunt. Rationem autem huius rei hanc reddunt, quod ex limo tota concreuerit. Tantum enim (si Homero fides est) aberat à continenti Pharos, quantum nauis diurno cursu metiri plenis lata uelis potest, sed continenti admota est. Turbidus n. defluens Nilus, multumq; secũ cœni trahẽs, et id súbinde apponẽs prioribus terris, Aegypto annuo incremento semper ultra tulit. Inde pinguis et limosi soli est, nec ulla interualla intra se habet, sed creuit in solidum arescente limo, quo pressa erat et sedẽs structura, cũ partes glutinarẽtur, nec qcq̃ inane interuenire poterat, cũ solido liquidum, ac molle semper accederet. Sed mouetur & Aegyptus, et Delos, quam Virgilius stare iussit,

» Immotamq; coli dedit, & contemnere uentos.

Hanc philosophi quoq;, credula natio, dixerunt non moueri authore Pindaro. Thucydides ait, antea quidem immotam fuisse, sed circa Peloponnesiacum bellum tremuisse. Calisthenes & alio tempore ait hoc accidisse. Inter multa, inquit, prodigia qbus denunciata est duarum urbium Helices & Buris euersio, fuere maxime notabilia, columna ignis immensi, & Delos agitata. Quam ideo stabilem uideri uult, quia mari imposita sit, habeatq; concauas rupeis, & saxa peruia, quæ dent deprehenso aëri reditum. Ob hoc etiam insulas esse certioris soli, urbeisq; eò tutiores, quò propius ad mare accesserunt. Falsa hæc esse Pompeij & Herculaneũ sensere. Adijce nunc, qđ omnis ora maris obnoxia est motibus, sic Paphos nõ semel corruit, sic nobilis, et huic iam familiaris malo Nicopolis. Cyprũ ambit altum mare, & agitatur. Tyros & ipsa tam mouetur, q̃ diluitur. Hæ ferè causæ redduntur, propter quas tremat terra.

Caput XXVII.

Vædam tamen propia in hoc Campano motu accidisse q narrantur, quorum ratio reddenda est. Aiunt enim sexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeiana regione. Non est, quare hoc putes ouibus illis timore accidisse. Diximus solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri, nec id mirum

est, multa enim mortifera in alto latent. At aër ipse qui uel terrarum culpa, uel pigritia, & æterna nocte torpescit, grauis haurientibus est. Vel corruptus internorum ignium uitio, cum est longo situ emissus, purum hunc, liquidumq; maculat, ac polluit, insuetumq; ducentibus spiritum affert noua genera morborum. Quid, quod aquæ inutiles, pestilentesq; in abdito latent, ut quas nunquam usus exercæat, nunquam aura liberior uerberet? Crassæ itaq;, & graui caligine, sempiternaq; tectæ, nihil nisi pestiferum in se, & corporibus nostris contrarium habent. Aër quoq;, qui mistus est illis, quiq; inter illas paludes iacet, cum emersit, late uitium suum spargit, et haurientes necat. Facilius autẽ pecora sentiunt, in quæ pestilentia incurrere solet, quo' auidiora sunt, aperto cœlo plurimũ utuntur, et aquis, quarũ maxima in pestilẽtia culpa est. Oues uero mollioris naturæ, quo' propriora terris ferunt capita, corruptas esse non miror, cum afflatũ diri aëris circa ipsam humum exæperint. Nocuisset ille & hominibus, si maior exisset, sed illũ copia aëris sincëri extinxit, ante, q̃ ut ab homine posset trahi, surgeret. Caput XXVIII.

m Vlta autem terras habere mortifera uel ex hoc intellige, quod tot uenena nascuntur, non manu sparsa, sed sponte, solo scilicet habente ut boni, ita mali semina. Quid, quod pluribus Italiæ locis per quædam foramina pestilens exhalatur uapor, quem non homini ducere, non feræ tutum est. Aues quoq; si in illum inciderint ante, quàm cœlo meliore leniatur, in ipso uolatu cadunt, liuentq; corpora, & non aliter quàm per uim elisæ fauces tument. Hic spiritus quãdiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiæ habet, quàm ut despectantia, & ultro sibi illata conficiat. Vbi per sæcula conditis tenebris, ac tristitia loci creuit in uitium, ipsa ingrauescit mora, hòc peior, quo' segnior. Cum autem exitum nactus est, æternum illud umbrosi frigoris malum, & infernam noctem soluit, ac regionis nostræ aëra infuscat. Vincũtur enim meliora peioribus. Tunc etiam ille spiritus purior transit in noxiũ. Inde subitæ, continuæq; mortes, & monstrosa genera morborum, ut ex nouis orta causis. Breuis aut longa clades est, prout uitia ualuere. Nec prius pestilentia desinit, quàm spiritum illum grauem exercuit laxitas cœli, uentorumq; iactatio.* Caput XXIX.

n Am quod aliquos insanis, attonitisq; simileis discurrere fecit metus, qui excutit menteis, ubi priuatus ac modicus est, quid ubi publicæ terret, ubi cadunt urbes, populi opprimuntur, terra concutitur? Quid mirum est animos inter dolorem

& metum destitutos aberrasse? Non est facile inter magna mala non desipere. Itaq; leuissima ferè ingenia in tantum uenére formidinis, ut sibi excíderent. Nemo quidem sine aliqua iactura sanitatis expauit, similisq; furenti, quisquis timet. Sed alios citò timor sibi reddit, alios uehementius perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella errauere lymphatici, nec usquam plura exempla uaticinantium inuenies, quàm ubi formido mentes religione mista pcussit. Statuam diuisam non miror, cum dixerim montes à montibus recessisse, & ipsum diruptum esse ab imo solum.

» Hæc loca ui quondam, & uasta conuulsa ruina
» (Tantum æui longinqua ualet mutare uetustas)
» Dissiluisse ferunt, cum protinus utraq; tellus
» Vna foret, uenit medio ui pontus, & undis
» Hesperium siculo latus abscidit, aruaq; & urbes
» Littore diductas, angusto interluit æstu.

Vides totas regiones à suis sedibus reuelli, & trans mare iacére, quod in confinio fuerat. Vides & urbium fieri gentiumq; dissidium, cum pars naturæ concitata est de se, uel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorũ mira, ut ex toto, uis est. Quamuis enim parte sæuiat, mundi tamen uiribus sæuit. Sic & Hispanias à contextu Africæ mare eripuit, sic hac inundatione, quam poëtarum maximi cælebrant, ab Italia Sicilia reiecta est. Aliquanto autem plus impetus habent, quæ ex infimo ueniunt. Acriora enim sunt, in quibus nisus est per angusta. Quantas res hi terrarum tremores, quamq; mira spectacula ediderint, satis dictum est.

Caput XXX.

Vr ergo aliquis ad hoc stupet, quod æs unius statuæ, ne so
c lidum quidem, sed concauum ac tenue diruptum est, cum fortasse in illud se spiritus quærens fugam incluserit? Illud uero quis nescit? Diductis ædificia angulis uidimus moueri, iterumq; componi. Quædam uero parum aptata positu suo, & à fabris negligentius solutusq; composita, terræmotus sæpius agitata cõpegit. Quod si totos parietes, & totas findit domos, et latera magnarũ turrium, quæ solida sunt, scindit, & pilas operibus subditas dissipat, quid est, quare quisquam dignum annotari putet, sectam esse æqualiter ab imo ad caput in partes duas statuam? Quare tamen per plures dies motus fuit, non desijt enim assidue treme re Campania, clementius quidem, sed ingenti damno, quod pressa uel quassata quatiebat, quibus ad cadendum male stantibus, non

erat

erat impelli, sed agitari. Nondum uidelicet spiritus omnis exierat, sed adhuc emissa sui parte maiore oberrabat. Caput XXXI.

i Nter argumenta, quibus probatur spiritu ista fieri, non est q̃ dubites et hoc ponere. Cum maximus editus tremor est, quo in urbeis terrasq; sæuitum est, non potest par illi subsequi alius, sed post maximum leues motus sunt, quia uehementius exitum uentis luctantibus fecit. Reliquiæ deinde residui spiritus non idem possunt, nec illis pugna opus est, cum iam uiam inuenerint, sequenturq; eã, quã prima uis ac maxima euasit. Hoc quoq; dignũ memoria iudico, ab eruditissimo et grauissimo uiro cognitum. forte enim cum hoc euenit lauabatur, uidisse se affirmat in balneo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab altera separari, iterumq; committi, & aquam modo recipi in commissuras pauimento recedente, modo compresso bullire & elidi. Eundem audiui narrantem uidisse se molleis materias, mollius crebriusq; tremere, quàm natura duras.

Caput XXXII.

h Aec Lucili uirorum optime quantum ad ipsas causas. Illa nunc, quæ ad confirmationem animorum pertinent, quos magis refert uestra fortiores fieri, q̃ doctiores, sed alterũ sine altero nõ fit. Non.n. aliunde animo uenit robur, quàm a` bonis artibus, q̃ a` contemplatione naturæ. Quẽ enim non hic ipse casus áduersus omneis firmauerit et erexerit? Quid est enim, cur ego homnẽ aut feram? Quid est, cur sagittam aut lanceã, tremã? maiora me pericula expectant. Fluminibus & terris et magnis naturæ partibus petimur. Ingenti itaq; animo mors prouocanda est, siue nos æquo uastoq; impetu aggreditur, siue quotidiano & uulgari exitu. Nihil refert quàm minax ueniat, quãtumq; sit, quod in nos trahat, quod a` nobis petit, minimum est. Hoc senectus a` nobis ablatura est, hoc auriculæ dolor, hoc in nobis humoris corrupti abundantia, hoc cibus parum obsequens stomacho, hoc pes leuiter offensus. Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. Hanc qui contempserit, securus uidebit maria turbari, etiam si illa omnes excitauerint uenti, etiam si æstus aliqua perturbatione mundi, totum in terras uerterit oceanum. Securus aspiciet fulminantis cœli trucem ac horrendam faciem. Frangatur licet cœlum, & igneis suos in exitium omnium, in primis suum misceat. Securus aspiciet ruptis compagibus debiscens solum. Illa licet inferorum regna retegantur, stabit super illam uoraginem intrepidus, & fortasse, quo debet cadere, disiliet. Quid ad me, quàm sint magna quibus pereo? Ipsum

perire non eſt magnum. Próinde ſi uolumus eſſe feliçes, ſi nec hominum, nec deorum, nec rerum timore uerſari, ſi deſpicere fortunam ſuperuacua promittentem, leuia minitantem, ſi uolumus tranquille degere, & ipſis dijs de felicitate contreuerſiam agere, anima in expedito eſt habenda. Siue illam inſidiæ, ſiue morbi petent, ſiue hoſtium gladij, ſiue inſularum cadentium fragor, ſiue ipſarum ruina terrarum, ſiue uaſta uis ignium, urbeis agroſq; pari clade complexa. Qui uolet, illã accipiat. Quid aliud debeo, quàm exeuntẽ hortari, et cũ bonis ominibus emittere? uade fortiter, uade feliciter. Nihil dubitaueris reddere. Non de re, ſed de tempore eſt quaſtio. Facis quod quandoq; faciendum eſt, nec rogueris, nec timueris, nec te uelut in aliquod malum exiturum tuleris retro. Rerum natura, quæ te genuit, expectat, & locus melior ac tutior. Illic non tremunt terræ, nec inter ſe uenti cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia regiones urbeſq; uaſtant, non naufragiorum totas claſſeis ſorbentũ metus eſt, non arma contrarijs diſpoſita uexillis, & in mutuam perniciem multorum milium par furor, non peſtilentia, & ardentes promiſcue communes populis cadentibus rogi. Iſtud leue eſt. Quid timemus? Graue eſt. Potius ſemel incidat, quàm ſemper impendeat. Ego autem perire timeam, cum terra ante me pereat, cum iſta quatiantur, quæ quatiunt, et in iniuriã noſtram non ſine ſua ueniunt? Helicen Burimq; totas mare accepit, ego de uno corpuſculo timuã? Supra oppida duo nauigatur, duo autem quæ nouimus, quæ in noſtram notitiam memoria literis ſeruata perduxit. Quàm multa alia alijs locis merſa ſunt? Quot populos aut terra, aut in ſe mare incluſit? Ego recuſem mei finem, cum sciã me ſine fine non eſſe? Immo cum ſciam omnia eſſe finita, ego ultimum ſpiritum timeã? Quantum potes itaq; ipſe te adhortare Lucili contra metum mortis. Hic eſt qui nos humileis facit, hic eſt qui ipſam uitam, cui parcit, inquietat, ac perdit. Hic omnia iſta dilatat, terrarũ motus, & fulmina. Quæ omnia feres conſtanter, ſi cogitaueris nihil intereſſe inter exiguum tempus, & longum. Horæ ſunt quas perdimus. Puta dies eſſe, puta menſeis, puta annos, perdidimus illos, nempe perituros. Quid orote refert, num perueniam ad illos? fluit tempus & auidiſſimos ſui deſerit. Nec quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo, & magni eſt modicum fuiſſe. Elegantèr ille Lælius ſapiens dicenti cuidã ſexaginta annos habeo. Hos, inquit, dicas ſexaginta, quos non habes? Næ ex hoc quidem intelligimus incomprehenſibilis uitæ conditionem, & ſortem temporis ſemper

alieni,

alieni, quod annos annumeramus amissos? Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus, moriendum est. Quando? Quid tua? Mors naturæ lex est, mors tributum officiumq; mortalium, malorumq; omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis hoc unum Lucili meditare, ne mortis nomen reformides, effice illam tibi cogitatione multa familiarem, ut si ita tulerit, possis illi uel obuiam exire.

LVCII ANNEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER SEPTIMVS, ET VLTIMVS. IN QVO AGITVR DE COMETIS.

Caput I.

EMO *usq; adeo tardus & hebes & demissus in terrã est, ut ad diuina nó erigatur, ac tota mente consurgat, utiq; ubi nouum aliquod è cœlo miraculum fulsit. Nam quãdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etiam si admiratione digna sunt, transeant. Contra minimarum quoq; rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum dulcæ fiat. Hic itaq; cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium uultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Nemo obseruat lunam, nisi laborantem, tunc urbes conclamant, tunc pro se quisq; superstitione uana trepidat. Quanto illa maiora sunt, quod sol totidem (ut ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu suo claudit, quod à solstitio ad minuendos dies uertitur, quod à solstitio statum inclinat, & dat spatium noctibus, quod sydera abscondit, quod terras, cum tanto maior sit illis, nó urit, sed calorem suum intensionibus ac remissionibus temperando fouet, quod lunam nunquam implet nisi aduersam sibi, nec obscurat. Hæc tamen non annotamus, quãdiu ordo seruatur. Sed siquid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeo naturale est, magis noua, quàm magna mirari. Idem in Cometis fit, si rarus & insolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non scire quid sit cupit, & oblitus aliorum, de aduentitio*

quærit, ignarus, utrum debeat mirari an timere. Non enim desunt qui terreant, qui significationes eius graues prædicent. Scrutantur itaq; & cognoscere uolunt, prodigium sit, an sydus. At mehercules non aliud quis aut magnificentius quæsierit, aut didicerit utilius, quàm de stellarum syderumq; natura, utrum flamma contracta, quod & uisus noster affirmat, & ipsum ab illis fluens lumen, & calor inde descendens, an non sint flammei orbes, sed solida quædã terrenaq; corpora, quæ per igneos tractus labentia, inde splendorem trahant coloremq;, non de suo clara. In qua opinione magni fuere uiri, qui sydera crediderunt ex duro concreta, & ignem alienum pascentia. Nam per se, inquiunt, flamma diffugeret, nisi aliqd haberet quod teneret, et à quo teneretur, conglobatamq; nec stabili inditam corpori profectò iam mundus turbine suo dissipasset.

Caput II.

a Dhæc inuestiganda proderit quærere, num Cometæ eius conditionis sint, cuius superiora. Videntur enim cum illis quædam habere communia, ortus & occasus, ipsam quoq;, quamuis spargatur, & longius exeat, facẽ, æque enim ignei splendidiq; sunt. Itaq; si omnia terrena sydera sunt, his quoq; eadẽ sors erit. Si uero nihil aliud sunt, q̃ purus ignus, manentq; mensibus senis, nec illos conuersio mundi soluit, & uelocitas, illa quoq; possunt ex tenui constare materia, nec ob hoc discuti assiduo cœli circũactu. Illo quoq; pertinebit hoc excussisse, ut sciamus utrum mundus terra stante circũeat, an mundo stante terra uertatur. Fuerunt enim qui dicerent nos esse, quos rerũ natura nescientes ferat, nec cœli motu fieri ortus & occasus, sed ipsos oriri & occidere. Digna res est contemplatione, ut sciamus in quo rerum statu simus, pigerrimam sortiti, an uelocissimam sedem, circa nos deus omnia, an nos agat. Necessarium est autem ueteres ortus Cometarum habere collectos. Deprehendi enim propter raritatem eorum cursus adhuc non potest, nec explorari, an uices seruent, & illos ad suum diem certus ordo producat. Noua hæc cœlestium obseruatio est, & nuper in Græciã transiecta.

Caput III.

d Emocritus quoq; subtilissimus antiquorum omnium suspicari se ait, plures stellas esse, quæ cõeant, sed nec numerũ illarum posuit, nec nomina, nondum comprehensis quinq; syderum cursibus. Eudoxus primus ab Aegypto hos motus in Græciam transtulit. Hic tamen de Cometis nihil dicit. Ex quo apparet ne apud Aegyptios quidem, quibus maior cœli cura fuit, hanc par-

tem

tem elaboratam. Conon postea diligens & ipse inquisitor, defectiones quidem solis seruatas ab Aegyptijs collegit, nullam autem mentionē fecit Cometarum, non prætermissurus, si quid explorati apud illos cóperisset. Duo certe qui apud Chaldæos studuisse se dicunt, Epigenes & Apollonius Myndius peritissimus inspiciendorum naturaliū, inter se dissident. Hic enim ait Cometas in numero stellarum errantium poni à Chaldæis, teneriq; cursus eorum. Epigenes contra ait, Chaldæos nihil de Cometis habere comprehensum, sed uideri illos accendi turbine quodam aëris concitati & contorti. Caput IIII.

Primum ergo (si tibi uidetur) opiniones huius ponamus, ac refellamus. Huic uidetur plurimum uirium habere ad omneis sublimium motus stella Saturni. Hæc cum proxima signa Martis premit, aut in Lunæ uicinia transit, aut in Solis incidit radios, natura uentosa & frigida, contrahit pluribus locis aëra, conglobatq;. Demū si radios solis assumpsit, tonat fulguratq;. Si Martem quoq; consentientem habet, fulminat. Præterea, inquit, aliam materiam habent fulmina, aliam fulgurationes. Aquarum enim, & omnis humidi euaporatio splendores tantum cœli citra ictum minaces mouet, illa autem calidior, siccior'q; terrarum exhalatio fulmina extundit. Trabes uero, & faces, quæ nullo alio inter se, quàm magnitudine distant, hoc modo fiunt. Cum humida terrena'q; in se globus aliquis aëris clausit, quem turbinem dicimus, quacunq; fertur, præbet speciē ignis extenti. Quæ tandiu durat, quādiu mansit aëris illa cōplexio, humidi intra se terreniq; multū uehens.

Caput V.

Tà proximis mendacijs incipiam, falsum est faces & trabes exprimi turbine. Turbo enim circa terras concipitur ac fertur. Ideoq; arbusta radicitus uellit, & quacunq; incumbit, solum nudat, syluas interim & tecta corripiens, inferior ferè nubibus, utiq; nunquam altior. At contra trabeis æditior cœli pars ostentat, ita nunquā nubibus obstiterunt. Præterea turbo omni nube uelocius rapitur, & in orbem uertitur. Super ista, uelociter desinit, & ipse se sua ui rumpit. Trabes autem non transcurrunt, nec præteruolant ut faces, sed commorantur, & in eadem parte cœli collucent. Charimander quoq; in eo libro, quem de Cometis composuit, ait Anaxagoræ uisum grande insolitumq; cœlo lumen magnitudine amplæ trabis, & id p multos dies fulsisse. Calisthenes tradit ante, quàm Burim, & Helicen mare absconderet. Aristoteles ait, non trabem illam, sed Cometen fuisse, cæterum ob nimium ardorem nō

apparuisse sparsum ignem, sed procedente tempore, cum iam minus flagraret, redditam suam Cometis faciem. In quo igne multa quidem fuerunt digna, quæ notarentur, nihil tamen magis, quàm quod ut ille fulsit in cœlo, statim supra Burim & Helicen mare fuit. Numquid ergo Aristoteles non illam tantum, sed omnes trabes Cometas esse credebat? Hanc habetis differentiam, quod his continuus ignis est, cæteris sparsus. Trabes enim flammam æqualem habent, nec ullo loco intermissam aut languidam, in ultimis uero partibus coactam, qualem fuisse illam, de qua modo retuli, Calisthenes tradit.

Caput VI.

d Vo, inquit Epigenes Cometarum genera sunt. Alij ardorem undiq; effundunt, nec locũ mutant. Alij in unam partem ignem uagum in modum comæ porrigunt, & stellas prætermeant, quales duo ætate nostra uisi sunt. Illi priores criniti undiq; etiam immoti, humiles ferè sunt, & eisdem causis, quibus trabes faces'q; conflantur, & ex intemperie aëris turbidi, multa secum arida humida'q; terris exhalata uersantis. Potest enim spiritus per angusta elisus accendere supra se positum aëra plenum alimentis idoneis igni. Deinde propellere ex nitido, ne ex aliqua causa refluat rursus ac remittatur. Deinde iterum proximo die ac sequentibus consurgere, & eundem locum inflammare. Videmus enim uentos per complureis dies ad constitutum redire. Pluuiæ quoq; & alia tempestatum genera ad præscriptum reuertuntur. Vt breuiter autem uoluntatem eius exprimam, eadem ferè ratione hos fieri Cometas existimat, qua fiunt ignes turbine eiecti. Hoc unum interest, quod illi turbines ex superiori parte in terras deprimuntur. Hi de terra in superiora eleuantur.

Caput VII.

Diuersus hæc multa dicuntur. Primum si uentus in causa
a esset, nunquam Cometes sine uento appareret, nunc autem & quietissimo aëre apparet. Deinde si uento fieret, cum uento caderet. Et si uento inciperet, crescæret uento, eo'q; esset ardentior, quo' ille incitatior. His accedit illud quoq;, q uentus multas aëris parteis impellit, Cometes in uno loco apparet. Et uentus in sublime non peruenit, Cometæ autem uisuntur supra q̃ uentis ire licet. Transit deinde ad illos, quos ait certiorem habere stellarum speciem, qui & procedunt & signa prætereunt. Hos ait ex eisdem causis fieri, quibus illos quos dixit humiliores. Hoc tantum interesse, q terrarum exhalationes multa secum arida ferentes, celsiorem petant partem, & in æditiora cœli Aquilone deinde pellantur.

si illos

Si illos Aquilo propelleret, ad meridiem ſemper agerentur, quo uentus hic nititur. Atqui uarie cõcurrunt, alij in ortum, alij in occaſum, omnes in flexum, quod iter non daret uentus. Déinde ſi Aquilonis illos impetus à terris in altum leuaret, alijs uentis non orirentur Cometæ, atqui oriuntur.

Caput VIII.

Llam nunc rationem eius (utraq; enim utitur) refellamus.

i Quicquid humidi aridiq; terra efflauit, cum in unum cõit, ipſa diſcordia cõporum ſpiritum uerſat in turbinem. Tunc illa uis uenti circumeuntis quicquid intra ſe cõprehendit, curſu ſuo accendit, et leuat in altum, ac tandiu manet ſplendor ignis expreſſi, quãdiu alimenta ſufficiunt, qbus deſinentibus, & ipſe ſubſidit. Qui hoc dicit, non notat qualis ſit turbinum curſus, & qualis Cometarum. Illorum rapidus ac uiolentus, & ipſis uentis citatior eſt, Cometarum lenis, & q per diem & noctem quantum tranſierit, abſcondat. Déinde turbinum motus uagus eſt & diſiectus, & (ut Salluſtij utar uerbis) uerticoſus, Cometarũ autem cõpoſitus, & deſtinatum iter cõrpens. Num quis noſtrum crederet aut Lunam, aut quinq; ſyderarapi uento, aut turbine rotari? Non ut puto. Quare? quia non eſt illis perturbatus & impotens curſus. Ad Cometas idẽ transferamus. Non confuſe nec tumultuoſe eunt, ut aliquis credat illos cauſis turbulentis & inconſtantibus pelli. Déinde etiam ſi uorticẽs iſti cõprehendere terrena humidáq;, & ex humili in altum exprimere poſſent, non tamen ſupra lunam efferrent, omnis illis uſq; in nubilum uis eſt. Cometas autem immiſtos ſtellis uidemus per ſuperiora labentes. Ergo ueriſimile non eſt in tantum ſpatium perſeuerare turbinem, qui quò maior eſt, maturius cõrrumpitur.

Caput VIII.

Trũlibet itaq; eligat, aut uis leuis inde peruenire non

u poterit, aut magna & concitata citius ipſa ſe franget. Præterea humiliores illi Cometæ ob hoc (ut putant) non exeunt altius, quia plus terreni habeant, grauitas illos ſua in proximo tenet. Atqui neceſſe eſt his Cometis diuturnioribus, & cælſioribus plenior materia ſit, neq; enim diutius apparerent, niſi maioribus nutrimentis ſuſtinerentur. Dicebam modo non poſſe diu uorticem permanere, nec ſupra Lunam, aut uſq; in ſtellarum locum creſcere. Nempe efficit turbinem plurium uentorum inter ipſos luctatio, hæc diu non poteſt eſſe. Nam cum uagus & incertus ſpiritus cum cæteris uolutatus eſt, nouiſſime uni uis omnium cedit.

Nulla autem tempestas magna perdurat. Procellæ quanto plus habent uirium, tanto minus temporis. Venti cum ad summum uenerunt, remittuntur omni uiolentia. Necesse est ista concitatione in exitum sui tendant. Nemo itaq; turbinem toto die uidit, ne hora quidem. Mira uelocitas eius, & mira breuitas est. Præterea uiolentius celeriusq; in terra, circaq; eã uoluitur. Quo celsior, eo solutior, laxiorq; est, & ob hoc diffunditur. Adijce nunc, q etiam si in summum pertenderet, ubi syderibus iter est, utiq; ab eo motu, qui uniuersum trahit, solueretur. Quid enim est illa conuersione mundi citatius? hac omnium uentorum in unum conjecta uis dissiparetur, & terræ solida fortisq; compages, nedum particula aëris torti.

Caput X.

Præterea in alto manere nõ potest ignis turbine illatus, nisi
p ipse quoq; pmaneret turbo. Quod porro tam incredibile est, quam in turbine longior mora. Vtiq; motus motu contrario uincitur, habet enim suã locus ille uertiginẽ, quæ rapit cælũ,
» syderaq; alta trahit, celeriq; uolumine torquet.
Et ut des eis aliquam aduocationem, quod fieri nullo modo potest, qd de his Cometis dicetur, quæ senis mensibus apparuerunt? Deinde duo debent esse motus eodem loco, alter ille diutinus et assiduus, suũ sine intermissione peragens opus, alter nouus & recens & turbine illatus. Necesse est ergo alter alteri impedimento sit. Atqui lunaris illa orbita, cæterorumq; supra lunam meantium motus irreuocabilis est, nec hæsitatus, qui nec resistit, nec dat ullam nobis suspitionem obiectæ sibi moræ. Fidem nõ habet turbinem, uiolentissimum & pturbatissimũ tempestatis genus, in medios syderũ ordines peruenire, et inter disposita ac tranqlla uersari. Credamus ignem circũacto turbine accendi, & hunc expulsum in sublime, præbere nobis opinionem speciemq; syderis longi. Et puto tale esse debet, quale est id, quod ignem efficit, turbinis autem rotunda facies est, in eodem enim uestigio uersatur, & in columnæ modo circumagentis se uoluitur. Ergo ignem quoq; qui inclusus est, simulem esse illi oportet. Atqui longus est & disiectus, minimeq; similis in orbem coacto.

Caput XI.

Pigenem relinquamus, & aliorũ opiniones persequamur,
e quas ante, q̃ exponere incipiam, illud in primis præsumendum est, Cometas non in una parte cœli aspici, nec in signifero tantum orbe, sed tam in ortu q̃ in occasu, frequentissime tamen circa Septentrionẽ. Forma eius non est una. Quãuis enim græci discrimina fecerint eorum, quibus in morem barbæ flamma dependet,

pendet, & eorum, qui undiq; circa se uelut comam spargunt, & eorum, quibus fusus quidem est ignis, sed in uerticem tendens, tamen omnes isti eiusdem notæ sunt, Cometæq; recte dicuntur. Quorum cum post longum tempus appareant formæ, inter se eos comparare difficile est. Illo ipso tempore, quo apparent inter spectantes de habitu illorum non conuenit, sed prout cuiq; acrior acies aut hebetior, ita dicit aut lucidiorem esse, aut rubicundiorem, & crines aut in interiora deductos, aut in latera demissos. Sed siue sint aliquæ differentiæ illorum, siue non sint, eadem fiant ratione necesse est Cometæ. Illud unum constare debet, præter solitum aspici nouam syderis faciem, circa se dissipatum ignem trahentis. Quibusdam antiquorum hæc placet ratio, cum ex stellis errantibus altera se alteri applicuit, confuso in unum duarum lumine, faciem longioris syderis reddi. Nec hoc tunc tantum euenit, cum stella stellam attigit, sed etiam cum appropinquauit. Interuallum enim, quod inter duas est, illustratur ab utraq; inflammaturq; & longum ignem efficit.

Caput XII.

Is illud respondebimus, certum esse numerum stellarũ mobilium, solere autem eodem tempore & has apparere & Cometen. Ex quo manifestum fit, non illarũ coitu fieri Cometen, sed proprium & sui iuris esse. Etiamnum frequenter stella sub altioris stellæ uestigium uenit, & Saturnus aliquando supra Iouem est, & Mars Venerem aut Mercurium recta linea despicit, nec tamen propter hunc cursum, cum alter alterum subit, Cometes fit, alioqui annis omnibus fieret, omnibus enim aliquæ stellæ in eodem signo simul sunt. Si Cometam faceret stella stellæ superueniens, momento esse desineret, summa enim uelocitas transeuntiũ est. Ideo omnis syderum defectio breuis est, quia citò illas idem cursus, q admouerat, abstrahit. Videmus solem & lunam inter exiguum temh pus, cum obscurari cœperint, liberari. Quanto celerior debet fieri in stellis digressio, tanto minoribus? Atqui Cometæ senis mensibus manent, quod non accideret, si duarum stellarum conuentu gignerentur, illæ enim diu cohærere non possunt, & necesse est illas lex celeritatis suæ separet. Præterea illa nobis uicina uidentur, cæterum interuallis ingentibus dissident. Quomodo ergo potest altera stella usq; ad alteram stellam ignem mittere, ita ut utraq; iuncta uideatur, cum sint ingenti regione deductæ? Stellarum, inquit, duarum lumen miscetur, & præbet unius speciem. Nempe sic, quemadmodũ rubicunda fit nubes solis incursu, quemadmodum uespertina, aut

matutina flaueſcunt, quemadmodum alterne arcus ſolis uiſitur. Hæc omnia primum magna ui efficiuntur, Sol enim eſt, qui iſta ſuccendit. Stellarum non eſt eadem potentia. Deinde nihil horum, niſi infra lunam in terrarum uicinia naſcitur. Superiora pura et ſincera ſunt, & coloris ſui ſemper. Præterea ſiquid tale accideret, non haberet moram, ſed extingueretur cito, ſicut coronæ, quæ ſolem lunamue cingunt, & intra breuiſſimum ſpatium exoleſcunt. Nec arcus quidem diu perſeuerat. Siquid eſſet tale, a quo medium inter duas ſtellas ſpatium confunderetur, æque cito dilaberetur. Vtiq; non in tantum maneret, quantum morari Cometæ ſolent. Stellis intra ſignifer rum curſus eſt, hunc gyrum premunt, at Cometæ ubiq; cernuntur. Non magis certum eſt illis tempus quo appareant, q̃ locus ullus, ultra quem non exeant.

Caput XIII.

Duerſus hoc ab Arthemidoro illa dicuntur, non has tantum ſtellas quinq; diſcurrere, ſed has ſolas obſeruatas eſſe. Cæterum innumerabiles ferri per occultum, aut propter obſcuritatem luminis nobis ignotas, aut propter circulorum poſitionem talem, ut tunc demum, cum ad extrema eorum uenere, uiſantur. Ergo intercurrunt quædam ſtellæ (ut ait) nobis nouæ, quæ lumen ſuum cum ſtantibus miſceant, & maiorem, q̃ ſtellis mos eſt, porrigant ignem. Hoc ex his quæ mentitur leuiſſimum eſt, tota eius narratio mundi, mendacium impudens eſt. Namſi illi credimus, ſumma cœli ora ſolidiſſima eſt, in modum tecti durata, & alti craſſiq; corporis, quod atomi congeſti coaceruatiq; fecerunt. Huic proxima ſuperficies eſt ignea, ita compacta, ut ſolui uitiariq; non poſſit. Habet tamen ſpiramenta quædam, & quaſi feneſtras per quas ex parte exteriore mundi influant ignes, non tam magni, ut interiora conturbent. Rurſus ex mundo in exteriora labuntur. Itaq; hæc, quæ præter conſuetudinem apparent, influxerunt ex illa utraq; mundi iacente materia. Soluere iſta quid aliud eſt, q̃ manum exercere, & in uentum iactare brachia?

Caput XIIII.

Elim tamen mihi dicat iſte, qui mundo tam firma lacunaria impoſuit, qd ſit quare credamus illi tantam eſſe craſſitudinem cœli? Quid fuit, quod illo tam ſolida corpora adducæret, & ibi detineret? Deinde quod tantæ craſſitudinis eſt, neceſſe eſt & magni ponderis ſit. Quomodo in ſummo ergo manent grauia? Quomodo illa moles non deſcendit, & ſe onere ſuo frangit? Fieri

git? Fieri enim non potest, ut tanta uis ponderis, quantam ille sub-
stituit, pendeat, & leuibus innixa sit. Nec illud quidem potest dici,
extrinsecus aliqua esse retinacula, quibus cadere prohibeatur. Nec
rursus de medio aliquid esse oppositi, q̄ immanens corpus excipiat
ac fulciat. Illud etiamnum nemo dicere audebit, mundum ferri per
immensum, & cadere quidem, sed non apparere an cadat, quia
præcipitatio eius æterna est, nihil habens nouissimum, in quod in-
currat. Hoc quidam de terra dixerunt, cum rationem nullam in-
uenirent, propter quam pondus in aëre staret. Fertur, inquiunt,
semper, sed non apparet an cadat, quia infinitum est in quod ca-
dit. Quid est deinde quo probes, non quinq; tantum stellas moueri,
sed multas esse, & in multis mundi regionibus? Aut si hoc sine ullo
probabili argumento licet respondere, quid est quare non aliquis
aut omnes stellas moueri, aut nullam dicat? Præterea nihil te ad-
iuuat ista stellarum passim euntium turba. Nam quò plures fue-
rint, sæpius in alias incident, rari autem Cometæ, & ob hoc mi-
rabiles sunt. Quid, q̄ testimonium dicet contra te omnis ætas, quæ
talium stellarum exortus & annotauit, & posteris tradidit?

Caput XV.

Post mortem Demetrij Syriæ regis, cuius Demetrius &
p Antiochus liberi fuere, paulo ante Achaicum bellum Co-
metes effulsit, non minor sole. Primo igneus ac rubicundus
orbis fuit, clarumq; lumen emittens, quanto uincēret noctem. Deinde
paulatim magnitudo eius districta est, & euanuit claritas. Nouissi-
me autem totus intercidit. Quot ergo coire stellas oportet, ut tantum
corpus efficiant? Mille in unum licet congreges, nunquam hunc
habitum solis æquabunt. Attalo regnante, initio cometes apparuit
modicus, deinde sustulit se diffuditq;, & usq; in æquinoctialem cir-
culum uenit, ita ut illam plagam cœli, cui lactea nomen est, in
immensum extentus æquaret. Quot ergo conuenisse debent erra-
ticæ, ut tam longum cœli tractum occuparent igne continuo?

Caput XVI.

Contra argumenta dictum est, contra testes dicendum.
c Nec magna molitione detrahenda est authoritas Ephoro,
historicus est. Quidam incredibilium relatu commen-
dationem parant, & lectorem aliud acturum, si per quotidia-
na ducēretur miraculo excitant. Quidam credituli, quidam ne-
gligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet.
Illi non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione,

quæ approbare opus ſuum, & fieri populare non putat poſſe, niſi illud mendacio aſperſit. Ephorus uero non religioſiſſimæ fidei ſæpe decipitur, ſæpe decipit, ſicut hic. Cometen qui omnium mortalium oculis cuſtoditus eſt, quia ingentis rei traxit euentus, cum Helicen & Burim ortu ſuo merſit, ait illum deſcendiſſe in duas ſtellas, quod præter illum nemo tradidit. Quis enim poſſet obſeruare illud momentum, quo Cometes ſolutus, et in duas partes redactus eſt? Quomodo autem, ſi eſt qui uiderit Cometen in duas dirimi, nemo uidit fieri ex duabus? Quare autem non adiecit in quas ſtellas diuiſus ſit, cum aliqua ex quinq; ſtellis eſſe debuerit?

Caput XVII.

Pollonius Myndius in diuerſa opinione eſt. Ait enim Cometen non unum ex multis erraticis effici, ſed multos Cometas erraticos eſſe. Non eſt, inquit, ſpecies falſa, nec duarum ſtellarum confinio ignis extentus, ſed & proprium ſydus Cometes eſt, ſicut ſolis aut lunæ. Talis illi forma eſt non in rotundum reſtricta, ſed procerior & in longum producta. Cæterum non eſt illi palàm curſus, altiora mundi ſecat, & tunc demum apparet, cum in imum curſus ſui uenit. Nec eſt q̃ putemus eundem uiſum eſſe ſub Claudio, quem ſub Auguſto uidimus. Nec hunc qui ſub Nerone cæſare apparuit, & Cometis detraxit infamiam, illi ſimilem fuiſſe, qui poſt necem diui Iulij Veneris ludis genitricis, circa undecimam horam diei emerſit. Multi uariiq; ſunt, diſpares magnitudine, diſſimiles colore, alijs rubor eſt ſine ulla luce, alijs candor & purum liquidumq; lumen, alijs flamma & hæc non ſincera, nec tenuis, ſed multum circa ſe uoluens fumidi ardoris. Cruenti quidam, minaces, qui omen poſt ſe futuri ſanguinis ferunt, his minuitur, augeturq; lumen ſuum, quemadmodum alia ſydera, quæ clariora cum deſcenderunt, maioraq; ſunt, quia ex loco propiore uiſuntur, minora cum redeunt & obſcuriora, quia abducunt ſe longius.

Caput XIX.

Duerſus hoc protinus reſpondetur, idẽ accidere in Cometis, quod in cæteris. Cometæ enim quo primũ die apparuerint, maximi ſunt. Atqui deberent creſcere, quo propius accederent. Nunc autem manet illis prima facies, donec incipiant extingui, deinde q̃ aduerſus priores, etiam aduerſus hunc dicetur. Si erraret Cometes, eſſetq; ſydus, intra ſigniferi terminos moueretur, intra quod omne ſydus curſus ſuos colligit. Nunquam apparet ſtella per ſtellam. Acies noſtra non poteſt per medium ſydus exire, ut

per illud ſuperiora proſpiciat. Per Cometen autem non aliter q̄ per nubem ulteriora cernuntur, ex quo apparet illum non eſſe ſydus, ſed leuem ignem ac tumultuarium. Caput XVIIII.

Z Enon noſter in illa ſententia eſt, congruere iudicat ſtellas & radios inter ſe committere, hac ſocietate luminis exiſtere imaginem ſtellæ longioris. Ergo quidã nullos eſſe Cometas exiſtimant, ſed ſpecies illorum per repercuſſionem uicinorum ſyderum, aut per coniunctionem cohærentium reddi. Quidã aiunt eſſe quidem, ſed habere curſus ſuos, & poſt certa luſtra in conſpectum mortalium exire. Quidam eſſe quidem, ſed non q̄bus ſyderũ nomen imponas, quia dilabuntur, nec diu durant, & exigui temporis mora diſſipantur. Caput XX.

I N hac ſententia ſunt pleriq; noſtrorum, nec id putant ueritati repugnare. Videmus enim in ſublimi uaria ignium concipi genera, & modo cœlum ardere, modo

» Longos à tergo flammarum albeſcere tractus,

modo faces cum igne uaſto rapi. Ipſa etiam fulmina, & ſi uelocitate mira, ſimul & præſtringunt aciem, et relinquunt ignes ſuos aëris attriti, & impetu inter ſe maiore colliſi. Ideo ne reſiſtunt quidẽ, ſed expreſſi fluunt, & protinus pereunt. Alij uero ignes diu manent, nec ante diſcedunt, q̄ conſumptum eſt omne, quo paſcebantur, alimentum. Hoc loco ſunt illa à Poſſidonio ſcripta miracula, columnæ, clypeiq; flagrantes, aliæq; inſigni nouitate flammæ, quæ non auerterent animos, ſi ex conſuetudine & lege diſcurrerent. Ad hæc ſtupent omnes, & repentinum ignem ex alto efferunt, ſiue emicuit aliquid & fugit, ſiue compreſſo aëre & in ardorem coacto, loco miraculi ſtetit. Quid ergo? Nõ aliquando lacuna ſecedentis retro æthe ris patuit, & uaſtum in concauo lumen? exclamare poſſes quid eſt hoc?

» Medium uideo diſcedere cœlum,

» palantesq; polo ſtellas, quæ aliquando non expectata nocte fulſerunt, & per medium eruperunt diem. Sed alia huius rei ratio eſt, quare alieno tempore apparent, quas eſſe, etiam cum latent, conſtat. Multos Cometas non uidemus, q̄ obſcurantur radijs ſolis, quo deficiente, quendam Cometem apparuiſſe, quem ſol uicinus obtexerat, Poſſidonius tradit. Sæpe autem cum occidit ſol, ſparſi ignes non procul ab eo uidentur. Videlicet ipſa ſtella ſole perfunditur, & ideo aſpici non poteſt. Cometæ autem radios ſolis effugiunt.

Caput XXI.

Lacet ergo nostris Cometas sicut faces, trabes q; & alia
p ostenta cœli denso aëre creari. Ideo circa Septentrionem
frequentissime apparent, quia illic plurimum est aëris pigri. Quare ergo non stat Cometes, sed procedit? dicam. Ignium modo alimentum suum sequitur. Quamuis enim illi ad superiora nisus sit, tamen deficiente materia retroiens ipse descendit in aëra quoq;, si dextram leuamq; premut partem. Nulla enim illi uia est, sed qua illum uena pabuli sui duxit, illo repit, nec ut stilla procedit, sed ut ignis pascitur. Quare ergo per longum tempus apparet, et non cito extinguitur? Sex enim mensibus hic quem nos Neronis principatu lætissimo uidimus, spectandum se præbuit, in diuersum illi Claudiano circumactus. Ille enim a septentrione in uerticem surgens, orientem petijt semper obscurior, hic ab eadem parte cœpit, sed in occidentem tendens, ad meridiem flexit, & ibi se subduxit oculis. Videlicet ille humidiora habuit, & aptiora ignibus, quæ prosecutus est, huic rursus uberior fuit & plenior regio. Huc itaq; descendunt, inuitante materia, non itinere, quod apparet duobus, quos spectauimus fuisse diuersum, cum hic in dextrum motus sit, ille in sinistrum. Omnibus autem stellis in eandem partem cursus est, id est contrarius mundo. Hic enim ab ortu uoluitur in occasum, illæ ab occasu in ortum eunt. Et ob hoc duplex his motus est, ille quo eunt, & hic quo auferuntur.

Caput XXII.

Go nostris non assentior, non enim existimo Cometen su-
e bitaneum ignem, sed inter æterna opera naturæ. Primũ
quæcũq; aër creat, breuia sunt, nascuntur enim in re fugaci & mutabili. Quomodo post in aëre aliqd idem diu ꝑmanere, cum ipse aër nunq̃ idem diu maneat? fluit semper, et breuis illi quies est, intra exiguum momentum in aliũ, q̃ in quo fuerat, statum uertitur. Nunc pluuius, nunc serenus, nunc inter utrũq; uarius. Nubesq; quæ illi familiarissimæ sunt, in quas coit, & ex qbus soluitur, modo congregantur, modo digeruntur, nunquam immotæ iacent. Fieri non potest, ut ignis certus in corpore uago sedeat, & tam pertinaciter hæreat, quàm quæ natura, ne unquam excuterentur, aptauit. Deinde si alimento suo hæreret, semper descenderet. Eo enim crassior aër est, quo terris propior. Nunquam Comutes in imum usq; demittitur, neq; appropinquat solo etiamnum. Ignis autem it, quo illum natura sua ducit, id est sursum, aut eo quo trahit materia, cui adhæsit, & quam depascitur.

Caput XXIII.

Vllis ignibus ordinarijs & cœleſtibus iter flexum eſt. Sy-
n deris proprium eſt ducere orbem. Atqui hoc an Cometæ alij fecerint neſcio, duo noſtra ætate fecerunt. Deinde omne quod cauſa temporalis accendit, cito intercidit. Sic faces ardent, dum tranſeunt, ſic fulmina in unum ualent ictum, ſic quæ tranſuerſæ dicuntur ſtellæ, & cadentes, præteruolant & ſecant aëra. Nullis ignibus niſi in ſuo mora eſt. Illis dico diuinis, quos habet mundus æternos, quia partes eius ſunt & opera. Hi autem aliquid agunt, & uadunt, & tenorem ſuum ſeruant, pareſq; ſunt. Nam alternis diebus maiores minoresue fierent, ſi ignis eſſet collectitius, & ex aliqua cauſa repentinus. Minor enim eſſet ac maior, prout plenius aleretur aut malignius. Dicebam modo nihil diuturnum eſſe, quod exarſit aëris uitio, nunc amplius adijcio, morari ac ſtare nullo modo poteſt. Nam & fax, & fulmen, & ſtella tranſcurrens, & quiſquis alius eſt ignis aëre expreſſus, in fuga eſt, nec apparet, niſi dum cadit. Cometes habet ſuam ſedem, & ideo non cito expellitur, ſed emetitur ſpatium ſuum, nec extinguitur, ſed excedit. Si erratica, inquit, ſtella eſſet, in ſignifero eſſet. Quis unum ſtellis limitem ponit? Quis in anguſtum diuina compellit? Nempe hæc ipſa ſydera, quæ ſola moueri creditis, alios & alios circulos habent. Quare ergo non aliqua ſint, quæ in proprium iter, & ab iſtis remotum ſeceſſerint? Quid eſt, quare in aliqua parte cœli peruium non ſit? Quod ſi iudicas non poſſe ullam ſtellã niſi ſignifer ũ attingere, Cometes poteſt ſic latum habere circulum, ut in hunc tamen parte aliqua ſui incidat, quod fieri non eſt neceſſarium, ſed poteſt.

Caput XXIIII.

Ide ne hoc magis deceat magnitudinẽ mundi, ut in multa
u itinera diuiſus ſit, nec hanc unam deterat ſemitam, cæteris partibus torpeat. Credis autem in hoc maximo & pulcherrimo corpore inter innumerabiles ſtellas, quæ noctem decore uario diſtinguunt, quæ aëra minime uacuum & inertem eſſe patiuntur, quinq; ſolas eſſe, quibus exercere ſe liceat, cæteras ſtare, fixum & immobilem populum? Siquis hoc loco me interrogauerit, quare ergo non, quemadmodum quinq; ſtellarum, ita harũ obſeruatus eſt curſus? Huic ergo reſpondebo. Multa ſunt quæ eſſe concedimus, qualia ſint ignoramus. Habere nos animum, cuius imperio & impellimur et reuocamur, omnes fatebuntur, quid tamen ſit animus ille rector, dominuſq; noſtri, nõ magis tibi quisq̃ expediet, q̃ ubi ſit. Alius illũ dicet eſſe ſpiritũ, alius concentum quendã, alius uim diuinam, et

dei partem, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui sanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non potest liquere de cæteris rebus, ut adhuc ipse se quærat.

Caput XXV.

Quid ergo miramur Cometas tam rarum mundi spectaculum nondum teneri legibus certis, nec initia illorũ finesq; noteſcere, quorum exingentibus interuallis recursus est? Nondum sunt anni mille quingenti ex quo Græcia.

-stellis numeros, & nomina fecit,

multæq; hodie sunt gentes, quæ tantum facie nouerunt cœlum, quæ nondum sciunt cur luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoq; nuper ratio ad certum perduxit. Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris æui diligentia. Ad inquisitionem tantorum ætas una non sufficit, ut totã cœlo uacet. Quid, q tam paucos annos inter studia ac uitia non æqua portione diuidimus? Itaq; per successiones ista longas explicabuntur. Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirẽtur. Harum quinq; stellarum, quæ se ingerunt nobis, quæ alio atq; alio occurrentes loco, curiosos nos esse cogunt, qui matutini uespertinique ortus sint, quæ stationes, quando in rectum ferantur, quare agantur retro, modo cœpimus scire. Vtrum emergeret Iupiter, an occideret, an retrogradus esset (nam hoc illi nomen imposuere cedenti) ante paucos annos didicimus. Inuenti sunt qui nobis dicerent, erratis, qui ullam stellam aut supprimere cursum iudicatis, aut uertere. Non licet stare cœlestibus, nec auerti, prodeunt omnia, ut semel missa sunt uadunt. Idem erit illis cursus, q sui finis. Opus hoc æternum irreuocabiles habet motus, qui siquando constiterint, alia ex aduerso incident, quæ nunc tenor & æqualitas seruat.

Caput XXVI.

Quid est ergo, cur aliqua redire uideantur? Solis occursus q speciẽ illis tarditatis imponit, & natura uiarũ curuilorũq; sic positorũ, ut certo tempore uel intentus intuẽtes fallant. Sic naues, q̃uis plenis uelis eant, uidentur tamen stare. Erit q demonstret aliquando, in qbus Cometæ partibus currant, cũ tam seducti à cæteris eant, quanti qualesq; sint. Cõtenti sumus inuentis, aliqd ueritati & posteri conferãt. Per stellas, inqt, ulteriora nõ cernimus, p Cometas acie transmittimus. Primũ si fit istud, non in ea parte fit, qua sydus ipsum est spissi ac solidi ignis, sed qua rarus splẽdor excurrit, et i crines dispergitur. Per interualla ignũ, nõ p ipsos uides. Stellæ, inqt, omnes rotundæ sunt, Cometæ porrecti, ex quo apparet stellas nõ esse.

Quis enim tibi concederet Cometas longos esse? quorum natura qui dem ut cæterorum syderum globus est, cæterum fulgor extenditur. Quemadmodum sol radios suos longe lateq; dimittit, cæterum ipsi alia est forma, alia ei quod ex ipso fluit lumini. Sic Cometarum corpus ipsum circumdatur, splendor autem longior, q̃ cæterorum syderum apparet.

Caput XXVII.

Vare inquis? Dic tu mihi prius, quare luna dissimillimũ soli lumen accipiat, cum accipiat à sole? Quare modo rubeat, modo palleat? Quare liuidus illi & ater color sit, cum à conspectu solis excluditur? Dic mihi quare omnes stellæ inter se dissimilem habeant aliquátenus faciem, diuersissimam soli? Quomodo nihil prohibet ista sydera esse, quamuis simulia non sint, sic nihil prohibet Cometas æternos esse & sortis eiusdem, cuius cætera, etiam si faciem illis non habent similem. Quid porrò, mundus ipse, si consyderes illum, nonne ex diuersis compositus est? Quid est quare in leone semper sol ardeat, & terras æstibus torreat? in aquario astringat hyemem? flumina gelu claudat? Et hoc tamen & illud sydus eiusdem conditionis est, cum effectu & natura dissimile sit. Intra breuissimum tempus aries extollitur, libra tardissime emergit, & tamen hoc sydus & illud eiusdem naturæ est, cum illud exiguo tempore ascendat, hoc diu proferatur. Non uides q̃ contraria inter se elementa sint? grauia & leuia sunt, frigida & calida, humida & sicca. Tota huius mundi concordia ex discordibus constat. Negas Cometen stellam esse, quia forma eius non respondeat ad exẽplar, nec sit cæteris similis. Vides quàm simillima est illa, quæ tricesimo anno reuertitur ad locum suum, huic quæ intra annum reuisit sedem suam? Non ad unam naturæ formam opus suum præstat, sed ipsa uarietate se iactat. Alia maiora, alia uelociora aliis fecit, alia ualidiora, alia temperatiora. Quædam autem eduxit à turba, ut singula & conspicua procederent, quædam in gregem misit. Ignorat naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod sæpius fecit. Cometas non frequenter ostendit, attribuit illis alium locum, alia tempora, dissimiles cæteris motus. Voluit et his magnitudinem operis sui colere, quorum formosior facies est, q̃ ut fortuitam putes, siue amplitudinem eorum consyderes, siue fulgorem, qui maior est, ardentior q̃, q̃ cæteris. Facies uero habet insigne quiddam, & singulare, non in angustum coniecta & artata, sed dimissa liberius, & multarum stellarum amplexa regionem.

Caput XXVIII.

Ristoteles ait Cometas significare tempestatem, & uentorũ
a intemperantiam, atq; imbrium. Quid ergo, non iudicas
sydus esse, quod futura denunciat? Non enim sic hoc tem-
pestatis signum est, quomodo futuræ pluuiæ
» Scintillare oleum, & putreis concrescere fungos,
aut quomodo indicium est sæuituri maris, si marinæ
» In sicco ludunt Fulicæ, notasq; paludes
» Deserit, atq; altam supra uolat ardea nubem,
sed sic, quomodo æquinoctium in cælorem frigusq; flectentis anni,
quomodo illa, quæ Chaldæi canunt, quid stilla nascentibus triste
lætumue constituat. Hæc ut scias ita esse, nõ statim Cometes ortus uen
tos, & pluuias minatur, ut Aristoteles ait, sed annum totum suspe=
ctum facit. Ex quo apparet illum non ex proximo, quæ in proxi-
mum daret, signa traxisse, sed habere reposita & compressa legi-
bus mundi. Fecit is Cometes, qui Paterculo & Vopisco Coss. appa-
ruit, quæ ab Aristotele, Theophrastoq; sunt prædicta. Fuerunt enim
maximæ & continuæ tempestates ubiq;. At in Achaia, Macedoniaq;
urbes terrarum motibus prorutæ sunt. Tarditas, inquit, illorũ ar=
gumentũ est grauiores esse, multumq; in se habere terreni, ipse præ-
terea cursus, fere enim compelluntur in cardines.

Caput XXVIIII.

Trunq; falsum est. De priore dicam prius, quia quæ tar=
u dius feruntur, grauia sunt. Quid ergo? Stella Saturni, quæ
ex omnibus iter suum lentissime efficit, grauis est? Atqui
leuitatis argumentum habet, quod supra cæteras est. Sed maiore, in-
quis, ambitu circuit, nec tardius it q̃ cæteræ, sed longius. Succurrat
tibi idem me de Cometis posse dicere, etiam si segnior illis cursus sit.
Sed mendaciũ est ire eos tardius, nam intra sextum mensem dimi-
diam cœli partem transcurrit hic proximus. Prior intra paucio-
res menses se recepit. Sed quia graues sunt, inferius deferuntur. Pri=
mum non defertur, quod circumfertur. Deinde hic proximus à se-
ptentrione motus sui initium fecit, & per occidentem in meridiana
peruenit, erigensq; suum cursum oblituit. Alter ille Claudianus à
septentrione primum uisus, non desijt in rectum assidue celsior fer-
ri, donec excessit. Hæc sunt quæ aut alios mouere ad Cometas perti-
nentia, aut me. Quæ an uera sint, discutiant, qbus est sententia ue-
ri, nobis rimari illa & coniecturare in occulto tantũ licet, nec cum
fiducia inueniendi, nec sine spe.

Caput XXX.

Gregie Aristoteles ait, nunquã nos uerecundiores esse de-
e bere, q̃ cum de Dijs agitur. Si intramus templa cõpositi,
si ad sacrificium accessuri multũ submittimus, togam adduci-
mus, si in omne argumentum modestiæ fingimur. Quantó hoc ma
gis facere debemus, cum de syderibus, de stellis, de deorum natura di
sputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignorantes affir-
memus, aut scientes mentiamur? Nec miremur tam tarde erui, quæ
tam alte iacent. Panetio, & his qui uideri uolunt Cometen non esse
ordinarium sydus, sed falsam syderis faciem, diligenter tractandum
est, an æque omnis pars anni edẽdis Cometis satis apta sit, an omnis
cœli regio idonea in qua creentur, an quacunq; ire, ibi etiam conapi
possint, & cætera, quæ uniuersa tolluntur, cum dico illos fortuitos
non esse igneos, sed intextos mundo, quos non frequenter educit, sed
in occulto mouet. Quàm multa præter hos per secretum eunt, nunq̃
humanis oculis orientia? Neq; enim omnia deus humanis oculis nota
fecit. Quota pars oculis operis tanti nostris cõmittitur? Ipse, qui ista
tractat, qui condidit, q̃ totum hoc fundauit, deditq; circa se, maiorq;
est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione uisendus est.

Caput XXXI.

Vlta præterea cognata Numini summo, & uicinam sorti-
m ta potentiã, obscura sunt, aut fortasse (quod magis mireris)
oculos nostros & implent, et effugũt. Siue illis tanta subtilitas
est, quantam cõsequi acies humana non possit, siue in sanctiore
secessu maiestas tanta delituit, & regnum suũ, id est se regit, nec
ulli aditum dat, nisi animo. Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non
possumus, & miramur si quos igniculos parum nouimus, cum ma-
xima pars mundi deus lateat. Quàm multa animalia hoc primũ
cognouimus seculo? q̃ multa negocia? * Ne quidem hoc. Multa ue
nientis æui populus ignota nobis sciet. Multa seculis tunc futuris, cũ
memoria nostri exoleuerit, reseruantur. Pusilla res mundus est, nisi
in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non semel quædã sacra
traduntur. Eleusin seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerũ natura
sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in uestibulo eius
hæremus. Illa arcana nõ promiscue, nec omnibus patent, reducta et
in interiore sacrario clausa sunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud
quæ post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostrã
perducentur? Tarde magna proueniunt, utiq; si labor cessat. In quod
unum toto agimus animo, nondum perfecimus, ut pessimi essemus,

adhuc in proœſſu uitia ſunt. Inuenit luxuria aliquid noui, in quod inſaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi. Inuenit delitiarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius, mollius q; , quo pereat. Nondum ſatis robur omne proiecimus. Adhuc quicquid eſt boni moris, extinguimus leuitate & politura corporũ. Muliebres munditias anteœſſimus, colores meretricios, matronis qdem non induendos, uiri ſumimus. Tenero & molli greſſu ſuſpendimus gradũ, non ambulamus, ſed repimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie cõmniſcimur, p quæ uirilitati fiat iniuria, ut traducatur, quia non poteſt exui. Alius genitalia excidit, alius in obſcœnam partem ludi fugit, & locatus ad mortem infamiæ armatur. Egenus etiam, in quo morbum ſuum exerceat, legit.

Caput XXXII.

Iraris, ſi nondum ſapientia omne opus ſuum impleuit,
m nondum tota ſe nequitia protulit. Adhuc naſcitur, & huic omnes operam damus, huic oculi noſtri, huic manus ſeruiunt. Ad ſapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat, niſi quã in tranſitu nouerit? Quis philoſophiam, aut ullũ liberale reſpicit ſtudium, niſi cum ludi intercalantur, cũ aliqs pluuius interuenit dies, quem pdere licet? Itaq; tot familiæ philoſophorũ ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & ueteres, & minores nullũ antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Platonis? Pythagorea illa inuidioſæ turbæ ſchola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua & Romani roboris ſecta inter initia ſua, cum magno impetu cœpiſſet, extincta eſt. At quanta cura laboratur, ne cuiuslibet patrimonij nomen intercidat. Stat per ſucceſſores Pyladis, & Batilli domus, harum artium multi diſcipuli ſunt, multiq; doctores. Priuatum urbe tota ſonat pulpitum, in hoc uiri, in hoc fœminæ tripudiant. Mares inter ſe, uxoresq; contendũt, uter det latus illis. Deinde ſub perſona cum diu trita frons eſt, tranſitur ad galeam. Philoſophiæ nulla cura eſt. Itaq; adeo nihil inuenitur ex his, quæ parũ inueſtigata antiqui reliquerunt, ut multa quæ inuenta erant obliterentur. At mehercules ſi hoc totis membris premeremus, ſi in hoc iuuentus ſobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiſcerent, uix ad fundum ueniretur, in quo ueritas poſita eſt, quam nunc in ſumma terra, & leui manu quærimus.

MATTHAEI FORTVNATI PANNONII ANNOTATIONES IN VII LIBROS NATVRALIVM QVAESTIONVM SENECAE.

PRAEFATIO.

EGENTEM me nuper Plinij naturalis historiæ libros, singulare & uere unicum naturæ, latinæq; linguæ opus, in admirationem uertit Plinianæ eruditionis diuinum in rebus tam uarijs, tamq; multiplicibus coniungendis, copulandisq; artificium. Tanta enim arte, tam felici industria res naturæ diuersissimas, perpetuo orationis tenore conglutinat, ferruminatq;, ut commissura non appareat, sed res ex re educi, atq; omnia inuicem sibi respondere, æterno quodam orationis ductu uideantur, adeo ut summum hunc naturæ præconem non ab homine, sed ab ipsa rerum natura edoctum fuisse facile mihi persuaserim. Quæcunq; ergo in eo uel hiant, uel abrupta sunt, depranata esse temporũ, librariorumq; uitio nulli dubium esse debet. Quocirca cum apud eum de stellis discurrentibus ita legerem. Fieri uidentur & discursus stellarum, nunquam temere, ut non ex ea parte truces uenti cooriantur, & ex ijs tunc procellæ in mari terrisq;. Mox nullo coniuncto sensu de Castorum stellis. Vidi in nocturnis militum uigilijs inhærere pilis pro uallo fulgurũ effigies &c. arbitratus sum, ut erat, locum mendosum esse, ruptamq; illam natiuam rerum compagem. Solicitus deinde, attentioreq; cura, perquisitis aliquot uetustissimis exemplaribus locum perpendi, inueniq; esse legendum non, Ex ijs tunc procellæ, sed, Existunt stellæ & in mari terrisq;. Deinde aptissime sequitur, quod maxime hanc lectionem confirmat, Vidi nocturnis militum uigilijs inhærere pilis pro uallo fulgurum effigie. Cum uero de hoc Plinij loco tum aliorum, tum præsertim Senecæ grauissimi philosophi sententiam in naturalibus quæstionibus consulerem, ubi de hac re pauca quidem, & eadem ferè quæ Plinius, ego tamen blandiente, & ut totas quæstiones, quæ in septem uolumina diuisæ sunt, perlegerem, materia inuitante, longius processi. Sed morabantur auidam lectionem innumeri, & propè infiniti errores, nihil erat quod patienter sine offensa legere possem. Nullũ siquidem credo ex omnibus autho-

ribus, qui uetustatem pertulerunt, ita misere, & infeliciter corruptum, & interpollatum ad nostram usq; ætatem peruenisse, quàm Senecam ipsum, & præsertim in istis naturalium rerum quæstionibus. Quæ ut erant intellectu difficiliores, ita ad iniuriam corruptionis opportuniores, magisq; obnoxiæ. Tanta est enim quorundam audacia, seu potius temeritas, & impudentia, ut mendosum, tollendumq; uel immutandũ putent, quicquid ipsi non intelligunt. Indolui profecto uicem indignam grauissimi authoris, miseratus etiam tantam iacturam literarum, tam præclarum humani ingenij opus infinitis mendis obrutum, & penè sepultum inutiliter iacere, & ne à principibus qdem huius ætatis doctrinæ uiris posse legi, quamuis magnopere tum propter summam scriptoris authoritatem, tum etiã propter rerum scitu, curaq; dignarum nobilitatem, & excellentiam peteretur. Nimirum hæc pars Philosophiæ, quæ tractat de his, quæ in aëre uel apparent, uel existunt, quæ Græci μετεωρα uocant, et ad agitationẽ animi pulcherrima est, & ad repellendã superstitionem, metumq; ex animis mortalium maxime necessaria. Nihil enim æque mentibus causarum ignaris religionem incutit, quàm cum uident uel Solem obscurari, solitamq; lucem mundo negare, uel Lunã delitescere, uel faces in transuersum agi, cœli partem ardere, sydera insolita facie crinem spargere, plureis Solis, Lunæq; orbeis apparere, igneis subitos discurrere, uariarum rerum, animaliumq; effigies in cœlo ostentari, cœlũ recedere, & ipsum recessum ingenti flamma corripi. & multa alia id genus cœlestia miracula, quorum nihil sine timore mirantur. Quandocunq; enim aliqua noua, & præter consuetudinem è cœlo fulserit facies, nemo adeo tardus, & hebes, & demissus in terram est, ut ait noster Seneca, quin ad diuina erigatur, & tota mente consurgat. Concurrunt itaq; ad spectaculũ omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, omnium ora in cœlo sunt. Spectant, mirantur, ostendunt, & interrogant quid cœlum portendat, quid minetur insolita facies, & interdũ quid causæ sit quærunt. Adeo naturalis homini est rerum nouarum cupiditas, ut magis nouitate, quàm magnitudine rerum ad exquirendas causas excitemur. Nam illa quæ crebrò uidemus, etiam si admiratione digna sint, non miramur, neq; rationes requirimus, magnitudinem rerum consuetudine subducente. Contra minimarum quoq; rerum, si præter solitum prodierunt, spectaculũ & dulce, & timoris plenum est. Hoc autem facit causarum ignoratio. quas cognoscere qui potuit felix certe est, & ex altissima specula lucis despectat errantium tenebras mortalium,

lium, exclamatq; illud Lucretij uatis.

» O miseras hominum mentes, o pectora cæca,
» Qualibus in tenebris uitæ, quantisq; periclis
» Degitur hoc æui? =

Harum causas rerum olim cognoscere, has a' Musis discere expetebat uates eminentissimus, cum hæc caneret.

» Me uero primum dulces ante omnia Musæ,
» Quarum sacra fero, ingenti perculsus amore,
» Accipiant, cœliq; uias, & sydera monstrent,
» Defectus Solis uarios, Lunæq; labores. & reliqua. Quin ipsa etiam natura ideo hominem erecto ad cognata sydera corpore, ac sublimi facie, non pronum, & ad pastum, ut cætera animalia abiectum formauit, ut supernarum rerum speculatione teneretur, & quidem toto in hoc intentus animo. Harum quidem obseruatio, & scientia primo a' Chaldæis, dehinc ab Aegyptijs, demum a' Græcis multis clarissimis authoribus celebrata est, sed adeo uarijs, & discrepantibus, plerunq; etiam inter se contrarijs opinionibus, & sententijs, ut difficilis sit electio, quam potissimum sequi, cui credere debeas. Ad Latinos autem ut sero uenit cœlestium, sublimiumq; rerũ obseruatio, ita a' paucissimis culta est, quia diffidebant hanc Latinis literis se posse illustrare. Sed illorum quoq; fere' omnium, qui aliqd de hac re posteris reliquerant, scripta temporum iniuria desyderantur. Vetus siquidem est, sicut aliarum bonarum literarum, ita & Philosophiæ apud nos querela, siue ille summus opifex ita decreuit, ut nihil humanum diuturnum esset, siue causarum latentium uis quædam potens, & inuicta mortalitati omnia deuouit.

» Debemur morti nos, nostraq;, - dicit Flaccus. Vnde ergo Latini homines pendentium rerum obseruationem, scientiamq; petant, non habent, nisi a' Seneca. Nam Plinius, ad res totius naturæ interpretandas properans, hæc summa breuitate perstringit. Seneca uero copiose, & accurate totam hanc Philosophiæ partem, quæ est de his rebus, & miraculis, quæ & in sublimi, & in aquis, & in terris, hoc est in toto hoc uniuerso obseruantur, Latinis literis illustrauit, atq; ita feliciter, quasi iure Quiritũ donatam, Romana lingua loqui docuit, ut nõ magis se Græcã, quàm Latinam agnoscat. Tametsi caruisse uideatur ea loquendi proprietate, & elegantia, quam in M. Tullio, C. Cæsare, Sallustio, Liuio, & paucis quibusdam scriptoribus suspicimus, & admiramur, ea tamen fuit eloquentia, ut illius eloquentissimi, & eruditissimi æui confessione non infelix orator,

grauissimus philosophus, optimus uitæ magister sit iudicatus, & habitus. Quem & tacitus amœnissimi ingenij fuisse scribit, & Suetonius lenius, comptumq; scribendi genus Senecæ, quo maxime eum placuisse dicat, attribuit. Illud planè apparet circa uerba, & compositionem non nimis anxium fuisse. Omnia enim dicta eius plus habent ponderis, & grauitatis, quàm curæ & decoris. Verba secure fudisse, non solicite finxisse uidetur. Non tamen est negligens in oratione, sed securus. uerba siquidem sunt electa, sed nõ captata, oratioq; ipsa non concinnata, neq; calamistro adusta, sed secura, rebusq; accommodata, & citra infamiam mollis, ac temperata. qualis philoso=phum decet, qui mores non uerba componit, magisq; animis, quàm auribus scribit, ac potius profectum quàm plausum quærit. Non ieiunam quidem, neq; aridam, sed nec accuratam, diuq; tortam uult philosophia orationem Non est ornamentum uirile concinnitas. Illud æquabile, & quietum orationis genus graui uiro, & qui res, non eloquentiã ostentaret, quiq; mores, ac ingenia formaret, & ad uirtutis studia homines excitaret, maxime aptum, dignumq; grauissimi, & doctissimi authores tradunt. In quo genere colendo tantum profecisse Senecam uideo, ut ne uerborum quidem copia Græcis cederet. Atq; utinã omnes Philosophiæ partes ita essent Latina oratione tractatæ, nihil profectò esset cur Græcis inuideremus. Omnium enim, quæ de hac re Græci diffusius, & perplexius, quàm ut sine fastidio legi possent, scripserunt, Seneca florem carpsisse, & (ut ita dicam) medullã exuxisse uidetur. Multa præterea Græcis authoribus uel ignota, uel præterita ex se addidit felicis ingenij beatissima ubertas. Non simplicem itaq; Latini homines, rerum naturæ studiosi, poterant consequi ex his naturalium quæstionum uoluminibus utilitatem, nisi ita fœde, corrupta, laceraq; ex miserorum temporum crassa caligine, superatis utcunq;, hoc est infeliciter, nisi opem eis tulerîmus, angustijs, & difficultatibus, in hanc lucem euasissent. Quapropter uisus sum fungi pio munere, cõmuniq; utilitati, quam quisq; iuuare pro suo modulo lege naturæ astrictus est, non indebito, neq; forsitan ingrato, si opem quãcunq; possem grauissimo authori tulissem. Suscepi itaq; piam quidem, & honestam, sed grauem & arduam repurgandi tot errores prouinciam, in qua plus laboris, & periculi esset, quàm laudis, & gloriæ. Ratus tamen minus esse malum etiã periculum famæ adire, quàm iacere maximo damno, & iactura rei literariæ, desyderioq; studiosorum tam nobile, ac diuinum opus indignis lacerum uulneribus. Præterea quando nostra, quæ uel posteritatẽ iuuarent,

uel ad

uel ad nostrorum temporum institutionem, disciplinaḿq; proficerent, edere non possumus, antiquorum scripta, quantum in nobis est, repurgando, non deesse iuuandi nobis studium ostendere, studiosoruḿq; diligentiam tum discendi, tum etiam illa, quæ nos præterierunt emendandi commouere uoluimus. Simuĺq; ut hac opera & otij nostri ratio redderetur, & principis clarissimi Io. Ludouici Salutij, cui hæc nuncupanda destinabantur, fauorem mereremur, pro quo ego nihil ferre recusem. Quandoquidem, ut ait Flaccus,

» *Principibus placuisse uiris non ultima laus est.*

Quicquid ergo hoc operis est, Salutio principi, optimo optimarum literarum & cultori, & patrono acceptum referri debet.

ANNOTATIONES. EX PRAEFATIONE LIBRI PRIMI.

VM secretiora eius intraui.) Legendum. *Sed cum secretiora eius.* Necessaria est enim hæc particula
c *ad perfectionem sensus, quam & uetusta exemplaria habent. Item. Quid enim erat, cur non in numero uiuentium me positum esse gauderem?*) Vetus lectio sincerior est. *Cur in numero uiuentium*, absq; negatione. Et paulopost. *Nec in alienam uoluptatem sermo compositus.*) Vetusti codices *Voluntatem*, non *Voluptatem*, & fortassis rectius. *Nō enim tam intelligit scurras dicaces, qui alienas aures, compositis quibusdam dicterijs, ac scommatis delectare artifices sunt, quàm assentatores, captatoresq;, qui omnibus in rebus, & sententijs assentiuntur, & applaudunt alijs. Cicero in Paradoxis,*

» *Quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? loquitur ad uo-*
» *luntatem, quicquid denunciatum sit, facit. assentatur, assidet, mi-*
» *ratur. Vnde scite à Basilio magno adulator Polypus dicitur, ut enim ille ad speciem subiecti soli colorem, sic adulator ad uoluntatem audientium mutat sententiam, & sermonem. Familiare hoc malum regibus, quorum sæpius, quàm hostis euertit opes. hinc etiam eleganter adulatores diuitum,* σωλήκας *Græci uocant.* EX EADEM

Et consimules syluas.) Legunt alij Pensiles syluas, placeret hoc, si ullæ unquam syluæ pensiles fuissent Horti quidem pensiles celebrantur,

ſyluarum uero penſilium nulla memoria extat, fidem igitur non impetrant. Quare legendum haud dubie ex uetuſtis exemplaribus Tonſiles *ſyluas, hoc eſt reciſas, & in pumilionum breuitatem coactas. Fiunt enim arbores breuitatis cuiuſdam coactæ & ſerendi, & recidendi, ſeu tondendi genere. C. Martium nemora tenſilia inueniſſe* Plinius *eſt author.* EX EADEM

Equitem modo altiora explorantem.) *Vlteriora rectius, ut in antiquis exemplaribus, hoc eſt longiora itinera, per quæ eundum eſſet, ne inſidijs infeſta ſint. Præterea, A' lateribus affuſum. non* Effuſum. *Parua quidem hæc, & nullius fere' momenti, qualia ſexcenta caſtigata quidem, ne ſcitantem lectorem morarentur, in iſtas tamen annotationes referre noluimus. Illud uelim, quod paulopoſt ſequitur, legentes acrius perpendant.* Ponitis munera etiam cum illis.) *Vetus lectio.* Ponitis numina, *ſed quod horum ſit rectius non facile dixerim.* Nullus *enim ſenſus probus elici poteſt, ſiue hoc, ſiue illud legatur. fruſtra igitur de nomine ambigemus, ubi de re non conſtat. ita enim fœde conuulſus, & deformatus eſſe uidetur hic locus per aliquos temerarios caſtigatores, qui omnia uel obtorto collo ad arbitrium ſuæ imperitiæ trahunt, ut nulla nec iudicandi, nec aſſentiendi nota ſuperſit. Quare hoc uulnus, quod altius diuturna negligentia inſedit, quàm ut ei à nobis nunc tumultuarie iſta tractantibus mederi poſſit, alijs quibus & eruditio maior, & iudicium acrius, & plus otij ſupereſt, curandum relinquo.* Nos, *quoq; forſitan aliquando uacui ad id reuertemur. nunc ſatis ſit (quoniam extremam ſine authoribus apponere diligentiam hoc bimeſtri tempore non potuimus) quaſi digito locum oſtendiſſe, ut ſtudioſi interea, quiſq; pro ſuo ingenio, opem ferre authori grauiſſimo annitantur. Erunt fere' quatuor, aut adeo quinq; in hoc opere huiuſmodi carcinomata, quæ noſtram curationem reformidabunt. quæ omnia ſuis locis indicabuntur. modo ne fraudi ſit, bonáq; uenia liceat mihi negare poſſe, quod non petero, & fateri neſcire quod neſcio.* Nulli *uenatori uitio datur in magna ſylua omnes feras non deprehendiſſe, uel ſaltem non cepiſſe.* Atq; *equidem haud ſcio an plus operæpretij fecerim huiuſmodi loca, quæ tutius erat tacite præterire, ſi plus ambitioni quàm utilitati dediſſem, ut pleriq; faciunt, quos inanis gloria, quaſi dulciſſima quædam Siren, nullo reſpectu utilitatis rapit, indicando, quàm aliqua coniectura caſtigando, ut ſcilicet ingenia ſtudioſorum acuantur, & inflammentur ad hoc decus petendum.* Tantum *autem abeſt ut alijs hoc bonum inuideam, ut contra potius magnæ uoluptatis ſenſum*

capiam,

capiam, tum causa nobilissimi authoris, tum etiam communis utilitatis, si alijs superesse ea uidero, quæ mihi denegata sunt. Hæc semel dicta uolo, ne eadem mihi sæpius repetenda sint. Illud autem non dissimulandũ censeo, hunc locum forsitan posse iuuari ex capite. LXX. libri. II. Plinij, illa enim ferè ex hoc loco Senecæ mutuata uidentur. Formicarũ parcitas, & in condendo sedulitas nota est. qbus uidetur assimulare Seneca mortaleis, qui minima quæq; reponunt & condunt, quod commune cum formicis habent.

EX EADEM

Obseruat ubiq; quæ stella primũ cœlis lumen ostendat.) Vetusta exemplaria Terris, nõ Cœlis. Neq; uideo cur hæc lectio interpollari debuerit, cum lumen cœlis ostentatum non ita sit nostræ obseruationis. Præterea non temere est inuenire apud authores idoneos hoc nomen numero multitudinis inflexum, sed semper ἑνικῶς dici. Etiam loco uerbi Primum, malim Proximum legere, ut ostendemus infra libro. VII. Nihil tamen mutandum suadeo, sed quid sentiam indico. Item infra. Si nauem ferat suus uentus implebit.) Vetus lectio multo melior, sincerioŕq;. Si nauem suus uentus impleuit. Ferat enim uerbum in uetustis codicibus non inuenitur, & si maxime inueniretur repudiandum esset, ita subsultat, & sensum alioqui clarum confundit, qui talis est. Ab ultimis Hispaniæ litoribus ad Indos usq;, hoc est ab occasu ad ortum & (ut dixit ille) à Gadibus ad Gangem, & auroram paucissimorum dierum nauigationem esse, si nauis secundum, ferenteḿq; uentum, hoc est πλοῖστον (ut Homerus uocat) habuerit. Et infra. Nusquam resistenti.) forte melius, Nunquam resistenti, quod & uetusta exemplaria. ut ad tempus potius, quàm ad locum referatur. irrequieto enim cursu non tantum Saturni, sed aliorum quoq; syderum orbes circumaguntur. Sensus tamen idem manet, quodcunq; horum legeris. Item. Materiam in se sibi formet.) Vetera exemplaria Ipse sibi formet, & forte rectius. deus enim, & si ideas rerum, non tamen etiam materias in se habere dicitur.

EX EADEM

Et à magno artifice parua formentur multa.) Antiqua uulgatáq; exẽplaria Praue non Parua. nec uideo quicquam cur hanc cõiecturam approbem, & antiquam lectionem præcedentibus sequẽtibusq; congruentem abolẽdam cõsentiam. Magnum siquidẽ arbitror non tam ad staturã, potentiaḿq;, quàm ad nobilitatem, & excellentiam,

perfectionemq; cõsumatæ artis retulit, nanq; sequitur, Non quia cessat ars. Præterea artifices summi quemadmodũ in magnis, sic, & nescio an etiam magis in paruis, minimisq; rebus possunt ostendere artis suæ excellentiam. Spectatius enim est & naturæ, & cuiusuis artificis in minutissimus artificium. In magnis siquidem, aut maioribus facilis est officina sequaci materia. in paruis autem maxima uis & inextricabilis perfectio, & (ut dixit poëta)

» In tenui labor, at tenuis non gloria,=

Item. Sciam omnia angusta esse uersus deum.) Lectio uetus castior, & magis genuina. Sciam omnia angusta esse. Sed hæc deinde. sequitur enim. Nunc ad propositum. sic & paulo infra, Erit aliud istius rei tempus, & sæpe alibi. Præterea etiã loco uerbi, Angusta, si Augusta legerimus illustrior sensus erit, hoc est sancta, diuinaq;. In quorum cognitionem (quoniam omnia completa, & referta sunt æterno sensu, & mente diuina) commoueri, & auocatos a cõrpore omni cura, studioq; animos humanos rapi & necesse, & iucundum est.

EX CAPITE I.

Quid dicit illum respondere non posse.) Vetus lectio fortassis uerior. Quid dicit ille, responde. Interrogandi enim, percunctandiq; modum posuisse uidetur. Verbum autem Non posse, adulterinum, & suppositititum est, cuiusmodi solent sibi deprauata ingenia fingere, quoties quæ ignorant, aut scire se credunt, aut uideri scire desyderant. Nec est enim quisquam tam ignarus, & imperitus, ut etiam uideri uelit. Hac affectatione scientiæ nihil non audent, atq; de omni re iudicant, censuramq; ferunt. Hoc malo nihil pestilentius in re literaria. hinc tot tenebris offusis, tot sordibus aspersis, tot deniq; spinis intersitis elegantiora, & florentia scripta bonorum authorum pene exaruerunt.

EX EODEM

Vidimus enim eo tempore, quo de Seiano actum est.) Hæc quidem lectio defendi potest, sed uetus ut breuior, ita & elegantior. Vidimus cum de Seiano actum est. Illud uero, Eo tempore quo, trivialis glossa fuisse uidetur. Item. Mortium signa præmittere.) Antiqua exemplaria Motuum, non Mortium. utraq; lectio probabilis. Istis nanq; signis tam mortes principum, quàm magni rerum motus denunciantur. Vnde legimus apud Damascenum Cometas aliquando produci a deo, ut mortem alicuius Principis denuncient. Item mox. Quod perire mundus sciat.?) purior uidetur uetus

uetus lectio, & sequentibus congruentior, Quod perire mundus denunciet?

EX EODEM

Et (*ut ita dicam*) *strictus est.*) Vetus lectio Frictus est. *& mea quidem sententia rectior, commodiorq; . ipsa enim lenis colliſio tripſin ac confricationem quandam efficit . Et quod mox sequitur.* Maiora *lumina excutiuntur.*) *lego* Minora. *Aëre nanq; uehementius trito, & uexato maiora, lenius uero colliſo, & fricto minora edi lumina certum est. Item infra.* Cum *in cœlo quoq; non minus appareat color rerum.*) Legendum Non *unus appareat color rerum, sed acrior sit caniculæ rubor.*

EX EODEM

Nam *apud nos quoq; fragmenta sulfure aſperſa.*) Vetus lectio Stramenta, *quod ueriſimilius est . non enim quæcunq; fragmenta, sed arida ſtramenta, & id genus alia sulfure illita, uel aſperſa ignem attrahunt.* Nunc *autem ſarmentis sulfuratis ad hunc uſum paſſim utuntur.* Vnde *forſitan hic quoq; rectius ſarmenta, quàm fragmenta, aut ſtramenta quis legerit.* Item. Quia *ſine fundamento, & ſede creata ſunt.*) Legendum *ex ueteribus,* Et *ſede certa ſunt.* Et *paulopoſt.* Gillippo Syracuſas *petenti.*) Scribendũ Gylippo *per y. græcum, & ſimplex l. ut ſit prima breuis.* Tibul.

» -Non *mihi regna*
» Lydia, *non magni potior ſit fama* Gylippi.

EX CAPITE II.

Nonnunquam *paulatim deuoluuntur, & deſinunt.*) Vetus lectio probior, cõmodiorq;, *quam &* Eraſmus *agnoſcit,* Diluuntur, *non* Deuoluuntur, *hoc eſt ſenſim & æqualiter dilabuntur, euaneſcuntq; in ſemetipſis, atq; ut* Ariſtoteles *ait,* καταμαραθῆ, *hoc eſt marceſcunt, & diſtabeſcunt.* Seneca *paulopoſt,* Si *facies, inquit, uniuerſa ſubſedit.* Item *infra.* Nunquam *ergo illud ſydus talem ſibi effigiem circundabit.*) Nuſquam *aliter legitur. ſed cum de nullo certo ſydere priuatim, ſed de omnibus communiter loquatur, mihi placeret, ſi* Aliquod *ſydus, legeretur.* Corona *enim ut* Ariſtoteles *ait* κύκλῳ πανὸς ἄστρου. *hoc eſt omne ſydus cingit.*

EX EODEM

Lapillus *in piſcinam, aut lacum, & aliquam aquam miſſus.*) Vetera *exemplaria ferè* Alligatam *aquam, quod, quamuis pro aqua ſtagnante non ſatis apte dictum uideri poſſit, tamen propius uero eſt.*

Lapillus enim non in omnem aquam missus orbes facit, sed in aquam stagnantem et immotam. Liquet hoc ex sequentibus, At hoc quidem, inquit, non facit in flumine. Item. Et hoc quidem in aëre euenit.) Probabilis est hæc lectio, sed uetus magis genuina. Idem ergo in aëre euenit. Item mox. Venientemq; formam exturbet.) Vetusti codices Extinguat. utrunq; recte. Item statim post. Significatur aëris quies, & otium, & tranquillitas.) Vetus lectio, Quies, & omnium tranquillitas. bona quidem est hæc lectio, sed & illa non mala.

EX EODEM

Et tunc aquam expecta.) Hæc uerba in uetustis codicibus non leguntur, & profectò ut per se sunt leuia & inepta, ita falsa & absona mihi uidentur, adscripta ab aliquo magis, quàm satis est curioso. exterminanda igitur cænseo ex his finibus quamlongissime. Nullæ enim è cœlo aquæ, nulliq; imbres, cum coronæ lenta quadam tabe consumuntur (quod tranquilli, quietiq; aëris argumentum est manifestissimum) expectandi sunt. Nisi forte defectum aliquem hic esse de tertio coronarum statu suspicemur. Coronæ enim aut concerpuntur & dilacerantur. & tunc tempestatem, uentorumq; uariorum tumultum portendunt. Aut paulatim diluuntur, & euanescunt, quod placati, temperatiq; aëris indicium est. Aut deniq; contumaces, neq; discerptæ distrahuntur, neq; maræfactæ in tabem resoluuntur, sed perpetuũ quendam ductum seruant, & in sua natura procedunt. tunc sine dubio illa peruicax craßæ nubis densitas aquam prænunciat expectandam. Hæc autem est sententia Aristotelis περὶ τῆς ἅλω hoc est de corona siue area scribentis. Cuius uerba ex tertio Meteororum hæc sunt. αἱ μέν τοι διαπάσεις ἢ μικράσεις, αὗται μὲν οὐδιῶν. αἱ δὲ διαπάσεις πνεύματος. ἐὰν μὲν γὰρ μήτε καταμαρανθῇ, μήτε διαπαθῇ, ἀλλ' ἐαθῇ τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὕδατος εἰ πότως σημεῖόν ἐστιν. hæc Aristoteles. Quod me addubitare cogit hunc Senecæ locum mutilatum esse. fidem tamen facere possunt uetustissimi codices, qui illa uerba (ut diximus) non habent, ut credamus integrum esse. Item mox. Illinc uentus est unde funduntur nubes) forte Finduntur.

EX EODEM

Apparet temperatum esse aëra, & sic placatum.) Hæc duo ultima uerba, Et sic placatum, frigida & inepta sunt. ita nescio quo pacto. abhorrent ab alijs, & quadam nota adulterina se esse produnt. Quo circa & hæc, ut cætera plurima imperitiæ arrogantis adscripta commenta uanissima, ex hac familia procul amandanda sunt.

EX EODEM

Et ideo qnia facilis a circumposito aëre facilius sustinetur) Sic quidem in omnibus, sed illud Quia facilis, ut rude, & discrepans a cæteris amouendum esse uidetur. Glossema hoc fuit alicuius imperiti glossematarij, particulam illam, Ideo, interpretantis. neq; enim, Quia facilis, sed Quia inertior uis est, apponendū erat. Subit sæpe mirari, uel indignari potius uices bonarum literarum tam miseras, tamq; felicem fuisse corrumpendis nobilissimis authoribus proxime præteritorum aliquot seculorum imperitiam, deniq; tam apertos errores temporis diuturnitate confirmatos esse, & una cum seculis, ætatibusq; inueterauisse. Neq; hoc ita recens malum est, uetustissima quoq; exemplaria simili iniuria affecta sunt.

EX EODEM

Et quod sydera cætera infirma sunt.) Lego ex Aristotele Aeque sydera cætera infirma sunt. Nam sicut Lunæ inertior uis non potest exagitare, neq; dissoluere circumpositum aërem, quin coronas accepto lumine efficiat, ita & aliorum syderum, quorum æque infirma uis est ad dissoluendum. Et infra. Hæc noctibus temperantia contingit.) Scribendum Temperatura, ut sit κρᾶσις non ἐγκράτεια siue σωφροσύνη.

EX CAPITE III.

Hæc inæqualitas alterius lucem, umbramq; permiscet.) Lege Alternis. Et infra. Si arcus duos haberet colores.) Addendum ad sensus perfectionem ex ueteribus exemplaribus, Si arcus duos tantum haberet colores. Certum enim est arcum habere quidem duos, sed non tantum duos colores, sed plurimos, & prope innumerabiles, adeo incertæ, & indiscriminatæ uarietatis, in ipsis præsertim commissuris ambitiosa Natura suam sollertiam ostentante, ut illos nulla ars, nulla manus, nullus artifex possit consequi imitando. ita permistis uiribus alter altero aut excitatur, aut astringitur, ut ipse transitus in diuersa uisum quantuncunq; intuentium fallat & effugiat. Nec me mouet nostrorum Theologorum opinio, arcum scilicet duos tantum habere colores, cæruleum & igneum, hisq; duo exprimi iudicia, hoc ignis, quod futurum est. illo aquæ, quod præterijt. atq; ideo cæruleum extrinsecus, introrsus igneum duci. Quasi uero non eundem ductum colorum ante aquarum eluuiem a condito æuo arcus habuerit, ratioq; physicæ non præsto sit. Cur ergo physicus, hoc est speculator, uentilatorq; naturæ istorum testimonium ab animis religione im-

butis petere debeat, cum hæc ratio nunquam fallax nobis ostendat? Illud uerum est, arcum duostantum habere colores, *intensum* scilicet, & *remissum*. hunc innumeros incertos, illum treis certissimos complecti. primum puniceum seu uinosum, secundum ostrinum seu purpureum, tertium cœruleum seu uiridem, quidem cyaneus, & prasinus dicitur. hinc & Aristoteles arcum utrunq; triplici colorum uarietate apparere dicit. διὸ καὶ, inquit, ἡ ἶρις τρίχως φαίνεται ἑκατέρα.

EX EODEM

Sed nunc diuersi intrant cum mille colores.) Lego Niteant, nõ Intrant, ne uersus claudicet, neq; aliter habent etiam Ouidiani codices. Et *infra*. Vt autem dissimiles colores sint.) Legendum ut clarior, puriorq; sit sensus, Vt an dissimiles colores sint. Hanc genuinam esse lectionem euidentius est, quàm ut aliquis dubitare possit. Et paulo post. Quidam ita existimant arcũ fieri. Dicunt in ea parte &c.) Legendum uidetur ex uetustis exemplaribus. Qui ita existimant arcum fieri dicunt. de opinione enim eorundem loquitur, qui putant arcum umbræ, lucisq; temperatura fieri. Ponit autem hic rationem eorũ, qua tuentur suam sententiam. Et *infra*. Quia omnis circumscripta leuitas, uel planicies.) Illud, Vel planicies, *superuacaneum* esse uidetur, neq; in uetustis exemplaribus inuenitur, neq; ad sensum magnopere pertinet, potest tamen defendi. Leuia enim, & complanata imagini reddendæ apta sunt.

EX EODEM

Itaq; piscinam ingentis magnitudinis insertis parietibus in plureis diuide.) Vetusti codices illa duo uerba, Insertis parietibus, non habent, & certe inania mihi uidentur, eadem impudentia, uel imperitia, qua pleraq; alia, huic loco insita. Nam piscina quocunq; modo diuidatur, nihil refert. Potest tamen qui uult hæc uerba custodire, quando non ita multum sensui nocent. Ego hæc neq; omnino approbo, neq; plane explodenda censeo. religiose enim, timideq; ueterum scripta tractanda sunt, ne temerarium iudicium secuti, ea demum tollamus, quæ maxime author probaret. atq; utinam etiam cætera tam æquo animo ferre possemus. Et *mox infra*. Quot lacus habuit.) Legendum, Habuerit, ut sensus illustrior sit. Et paulo *infra*. Vbi ergo hebes, & infirma est acies.) Verior, castiorq; est antiqua lectio, Vbi uero hebes. &c.

EX EODEM

Itaq; quod in alijs efficit densus aër, in his facit omnis aqua.) Hoc uerbum Aqua, procul dubio otiosum, & molestum est. Expun-

gendum itaq; ut pote adulterinum, & a uero ſenſu alienum, ſenſus enim eſt. Viſum qualemcunq; a denſo, infirmiorem uero ab omni aëre reflecti. Eſt autem hæc ſententia Ariſtotelis .III. Meteoron. Ab omnibus, inquit, leuibus rebus acies obtutum replicat, ex illis porro aër & aqua ſunt. itaq; cum aër coierit, acies ab eo reflectitur. Quanquam crebro etiam propter uiſus imbecillitatem, abſq; ulla aëris denſatione, & conglobatione fit reflexio. Quo genere morbi laborauit Antipheron Oretanus, qui adeo hebetem oculorum aciem habuit, ut ſibiipſi ſemper occurrere, & ſeipſum aduerſa facie præcedere uideretur. quandoquidem acies imbecilla in illum ubiq; replicabatur, cum ne proximum quidem aëra expellere poſſet, propter corruptam ὀξυοπίαν. Quin omnibus ſpirante Vulturno res maiores apparere, & promontoria in mari diuiſa uideri.

EX EODEM.

Itaq; quia craſſior eſt, & peruinci non poteſt.) Sic omnino & uetuſti codices. Nos tamen niſi, ita qui craſſior eſt, ſeparatim, & expuncto illo uerbo, quia, legerimus, aliquid in ipſo ſenſu deſyderemus neceſſe eſt. Vel, quod magis placet, a ſuperiori continuo ſenſu uerba hoc modo repetenda ſunt. Longe autem magis uiſum noſtrum nobis remittit qui craſſior eſt, & peruinci non poteſt. Hanc ego ueram eſſe lectionem crediderim, neq; aliter Senecam ipſum ſcripſiſſe. Item mox.

Vt & hæc quæ propoſui refellam.) Purior eſt antiqua lectio, propoſuiſti. Et infra non ita multo poſt. Nec ire crederemus, niſi appareret ipſe.) Scribendum proculdubio ut ſenſus conſtet, iſſe, non ipſe, hoc eſt iuiſſe, & motum eſſe, ac longe alia cœli regione, quàm paulo ante fuerat, apparere.

EX EODEM.

Varietas autem non ob aliam cauſam fit, quàm quia pars coloris Sole eſt ſparſa nubes illa.) Antiqua lectio omnino eadem eſt, niſi quod loco uerborũ (nubes illa) habet, nube nulla. Mutilatam, & conuulſam eſſe totam hanc lectionem, adeo ut uix coniecturæ locus relictus ſit, quis non uidet, qui uel mediocriter illum eruditum puluerem attigit? Scribendum nonnulli putant paris coloris, ſed modeſtius erat tacuiſſe. hoc enim non iuuare, ſed inuoluere magis ſenſum uidetur, & uulneri uulnus addere. Nos autẽ ſolicitus, diligentiusq; & præcedentia ſequentibus, & falſam, monſtroſamq; ueterum, ac uulgarium codicum lectionem conferendo, ueram propriamq; deprehendiſſe arbitramur, quæ talis eſt. quia pars coloris Sole eſt ſparſa, pars
» nube illa. Cum & paulopoſt dicat. Non eſt ergo mirum, cum duæ
» res ſint, Sol & nubes, ideſt corpus, & ſpeculũ, ſi tam multa genera

colorum exprimuntur. Candor enim in re atra, siue obscura multiplicem colorum effingit uarietatem, ut lux in fumo. Manifestum autem est has duas esse causas arcus, Solem scilicet, et nubem, colorem q; igneum a' sole esse, a' nube cæruleũ, alios uero ex his duobus permistis uiribus mutua incitatione consurgere. EX EODEM

Crassius medicamentum arcus aquarius traxerit) Ecce una sentina eiecta, alia graueolentior. Libet sæpe exclamare, hæc monstra errorum Hydræ similia esse, iugulato enim uno, & item altero, alia, & quidem atrociora innumera resurgunt. Quemnam hic inter continuum, perpetuumq; de purpuræ tinctura sermonem arcus, uel aquarius, aut arcus aquarius locum habet? Præcedit enim, Interest quantum macerata sit, & subiungitur, Sæpius mersa sit, an excocta, semper de purpura. Legendum itaq; ut omnia sibi constent, & respondeant, non arcus aquarius, sed an aquatius, hoc est lenius, liquidiusq;, ac dilutius traxerit medicamentum. Multum enim refert ad uarietatem colorum reddendam ipsius purpuræ tinctura, crassiore sanie, & medicamento, hoc est bammate saturata fuerit, an aquatiore, & dilucidiore, uelleribus sitientibus, tincta. Aquari autẽ, hoc est dilui, centenas quinquagenas medicaminis libras singulis aquæ amphoris solitum, iustumq; fuisse Plinius est author. Quanquã uulgata Plinij exemplaria æquari, non aquari habeant. Aquatum uero dicitur aqua perfusum, unde uinum aquatius dictum Hieronymo. Hunc Senecæ locum negligenter legit, alioqui curiosissimus, multæq; eruditionis, atq; in perquirendis disciplinarum mysterijs incredibili quadam diligentia, sollertiaq; præditus author Antiquarum lectionum Ludouicus Cælius, qui se notasse apud Senecam scribit arcum, siue Irin Aquarium dici. Ita in pudendos errores, etiam maximos, principesq; doctrinæ uiros, nisi oculatissimi fuerint, depravata exemplaria ueterum authorum sæpe præcipitant. Hac causa uideo multos, qui aliquid posteritati non tacendum emiserunt, hæc Senecæ doctissima septem uolumina, tanquam lemuribus infame domicilium euitasse, aut siqui attigerunt, cæce errasse. Ac nunc quoq; infinitis prope' erroribus doctissimum quenq; a' lectione nobilissimi authoris summoueri. Nos tamen (aut ego fallor) nostro labore & diligentia, præsidio ueterum exemplariũ, efficax huius mali remediũ attulimus, dedimusq; operam, non dico quantum humano, sed quantũ nostro ingenio, breui hoc tempore (bimestri enim labore, et qdem horis succisiuis tantũ ista curauimus) effici potuit, ut in istis septem libris pauca admodum loca non restituta desyderarentur.

EX CAPITE IIII.

Vt aqua œleriter aboletur.) Scribo æque œleriter. Et paulo infra. Vniuersi tibi uidebuntur priores a` te, quàm a` speculo) Vetus lectio, quàm speculo, sine præpositione, ut speculo dandi potius, quàm auferendi casus sit. Vnde mihi probantur, qui propiores, non priores existimant esse legendum. Quare sic erit tota fortassis lectio restituenda. Vniuersi a` te uidebuntur propiores tibi, quàm speculo. Huius tamen lectionis fides penès experientiam esto. Illud addendum, in speculis planis imagines pares uideri, in tumidis, & globosis minores, in concauis uero maiores, & auctiores. & has quidem modo intra, modo extra, modo rectas, modo conuersas apparere. Sed & infra mox. Priorq; nobis sit.) Legere malim propior, ut supra. Item. Vt solis imago nube discedat.) Vetus lectio. a` latere discedat, quod & Erasmus notauit.

EX CAPITE V.

Deinde cum uelis speculum alijs comparare.) Sine dubio uerior est uetus lectio, aëri comparare. quoniam hic non alijs rebus speculum, sed aëri, a` quo uolunt arcum reddi ad similitudinem imaginum e` speculorum leuore redditarũ, comparandũ est. Et mox infra. Atqui mille nubes habent similitudinem speculi.) Scribo, ne sensus sibi dissideat, nullæ nubes, quod est apertius, quàm ut sit declarandum. Item infra. Cæterum cateruam illam non confundunt.) Vetus lectio non contrahunt, recta utraq;.

EX EODEM.

Quid ergo, inquit, non ex aqua, rupta fistula, sparsa &c.) Scribendũ & aqua, non ex aqua. Ista minora sunt, quàm ut notatu digna essent, sæpe tamen, sicut hoc loco, unius literæ immutatio uel peruertit, uel confundit totam sententiam, decipitq; negligenter legentes. Et infra. Colla Tiberiacæ splendent agitata columbæ.) Scribendum ex ueteribus codicibus Cytheriacæ. Tiberiacas enim columbas non legimus, neq; ratio carminis hoc uerbum patitur. Veneri autem sacras esse colũbas notum est etiam illis, qui primis tantum labris literas degustarunt. Ouidius.

» Armigerumq; Iouis, Cythereiadasq; columbas.

» Virgilius de Aenea -Tum maximus heros

» Maternas agnoscit aues.-

EX EODEM

Nunquid ergo dicemus specula eiusmodi pluuias.) Quamuis & uetusti codices pluuias habeant, nemini tamen dubium esse potest, quin plumas sit legendum, loquitur enim de pennis auium, quæ licet sint unius coloris, plurium tamen esse uidentur, & ad singulas conuersiones mutantur, uariasq; ac incertas colorum differẽtias uariæ illu-

ſtratæ exhibent. Et infra. Quorum color aut ex ipſis mutatus.) rectius mutatur. Item paulopoſt. Humore diffuſo.) Vetus lectio, humore ſuffuſa, utraq; bona. ſed recentior mihi placet. nos tamen varias ponimus lectiones, ut legentes, quæ earum rectior ſit iudicare poſſint.

EX EODEM.

Poſitione lucis.) Neceſſaria deeſt particula diſtinctiua, aut, legendũ enim, aut poſitione lucis. Dupliciem nanq; dicat cauſam eſſe cur aliqua animalia ſubinde mutent colorem. aut enim affectionem id facere, aut lucis poſitionem. Varij enim uidentur colores pro lucis illuſtrantis diuerſitate, ut in deliquio Solis omnia natiua priuantur uenuſtate, atq; externo deformantur colore. Lucem itaq; eſſe quæ colorem rebus attribuat, ſine lucæ autem nihil uideri, nec colores diſcerni. Eleganter de hac re Lucretius.

» Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris,
» Lumine qui mutatur in ipſo? propterea quod
» Recta, aut obliqua percuſſus lucæ refulget.
» Pluma columbarum quo pacto in Sole uidetur,
» Quæ ſita ceruices circũm, collumq; coronat. Et reliqua quæ de eadem re ſequuntur.

EX EODEM.

Illæ eiuſdem materiæ, tota hæc è diuerſis temere compoſitæ.) Verior, nitidiorq; eſt uetus lectio. Illa eiuſdem materiæ tota, hæ ex diuerſis temere compoſitæ. Nubes enim ex diuerſa, & diſcordi materia temere congregantur, ſpecula uero eiuſdem materiæ ſunt. Et quod mox ſequitur. præterea uidemus ortu ſolis partem quandam cœli rubere.) Vetus lectio præterea uidemus nubes aliquando &c. Illud enim totũ. Videmus ortu ſolis partem quandã cœli rubere, in uetuſtis codicibus deeſt, & profecto an huc pertineat ſubdubito. Credo equidem ab aliquo ſtudioſo pro exemplo in margine ſcripta fuiſſe illa uerba, & ab ignaro librario pro uerbis authoris adſcripta in contextum. Hæc tamen non caſtigandi, ſed admonendi, & exiſtimandi gratia dicta uelim, nihil enim moueo, ſed locum indico. Aliorum potius uolo ſtare iudicio, quàm meam interponere ſententiam. Nimirum modeſte & circumſpecte pronunciandum eſt in ueterum ſcriptis iudicandis. Nam cum in omnibus rebus temeritas, errorq; turpis ſit, tum maxime ubi aliorum temeritatem, erroresq; corrigimus, & repurgamus. Et infra. Et ad hoc opus eſt radiorum idoneus locus.) Rectius in uetuſtis, idonea locatio. Et item paulopoſt. Permaneret ut uiſeretur.) Vetus lectio, & uideretur.

Ex eodem

EX EODEM

Ita non est, ergo & color, argumentum falsi coloris qui dum apparet, accedentibus desinit.) Perplexa, & inuoluta omnia, longéq; a uero sensu detorta. Nam de re optime constat, sed uerba ipsa discrepant, ineptumq; quiddam, & repugnans uero sensui ingerunt. Apertissimum enim est Senecam exemplo nubis uelle probare, colorem arcus non esse falsum hoc argumento, quod propius accedentibus apparere desinat, quando & nubes ipsa non uideatur ab eo qui in ipsa est, nec tamen propter hoc aliquis falsam dixerit. Nulla itaq; dubitatio relinquitur lectionem multis modis deprauatam esse. corrupto enim uno loco per imperitiam, cætera quoq; plurima circumcirca eadem labe trahantur necesse est. Ego si audendi ueniæ locus sit, expungenda illa duo uerba, Ergo & color, censerem, quæ molestissime & sensum totum immutarunt, & alia corrumpendi occasionem dederunt. Item lego, non Qui dum apparet, sed, Quod idē apparere. Quam lectionem colligo ex uetustis codicibus, qui habent, Quidē apparere. Sic ergo, ut omnia conspirent, & sibi consentiant, totam lectionem restitue. Atqui quamuis ipsa non uideatur, est, ergo & color. Ita non est argumentum falsi coloris, quod idem apparere accedentibus desinit. Et paulo infra. Qui argumentum nihil dubij relinquentibus docent.) Lego Argumentis, nō Argumentum. Et illud. Sunt quæ siniſtras, quæ torqueat uel euertant.) Vetus lectio integrior est. Sunt quæ siniſtras, sunt quæ torqueant & euertant.

EX CAPITE VI.

Vt ait Virgilius noster, Et bibit ingens arcus cum aduentat imber.) Inepte mihi uidetur Senecæ (pace tanti authoris dixerim) uti hic authoritate, & testimonio Virgilij ad ostendendum arcum nunquam dimidio circulo esse maiorem, uel etiam esse minorem sole altiore. nisi forte corruptus locus sit, cum Virgilius inter signa pluuiarum, & tempestatis arcum simpliciter referat, ita ut nihil interſit, maior minor'ue sit, cum æque tempestatum, uel etiam serenitatum index sit. Geminum autem arcum semper tempestatis, & pluuiæ euidens signum esse Aratus, & eius interpres Theon authores sunt, hinc & ἴριν græcis dictam, qa pluuias prædicat. Nec illud uerbum, Bibit, humiliorem arcum indicat, ut aliqui frigide, & inepte meo iudicio existimant, cum arcum communiter, nullo respectu ad hoc maior, minor'ue sit ἀναῤῥοφεῖν hoc est sorbere, & haurire flumina Græci dicant. unde & tauri caput illi fabulæ appingunt. Hoc itaq; uerbo illo, Bibit, expressisse Virgilium scientissimum omnium rerū natem

certum est. Quo uerbo & Plautus utitur, anum Lenam multibibam, atq; merobibam uas uinì exiccantem, facete, falsé'q; arcum appellans,
» Ecce autem, inquit, bibit arcus, pluet credo hercle hodie. Præterea nihil Senecam iuuerit, etiam si illud uerbum humilem arcum ostendet, cum de Sole altiore nulla apud Virgilium præcesserit mentio. Aut ergo Seneca ineptus hoc loco est, aut corruptum locum esse necesse est. quod equidē magis credo. Nam cum & Senecæ uerba sequentia arcum minari tempestatem indicent abrupte & imperfecte, tanquam prius facta aliqua tempestatum mentione, adducor ut credam tale aliquid superius deficere. Arcus etiam tempestates minatur, ut ait Virgilius noster. uel, Arcus tempestatum quoq; minas affert. uel sic. Arcus pluuiarum quoq; signa mittit, uel. Arcus & pluuiarum indicium est. uel id genus simile aliquid. Hoc modo singula singulis consonarent, neq; Virgilij testimoniū absurde aduocaretur. Sed difficile profectò est etiam de corruptis uerbis ueram lectionē indagare, quanto autem difficilius ubi & corrupta desunt? Quis enim potest scire quæ uerba author posuerit? aut de his, quæ coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere? Potest siquidem esse, ut harū lectionum, quas uarias posui, nulla. potest etiam ut una uera sit. Coniectura nanq; ut sæpe fallitur, ita nonnunquam ad ueritatem dirigitur. & cæcus aliquando iaculo cornicem figit. Sed nos hæc curiosius forsitan, quàm necesse est. & profectò nihil erat prouius, quàm talia negligere. Sed nos malæ conscientiæ reatum sustineremus, nisi ea, quæ nobis uidentur, alijs indicaremus, ueritatemq; inquireremus repudiata omni ambitione. Et quod mox sequitur.

Cum aduentat imber.) Supposititicium hoc esse uidetur, cum nec Virgilij sit, nec Senecæ conueniat, quippe quod sensum turbet. Sed uiderint legentes. nos hæc non repudiamus, sed arbitrio cuiusq; existimanda relinquimus. Vel forsitan hic nihil deest, sed uerborum ordo est immutatus, legendumq; hoc modo. Et bibit ingens arcus, ut ait Virgilius noster, cum aduentat imber. Sed adhuc dura, & inepta uidebitur a' superiori trāsitio. Discutiant hoc diligentius, quibus plus otij supereſt.

EX EODEM

Cum omnes fulgores paulatim excutiantur.) elegantius, & magis proprie Discutiantur. Et paulo infra. Aeque citò omnis imago modo illo aboletur, quàm ponitur.) Scribendum In illo, non Modo illo, cū sequatur, Quàm, et præcesserit, Aeque citò. quæno conueniunt cum uerbo, Modo illo. nostram lectionem & uetusti codices approbant. Item paulopost. At maior est aliquando arcus quàm Sol.) Lego

Aliquanto,

Aliquanto, nó Aliquando, cum ſemper maior Sole arcus nobis appareat. Et infra. Quid mirum maiorem reddi imaginem Solis.) Videri, non Reddi forſitan melius ex uetuſtis. Item infra. Quia in nube eſt uitro ſimile). Vetus lectio perfectior. Quia in nube eſt aliquid uitro ſimile. Et in fine capitis. Eſt aliquid & aquæ, quã ſi nondum habet, eſt, iam apparet eius natura.) Legendum, Quam ſi nondum habet, tamen iam apparet eius natura.

EX CAPITE VII.

Primum in hoc argumento quod apparet à Sole fieri, multa ſunt pro me.) Vetus lectio ſincerior. In hoc argumento multa ſunt pro me. Primum igitur, & illud totum Quod apparet à Sole fieri) commentum uaniſſimum eſt, & ad libidinem concepta diuinatio. exhæredanda igitur ſunt hæc ex hac familia tanquam adulterina, & legitimum ſenſum turbantia & confundentia. Et quod mox ſequitur. Pridem quidem apparet quiddam leue eſſe debere.) Lego Primum, quod apparet quiddam &c. Hanc lectionẽ & ſequentia probant. Item. Vbicunq; deflectitur.) Vetus commodior, Vtcunq; deflectitur.

EX EODEM

Totidem redderet Soles, quot habuiſſet inſpectores.) Ita habent omnes, quos ego uiderim, codices. ſed Inſpectores, in quo ſenſu accipiendum ſit, non plane uideo. Nam ſi per inſpectores, inſpicientes homines intelligas, falſum erit uirgam uitreã, utcunq; factam, fabricatam'ue, ab inſpectorum numero, imaginum Solis numerum trahere. cum ipſi inſpectores nullum momentum faciant ad hoc, ut illa unum, uel plures Soles reddat. Nullus ita cæcus in contemplandis rebus eſt, qui de hoc dubitet. Sed neq; uerba ipſa, quæ ſequuntur (quamuis & illa abſoleta, & conficta) ad hoc ſignificatum conueniunt. Atq; utinam tam facile eſſet ueram inuenire lectionem, quàm hanc falſam eſſe conuincere. Quoniam autem in hoc errore ita ptinax eſt omniũ exemplarium conſenſus, tutius, modeſtiusq; erit hoc loco quieſcere, quàm quicquam mouere, ne antiquum uulnus curatione ipſa reſcindamus. De re itaq; tam obſcura, & incerta ad Apollinem, exemplo Socratis, cenſeo referendum. Non tamen diſſimulabimus quæ nobis uidentur. Proinde legendum forſitan erit, non Inſpectores, ſed Inſecturas, hoc eſt canaliculos, ſiue ſtrigles. quo nomine cæua ipſa inter duas ſtrias, hoc eſt angulos, & prominentias, quas Græci ἐξοχὰς uocant, in ipſis columnis, & alijs rebus per inſecturas, & angulos diuiſis, appellantur authore Vitruuio. Hæc lectio ut incerta, ita profecto commodior, & ſenſui congruentior, quàm illa prior, quæ nul

lo pacto ſuſtineri poteſt. Et quæ mox ſequuntur, Qui quia diſcernuntur inter ſe, non ſatis inuicem ſpeculi nitent, inchoant tamen imagines) Aeque deprauata ſunt, imperitia ad ſuum ſenſum omnia trahente, & ex uno errore pluribus naſcentibus. Scribendum itaq; & hic erit, ut nulla ſuperſit obſcuritas, Quæ quia non diſcernuntur inter ſe, nec ſatis in uicem ſpeculi nitent, inchoant tantum imagines. ita ut In uicem, duæ ſint dictiones. Haud ſcio mehercule an hæc lectio uera, germanáq; ſit, huius tamen me non pœnitebit interim, quoad meliorem uideam. Et ſupra. Quia enormiter fracta eſt.) Scribe, Facta eſt.

EX CAPITE VIII.

Cum certe ex inferiori nubes ferit, terris propinquas.) Antiqua lectio. Terris propinquus. ut Solem intelligas, Item infra. Atqui et nũc) lege Et tunc, ut ſenſus conſtet, Item infra. Quare ille circulus iungitur & in arcum nonnunquam.) Vetus lectio. Quare illis circulus in arcu circundatur nunquam. ſed neutra placet. Scribendum itaq; eſſe uidetur, Quare & ille arcus in circulum iungitur nunquam. Manifeſtum eſt enim arcum nunquam poſſe iungi, ſed ſemper uel dimidium circulum eſſe, uel dimidio minorem. Sole oriente, & decumbente dimidium. parum elato dimidio minorem. meridie tenuiſſimum. Nanq; quo elatior eſt Sol, eo depreſſior uertex circuli oppoſiti, & centrum eius magis infra finitorem deſcendit.

EX CAPITE XI.

An facio quod Virgilius, q dubitauit de nomine.) Aut nos deprauatũ, & nó bene intellectum Virgilij locum habemus, aut (quod magis credo) Senecæ iniuria accuſanda, diligentiaq; reqrẽda hoc loco eſt. nó enim de nomine Rheticæ, ſed de laude et præconio dubitat Virgilius.

» =Et quo te carmine dicam
Rhetica?=

& qa hac dubitatione de eius præconio uiſus erat maximam ei attribuiſſe nobilitatem. itaq; ne Rhetica hac laude multum ſibi placeat, ſeq; omnibus uitibus præferat, cum nobiliores ſint aliquæ Campanæ (tametſi Cato Rheticam omnibus prætulerit) ſubiungit,

» =nec cellis ideo contende Falernis.

Veriſimile ergo eſt Senecæ hoc loco ſomnum obrepſiſſe, nec id mirũ, cum Ciceroni dormitare interdum non modo Demoſthenis oratio, ſed etiam Homerus ipſe uideatur. Horatius.

» =Quandoq; bonus dormitat Homerus.

Diuini profecto, non humani ingenij eſt, nunquam errare. Nullus eſt ita excellens author, qui aliquando ſe hominem eſſe non prodat.

Nihil

Nihil est autem quod hic librarijs imputes, integra lectio est.

EX CAPITE XII.

Quẽ admodũ ergo in aëre utriusq; imago terris aspici potest.) Scribẽdũ ære, c, ut sit dissyllabũ, hoc est in peluibus pingui humore repletis.

EX CAPITE XIII.

Et simlia luminaribus circulis) Legendum Lunaribus. Lunari enim orbi Solis imagines, quæ in nubibus apparere solent, simles sunt.

EX CAPITE XIIII.

Qui etiam fertur.) Lego, Qui uel fertur, uel in uno loco flagrat. Et infra. Et flãmam, uelut dehiscens, in abdito ostentat) Vetus lectio. Et flammam dehiscens uelut in abdito ostendit, solo ordine uerborũ mutato. Ementiuntur enim quandam altitudinem chasmata ut dicit Aristoteles, quẽ Seneca imitatus, illud ποιεῖτι βάθος ἔχειν δοκεῖν, his uerbis exprimere uoluit. Itẽ infra. Sed quacũq; incurrerunt.) Vetus lectio. Concurrerunt, forsitan Cucurrerunt. Item de fulmine. Quia citò spatium sursum transilit.) Ita habent omnes codices, sed mihi nescio quo pacto non satisfacit ista lectio, & illud Sursum, durum, horridumq; uidetur. cuius loco ego malim Suum legere, ut illustrior, planiorq; esset lectio. Fulmina quæ celeriter transcurrunt Aristoteli Argeta dicuntur. τῶν δ' πιραυνῶν, inquit, οἱ ταχέως διάττοντες, ἀργῆτες λέγονται. EX EODEM

At ille non est extenti corporis per omne uenit) Ita & uetusti codices. sed deficere aliqd necesse est. id quod & sensus ostendit, qui talis est. Fulminis longum quidem uideri ignem, & extentum p omne spatiũ, per quod præcipitatur, non tamen esse extentum corpus eius p omne spatium illud, sed id uideri, quia uelocissime deijcitur. ut facẽ circumacta uelociter, igneus circulus duci uidetur, atq;

» Consequitur motos uelociter ignibus igneis.

Legendum itaq; forsitan erit. At ille non est extenti corporis p omne spatiũ, p quod uenit. uel, p omne per quod uenit. Potest enim Spatiũ omitti sine detrimento sensus. Aristoteles nõ negat esse aliqua fulmina, quæ linearũ specie deferãtur, flãmarumq; caudã trahant, quæ Helicia appellantur. Verba Aristotelis hæc sunt. τῶν δὲ πιραυνῶν οἱ μὲν γραμμοειδῶς φερόμενοι, ἑλικίαι λέγονται. EX CAPITE XV.

Fulgores, inqs, quomodo fiũt, quos Græci Chelas appellãt. Lego ex Aristotele, σέλαα, siue σέλα appellant. σέλας enim σέλατος uel σέλαος Græcis dicitur fulgor, & numero multitudinis σέλατα uel σέλαα, et p contractionẽ σέλα. Aristoteles. σέλας δέ ἐστι πυρὸς ἀθρόου ἔξαψις ἐν ἀέρι. τῶν δὲ σελάων ἃ μὲν ἀκοντίζεται, ἃ δὲ σπερίζεται. Fulgor est, inqt,

EX LIBRO

ignis denſi accenſio in aëre. Fulgorũ alij in iaculi modũ euibrantur, alij certo loco fixi pmanent. Et mox infra. Poteſt ſuperioris cœli, uel uenti feruor.) *Illud uerbũ* Vel uenti, otioſum, *et adfictũ eſt. neq; enim ad ſenſum ptinet, neq; in uetuſtis exẽplaribus legitur. Et infra.*

Hoc uero nõ poteſt fieri. Quid? porró. *ut aër uim igneã &c.) illa duo uerba,* Quid? porró, *inutiliter, et cũ moleſtia ſenſus interpoſita mihi uidẽtur, neq; illa uetuſti codices habẽt. et profecto ſummotis illis longe apertior, clarior q; ſenſus erit.* Poſſunt tamen ſuſtineri, ſi cui placent. *Et infra.* Et tãtũ lucis emittũt) Vetus lectio Enutriũt, *et forſitan recte. ſubiũgitur. n.* Donec cõſumpto alimẽto primũ ol ſcuriora ſint. *Sed et* Emittũt bona, *et neſcio an etiã rectior lectio. Quoniam autem parũ refert utrũ legatur, liberũ opinaturis relinquo iudiciũ.*

EX EODEM

Cum aër ſpiſſus ignẽ, quẽ propior terris diu parauerat.) Scribo Pauerat, *hoc eſt nutrierat. Spiſſi. n. humores, et coactus aër paſcunt, nutriunt q; ignẽ. Et paulopoſt.* Hij fulgores dicũtur, qa breuis facies illorũ, *et caudica eſt.)* Purior eſt uetus lectio, Hæc fulgores dicũtur. Itẽ Caduca, nõ Caudica ſcribẽdũ. Puderet *notare tam leuia, niſi uiderẽ delicias legentiũ, q & minoribus offendũtur.* EX EODEM

Motum q; cœli ſequẽs.) Lego Sequũtur, *ut ſit illuſtrior oratio. Sequitur. n. Aut proprios curſus agunt, Et ſtatim infra.* Cometas noſtri putant, de qbus dictũ eſt.) Vide ne ſit legẽdũ, De qbus dicẽdũ eſt, uel, De qbus dicemus. *Septimo. n. uolumine de* Cometis, priuatim huic rei deſtinato, tractat. *ſuperius autẽ nulla mẽtio* Cometarũ facta eſt. poteſt tamen et Dictũ, defendi, ſi ardores, et trabes itelligas, de qbus ſuperius. *Sit hoc ergo arbitrarium. nos nihil mutamus. Itẽ paulo infra.* Horũ genera Pagoniæ, Lampades, et Cichariſſiæ) Legẽdũ Pogoniæ, Lãpades, et Cypariſſiæ. Quæ à ſimilitudine Cypariſſi uel Cupreſſi ſic dicũtur. Feſtus. Cypariſſiæ appellãtur quædã acies igneæ, quæ noctu apparere ſolẽt ad ſimilitudinẽ Cupreſſi. Idẽ. Cypariſſiæ dicuntur ignes prodigioſi à ſimilitudine Cupreſſorũ. Aſparſoplecta uero, ſiue, ut uetuſti codices habẽt, Aſparſioplectra qd ſit adhuc quærimus. Niſi forte ἀστραπορυσῆρας, hoc eſt Fulgurãteres Turbines legamus. Vel potius ἀστραπόσυρτα, ideſt Fulgura in terrã ruẽtia. Quæ lectio uerbis ſuperioribus Senecæ cõuenit. Sæpta autẽ dicũtur Ariſtoteli omnia cœleſtia, quæ in terrã uſq; præcipitata ſe ad qppiã allidunt. Vel certe ἀστραπόπληκτα. Quia dicit Ab his tecta uidimus icta.

EX EODEM

Multa. n. conglobatione igniũ indigẽt, cũ ingẽs illorũ orbis aliquantum

matutini

matutini amplitudinẽ Solis exuperat.)Vetus lectio diuersa.Multa.n. cõglobatione igniũ se cõiungẽs illorũ orbis,aliquãdo matutini &c. Potest hæc qdẽ, sed et uulgata lectio tolerari,ita tamen ut loco uerbi Aliquantũ, Aliquando scribatur. Præterea si cui magis placet uulgata & recentior lectio,q̃ antiqua,lex grãmatica postulat, ut in calce quoq; Exuperet,nõ Exuperat,legat.qđ uerbũ facit,ut sincera ueteris exẽplaris fides uideatur.Et infra. Nihil aliud quàm alienũ opus mentientibus.)Scribendum Corpus non Opus.Speculorũ enim illa simulacra,quæ imaginant,mendacia sunt, & inanes uerorum corporum imitationes.

EX EODEM

Nec in alia protinus imagine abducæretur.)Lege Obducæretur,et Alia, nõ In alia.Et item. Sunt ista à qbusdã ita cõposita,ut et hæc possint detorquere in prauum)Vetus lectio forsitan pfectior. Vt et hoc possent,et detorquerẽt in prauũ.hoc sensu.Esse quædã specula ita facta,et cõposita,ut reddãt qdẽ corporũ imagines,et similitudines, sed lõge in peius detortas,et deformatas,id qđ et superius dixit,esse specula,quæ reddãt simlitudinẽ i peius.Nostri qdẽ est officij indicare qd nobis uideatur,existimatio autẽ sua cuiq; sit.

EX CAPITE XVI.

Hostius princeps qdã fuit obscœnitatis usq; in scænã productæ.)In antiquissimis exẽplaribus illud uerbũ Princeps,nõ legitur.Atq; eqdẽ haud scio an sit necessariũ.ipsa.n.oratio probior,uenustioŕq; uidetur illo uerbo erasо.Nõ sum nescius,sicut ab idoneis authoribus elegãter dicũtur principes gulæ,ganeæ,popinæ,ita dici posse principẽ obscœnitatis.sed hũc principatũ satis supeŕq; puto exprimunt illa uerba, In scænam usq; productæ.

EX EODEM

Indignũ uindicta uindicauit.)Lego Iudicauit,nõ Vindicauit.Sẽsus autẽ est.Hostiũ qdẽ nõ iure occisum à seruis esse,Diuũ Augustũ pronũciauisse,sed idignũ esse scelestissimũ,et cõtaminatissimũ nefandissimis flagitijs Cillonẽ uindicta,hoc est,ut eius mors uindicaretur,et in seruos, q eũ occidissent,animaduerteretur.Et illud paulo ifra. Oculis suis ad illa aduocauit.)Scribo Oculis suis illa aduocauit.Tã leuia præterire sæpe cogito,sicut nõ parũ multa præterij.

EX EODEM

Cum cõplexus erat.)Cõpressus forsitan conuenientius proposito uerbũ. qđ & uetus habet,et alij agnoscunt.Nota est uerbi obscœnior significatio.Et qđ mox sequitur. Genibuśq; alienis obhæserat.) Vetus lectio Clunibus alienis,nõ Genibus. quæ lectio etsi obscœnior sit,tamen uerior uidetur.neq;.n.tãta rei fœditas honestis uerbis exprimi potest.Sed & Genibus forte tolerabiliter legitur. Subit mirari tam graue philosophũ in re obscœnissima in tantum expatiari.Indignũ

profecto sapiẽtis grauitate erat, tantam fœditatẽ, tam multis, et nudis uerbis quasi spectandã oculis proponere. EX EODEM

Et testes eius, tractores'ue sint.) Legendũ ex uetustis codicibus Exactores'ue sint. quam lectionẽ ante nos uidit Erasmus. Et item. Etiam ea quæ conspectu corporis nostri) Vetus lectio purior. Etiam ea quæ ab aspectu. Item infra. Quo nequitiam meam si ad naturæ modum pecto?) Antiqua lectio. Quo nequitia mea, in nominandi casu. Vtraq; bona est. Horatius.

» Quo mihi fortuna est, si non conceditur uti?

Et paulopost. Quod incredibilẽ imaginis magnitudinẽ reddat.) Vetus lectio Imaginum, non Imaginis, multitudinis numero, propter multa scilicet specula apposita. Item quod mox sequitur. Si licæret mihi aduerum ista perducerem.) Vetus lectio Ad usum ista perducerem, bona utraq;, apertus sensus est huius, & illius. sed quam magis probem non facile dixerim. Illud tamen testari licet, nos debere fidem ueterum exemplarium sequi, ubicunq; defendi potest. Et illud. Facinus indignum, hic fortasse citò, & antequã uideret, occisus est.) Sic quidem & uetusti codices, sed mihi illud uerbum Videret, suspectum est, aut addendum forsitan uerbum Hæc, ut sit, Et ante quàm hæc uideret.

EX CAPITE XVII.

Quid facies ista nobis, & quid in nos obuersa reddatur.) Sincera, & genuina est uetus lectio. Quid ita facies nostra nobis, & quidem in nos obuersa reddatur. Item. Quod cum uera corpora edidisset.) Vetus lectio Dedisset. Et infra. Excipiendarũ imaginũ capacem.) Vetus lectio Appetentem. utraq; bona, sed recentior magis blanditur. Item infra. Multi ex hoc consequunti primo sui notitiã) Commodior est uetus lectio, Consequuntur, nó Consequunti. Socratem philosophum docet Apuleius speculis ad morũ disciplinam usum fuisse, suasisseq; discipulis, ut sæpius in speculis sese contemplarentur, et cui placuisset pulchritudo corporis, cãueret formæ dignitatẽ morũ turpitudine dehonestaret. quẽ uero formæ pœniteret, curaret nauiter ut uirtutis splẽdore, ingenijq; dotibus dãna corporis repẽderet. Et paulopost. Senex ut indecora cærnis deponeret.) Legendũ Canis, non Carnis. cani q sint notius est, quàm ut dicatur. Multa autem iuuenes decent, quæ senibus indecora sunt. EX EODEM

Qualem fuisse cultum putas? Ad hoc speculum secernentium ætas illa simplicior, & fortuitis contenta.) Lectio confusa, & intricata mala distinctione. tu sic distingue. Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se cernentium? Aetas illa simplicior, & reliqua. Ita ut Aetas

principium

principium sit sequentis Coli, & Se cernentiũ duæ dictiones cum interrogatione. Item infra. In libidinem luxumq; rapiebat.) Vetus lectio Trahebat. Sed hæc nó ponẽda i magno discrimine. Itẽ paulo post. Dulcẽ aspectũ formæ suæ ea facerẽt, sæpius despexere &c.) Vetus lectio ordinatior & clarior, Dulcem aspectum formæ suæ facæret, sæpius ea despexere. EX EODEM

Postquam deterior populus subijt, in ipsas terras se effossurus, ferrum obruendum primum in usu fuit) Vetus quoq; lectio propemodum eadem, nisi quod loco uerbi Effossurus habet Effussurus, quæ lectio sincera uidetur. nisi malimus legere deffossurus, ad scrutanda scilicet terræ montiumq; uiscera. Plinius Penetramus, inquit, in uiscera terræ, auri argentiq; uenas, & æris ac plumbi metalla fodientes. Idem alio loco. Imus in uiscera eius & in sede Manium opes quærimus. Effossurus uero & Defossurus sunt contrariæ significationis. ut autem improprie dicitur Defossurus e terris, ita Effossurus in terras. Sed hæc nec dictu necessaria in tanta notitia, cũ omnibus, qui sermonem curæ habent, communis sit uerborum proprietas & differentia. Nobis placet antiquam custodire lectionem. Et quod mox sequitur. Et id homines impune irruerent, si solum irruissent.) Lego Eruerent, si solum eruissent. Ferrum enim erutum innoxium, immo uero etiam necessarium ad multos mortalium usus uideri poterat, nisi dehinc argenti auriq; metalla effossa id nocere docuissent, homunesq; in mutuam necem armassent. Ouidius,

» Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
» Prodierat.- Aurum siquidem, ut aduitæ perniciem repertum, ab optimis quibusq; prescissum est multis conuitijs. Et statim infra.

Et mox proprie huic ministerio præparatus est orbis) Vetus lectio. Et mox fuit proprio ministerio paratus orbis. de hac quoq; an recta sit non nihil ambigo. sed hæc potest sustineri in bono sensu. Illa uero uulgata quẽ sensum habeat, alij uiderint. EX EODEM

Nondum argenti nitor, sed fragilis uilisq; materia. Tũc quoq; cum antiqui illi uiri incondite uiuerent, sed satis nitidi, squalorem opere collectum aduerso flumine eluerunt.) Vetus lectio ut clarior, et melius distincta, ita rectior elegantiorq;. Nondum argenti nitor, sed fragilis uilisq; materia tunc quoq;, cum antiqui illi uiri inclyte uiuerent. satis nitidi, si squalorem opere collectum aduerso flumine eluerent. Parsimoniam enim, frugalitatemq; ueterũ laudat. Et infra. Cura comæ, capillum fuit ac prominentem barbam depectere.) Scribo, Cura comere capillum fuit, ac prominentem &c.

EX LIBRO

EX EODEM

Deniq; gemmis adornata, & poculum unum ex his fœmina conſtitit, quod antiquarum dos fuit) Vetus lectio profectò & uerior & clarior. Déinde gemmis adornata & poculis. Vnum ex his fœminæ
» conſiſtit, quod antiquarũ dos fuit. Plinius libro. XXXIII. Quinetiã
» pocula ita figurantur exculptis intus crebris cœuſpeculis, ut uel uno
» intuente populus totidem imaginum fiat. Et quod mox ſubiungitur.

Nó illa quæ publicæ dabatur imperatorũ pauperũ filiabus) Vetus lectio integrior & elegantior, ſenſuiq; magis concinit. Non illa quæ publicæ dabatur, ſed imperatorũ pauperũ filiabus. Et in calce libri. Nulli non uitio muneratio neceſſarium factum eſt.) Vetus lectio Numerario, nó Muneratio. ſed nec iſta ſatisplacet, tamen ut hæc aliquem forte non ineptum, ita illa uulgata nullum ſenſum habet. Legunt aliqui Numerato. Sed quicquid horum legatur, non deerit locus diligentiæ. Forte legendum Innumerato, ut illud Diui Auguſti.
» Vincius ingeniũ innumerato habet.

ANNOTATIONES FORTVNATI IN LIBRVM SECVNDVM SENECAE.

EX CAPITE PRIMO.

T formam ignium, uel ſyderum) Illud, Vel ſyderũ, inane eſt, cum ſupra dixerit, Naturam ſyderũ. ſed
e neq; uetuſti codices habent. Et infra.
» -et humanas mouentia tonitrua mentes)
Motura legendũ ex Ouidio, & uetuſtis codicibus, ne uerſus claudicet. Itẽ paulo infra. Quo de tonitruis, fulguribuſq; dicturus es) Vetus lectio. Quo de tonitribus. Et certe apud authores in hac inflexione huius uerbi frequentior uſus eſt, & maxime
» in numero multitudinis. Plinius, Noctu magis, quàm interdiu ſine tonitribus fulgurat.

EX EODEM

Cogitur in ea ſede, in qua illũ natura diſpoſuit) Probior eſt uetus lectio. Cogitetur, nõ Cogitur, hoc ſenſu. Aërem, q terras ſubit, nõ eſſe ſpectãdum ibi tanquam depreſſum mole terrena, languentem'ue, aut otioſum. ſed ſemper luctantẽ, & molientem erumpere ad eum, quem illi natura diſpoſuit, locum. atq; ibi eiuſdem eſſe potentiæ, eiuſdemq; ingenij, cuius eſt in loco proprio, inquieti ſcilicet & turbulenti. Et infra. Inter cœleſtia & de terra dicendum erit.) Tolerabilis eſt hæc lectio, ſed uetuſti codices De terrenis.

EX CAPITE II. ET III.

Et duorũ inter se cõiunctorũ cœporũ tactus.) Vetus lectio forte cõmodior. Tractus, nõ Tactus. Nõ. n. satis est ad unitatẽ duorũ cœporũ ut se tangãt, sed requritur qdã tractus ductusq; pmistus et indiscretus. Item infra. Illa constant aut nexu, aut aceruatione) Vetus lectio Cõgregatione, bona utraq;. Itẽ ex Cap. III. Quædã materiæ loco relictæ) scribendũ Relicta.

EX CAPITE V.

Ex qbus, ideſt illo & illa alimenta animalibus omnibus satis) Clarior, pfectiorq; est uetus lectio. Ex qbus, ideſt ex illo, et ex ista alimenta omnibus animalibus, omnibus satis. Item infra. Et omniũ qdem rerũ naturã quantũ in nutrimentũ sui satis sit, apprehendit.) Lego, Natura, nõ Naturã. In ea. n. hæresi est Senecæ, ut credat sydera, & Mũdũ, Naturamq; rerũ terreno humore pasci, secutus opinionẽ philosophorũ, et maxime Platonicorũ, q tradũt stellas, quas igneas esse opinantur, totumq; mũdũ, cuius omneis parteis calor qdam uitalis ptingit et tranat, humecto alimento, ex aquis agrisq; Sole tepefactis excitato, ali & nutriri. qa nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere. Plinius Sydera uero, inquit, haud dubie humore terreno » pasci, quia Luna orbe dimidio nõnunquã maculosa cernatur. Huius opinionis nec poëtas pœnituit. Virgilius.

» -cœueexa polus dum sydera pascet. Lucretius.

» -unde æther sydera pascit. Lucanus.

» Nec non oceano pasci Phœbumq;, polumq;

» Credimus.= Sed hæc aliâs forsitan & aptius & latius. Aristoteles. II. Meteoron irridet hanc opinionem tanquam uanam & ratione carentem.

EX CAPITE VI.

Nunquã enim contexi nisi per unitatẽ cœporis uisus est) Vetuſti codices, Contexti, nõ Contexi. et loco uerbi Visus, forte Nisus legendũ est. hoc sensu. Nullũ cœpus, nisi sit p unitatẽ contextũ, posse habere aliquam intensionẽ, & aliquẽ conatũ ac nisum. Nulla enim intensio sine unitate, id quod uthor ipse multis infra rationibus confirmat. Nam si Visus & Contexi, uel alterutrũ legeris, nõ uideo quẽ sensum ex ijs uerbis elicies. Itẽ paulo infra. Ostẽdũt uoces, quæ remißæ claræq; sunt) Vetus lectio Elatæq; sunt, qđ opponitur remisso, sicut clarũ obscuro. Hæc autẽ uocũ differẽtia facilius deprendi potest in his, quas Phonasci διασηματικὰς quàm in his, quas συνεχὰς uocãt. Nota sunt hæc illis, q illã partẽ Geometriæ quæ κανονικὴ dicitur, quæ longitudines altitudinesq; uocũ emetitur, deguſtauerũt. EX EODEM

Arbusta sylvasq; conuoluit) Bona hæc, sed uetus lectio, Convellit, quæ

commodior est ad ostendendam concitati spiritus uiolentiam. Item infra. Consyderemus quàm ingentem uim per occultum agant paruula admodum semina) Lego Agat, non Agant, ut ad spiritum referatur. Paruula autem sit initium sequentis coli. De hoc naturæ miraculo ex tam minimis seminibus granis'ue, si inciderint in concipientem comprehendentemq; naturam, nasci procerissimas arbores longe lateq; radicũ brachia spargentes, & respuentem secures materiam, copiose Plinius libro. XVII. Meminit & Cicero secundo De natura deorum. Item paulopost. In tantum coalescant) Vetus lectio Conualescant. quæ forsitan magis sensui congruit. Loquitur enim non tam de quantitate arborũ, & radicum, quàm de uiribus & occultiore illa potentia. Nihil tamen mutandũ censeo, cũ bona sit et uulgata lectio.

EX CAPITE VII. ET VIII.

Quid autem producit fruges) Vetus lectio elegantior, & magis inferioribus congruens. Quid est aliud quod producit fruges. Item infra cap. VIII. Non autẽ opus erit inani aut mixto) Lego Inani admisto, hoc est ut inane aëri admisceatur.

EX CAPITE IX.

Magnosq; impetus.) Vetus lectio Magni impetus, utraq; bona est, sed uetus magis blanditur. neq; est discedendũ à fide ueteris exemplaris ubi custodiri potest. Et infra. Nihil enim nisi intentione uehementius est.) Vetus lectio. Nihil enim non intentione. quæ commodior mihi uidetur.

EX EODEM

Atqui uero nec manus, nec ullum aliud tormentum, siue instrumentum aquã poterit mittere, aut agere, quàm spiritus.) Vetus lectio sincerior qdem, sed haud scio an etiam integra. Atqui nec manus, nec ullum aliud tormentum aquã poterit mittere, aut agere, quàm spiritus. Illud uero. Vel instrumentum) ex duplici, & ambigua lectione librarius ignarus addidit, sicut aliâs sæpe. Sunt exẽplaria uetustissima in quibus ita legitur. Atqui nec uero magis, nec ullũ aliud tormentũ aquã poterit mittere. Quam lectionẽ nisi uidissem, poterat prior integra uideri. Nunc ista nescio quo pacto magis alluderet, si sincera esset. nisi forte legamus Atqui nec tollo magis, nec ullum aliud tormentum. Crediderim enim illud Vero, nõ otiosum esse, sed & facile p imperitum aliquẽ ex uerbo Tollo corrũpi potuisse. Præterea Magis potius, quàm Manus esse legendũ, tum quia, si Manus legatur, inepte illud sequetur, Nec ullũ aliud tormentum. quæ uerba ostendunt tormenti, seu organi aliquod genus nominatũ esse. Quãuis sciamus & Manus ferreas inter genera tormentorum poni, sed hic nihil ad propositũ. Tum quia in calce uerborum ponitur Quàm particula, quæ cum

uerbo Magis poni *apte consueuit.* Præterea *falsum est nullo tormento posse agi aquas, nisi solo spiritu. quem sensum uidentur habere uerba prioris lectionis.* Verum *autem est nullo tormento magis, quàm spiritu.* Tollones *uero tollendæ aquæ instrumenta sunt, ut* Celonium, Ciconia, *&* Antlia. *quod & sentinam significat.* Instrumenta *autem seu organa spiritalia aquæ tollendæ* Pneumatica *dicuntur.* Plinius
» *libro.* XIX. Hortos, *inquit, illæ iungendos non est dubium, ri-*
» *guosq; maxime habendos, si contingat perfluo amne, si minus, è pu-*
» *teo pertica, organisue pneumaticis, uel tollonũ haustu rigandos.* Quæ *uerba* Plinij *uel ob id repetenda censuimus, ut corruptam apud eũ lectionem obiter restitueremus.* Item *infra.* Hoc *inserto & cogente attollitur.*) Vetus lectio Agente, *non* Cogente. *sed utraq; recta.*

EX EODEM

Parum *offendunt non aquam sibi resistere*) Ostendunt, *non* Offendunt *legendum ex uetustis codicibus.* Et *paulo infra.* Vox *autem qua ratione pariẽtũ munimenta transmittitur*) Vetus lectio Per pariẽtũ. Item *mox.* Nisi *quod solido aër ineſt*) Scribe, Solido quoq; aër *ineſt.* Item *infra.* Scilicet *non aperta tantum intendens*) Vetus lectio, Scilicet *spiritus non aperta tantum intendens.* Et *statim infra.* Quod *illi facere expedit um est, quia nusquam diffusa.*) Vetus lectio Diuisa *non* Diffusa. *sed neutra sensui congruit.* Quare *legendum forte erit,* Quia *nusquam diuisus, ut sensus apertus sit. Aër enim seu spiritus, cum per solida & inclusa transit, non diuiditur, sed continuus sibi, & interruptus fluit p omnes res, partesq; mundi. quod mox latius.*

EX EODEM

Ipse *quidem transit per ipsum quod scindit, & media nõ circumscindit tamen, & utrũq; cingit*) Lectio *confusa nullo sensu, uetus quoq; nihilo minus pplexa, & obscura. Ipse qdem transit per ipsum quo scinditur, & media non circunfundit tantũ, & utrinq; cingit. Videtur esse legendũ,* Ipse qdem transit per ipsum quo scinditur, & media non circumscindit tamen, sed utrinq; cingit. hoc sensu. Aërem omnia, quibus intercludi, uel scindi uidetur, tranare, non tamen scindere illa p quæ transit, sed cingere utrinq;. Plinius quoq; Aërem per cuncta rerũ meabilem, totoq; consertum credit. Penetrare hunc & in aquas, argumento spirantium piscium, & in terras, animalium quæ semper defossa uiuunt, ceu Talpæ.

EX CAPITE X.

Quantum *ad sinceritatem tenuitatemq; pertinet.*) Vetus lectio Sicitatẽ, quã et Erasmus reposuit. Mihi tamen nõ manus bona ueraq; recẽtior uidetur. Et *infra.* quousq; redire potuerũt reduplicato calore) lego

EX LIBRO

Id duplicato, non Reduplicato. Duplicatur autem imæ partis aëris calor per radios rectos, & replicatos, qui ad regionem nubiũ perueniunt. Seneca infra libro IIII. cap. VIII. Pars aëris, quæ prope terras est, plus habet caloris, quod radij Solis a' terra resiliunt, & in se recurrunt, horum duplicatio proxima quæq; a' terris calefacit.

EX EODEM

Quorum aliqui eruperunt innumerabiles, & in abscondito flagrant.) Remouenda est, Et, particula, atq; sic distinguendum. Quorũ aliqui eruperunt, innumerabiles in abscondito flagrant. Dicit enim ignes plurimos erupisse, sed innumerabiles in occulto ardere. Excedit profecto', inquit Plinius, omnia miracula, ullum diem fuisse, quo non cuncta conflagrarent, cum specula quoq; concaua aduersa Solis radijs facilius etiam accendant, quàm ullus alius ignis. Tam fœcunda est huius elementi, immensæ & improbæ rerum naturæ portionis ratio. Ignem Herodotus belluam auidissimam inexplebilemq; uocat, quæ quanto' plura consumit, tanto' fœcundius se parit.

EX EODEM

Hæ tot partes eius fertiles rerum habent, & aliquid temporis, quoniã sterile est frigidum.) perplexa hæc omnia, & deformata, nulloq; sensu hactenus lecta sunt. Nos arbitramur ita esse scribendum & distinguendum. Etiamnum tot partes eius fertiles rerum habent aliquid teporis, quoniam quod frigidum est, sterile est. Quam lectionem propemodum ex uetustissimis exẽplaribus colligi posse uideo. Omnia autem quæ terra concipiat semina, quæq; ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, temperatione caloris & oriri, & augescere naturales consentiunt. atq; omnia quæ uiuunt & crescunt, siue animalia, siue terra edita, propter inclusum calorem uiuere & crescere. Qui quãdiu remanet, tandiu sensus & uita remanet. Refrigerato autem & extincto calore, occidunt & ipsa, & extinguuntur. Quo intelligendũ est eam caloris naturam uim habere in se uitalẽ.

EX CAPITE XI.

Circa terram plurimum audet.) Scribo Agit, sequitur enim eius antitheton, Patitur. Et infra. Modo imbres, aliasq; iniurias turbine mouent.) Vetus lectio Turbidæ, non Turbine, & fortassis rectius. Et mox infra. Hoc necessarium fuit præloqui) antiqua lectio. Fuerit, qui modus dicendi est elegantior & usitatior. Parua sunt hæc, non indigna tamen, quæ a' studiosis ueteris elegantiæ obseruentur.

EX CAPITE XII.

Et tonatio sine ictu) Lege Conatio, una litera imutata. Ponitenim dif-

ferentiam inter fulminationem, & fulgurationem. Quando ſpiritus incluſus, tortuſq; & in nube effringenda exitum quærens igniuerit, & tenui imbecilloq; ardore eruperit fiſſis nubibus, Fulguratio, *ſiue* Fulgẽtra, *ſiue* Coruſcatio *dicitur. Si autem flatus ille copioſius ardens nubium conflictu eliſus, expreſſuſq;, ſe maiore uiolentia ruptis, perfractisq; nubibus emiſerit,* Fulminatio, *ſiue* Fulmen *appellatur.* Cum uero idem flatus huda denſaq; nube cohibitus, & incluſus, & quaſi ſtrangulatus luctatur, molitur q; exitum, magnum ſonitum ac crepitum edit, quod Tonitru dicimus, de hoc infra latius.

EX EODEM

De quibus inter nos conuenit.) Scribendũ ex uetuſtis codicibus, De quibus inter omneis conuenit, ſubiungitur enim, Conuenit illis. Dicit autem de his tribus, Fulgurationibus ſcilicet, Fulminationibus & Tonitribus philoſophorum opiniones partim conſentire, partim diſcrepare. Nimirum ſiquis diligentius philoſophorũ ſcita reuoluerit, contuleritq;, uidebit ſummam eorum diſſenſionem, & inconſtantiã. Atq; haud ſcio an ulla res ſit naturæ, de qua tantopere philoſophi digladiẽtur, ut magno argumento eſſe debeat, cauſas harũ rerũ latentes & abditas in natura eſſe, de quibus tot doctiſſimorũ hominum diſcrepent ſententiæ. Et paulopoſt. Etiã nunc conuenit.) Ita ubiq; impreſſi & manu ſcripti codices habent. ſed legendum Etiamnum ubiq;, ut una ſit pars orationis.

EX EODEM

Aut igneas eſſe, aut ignei ſpiritus.) Rectius habent uetuſti codices, Ignea ſpecie. Eorũ enim quæ in aëre obſeruantur alia fiunt per ὑπόστασιν, hoc eſt ſubſtantiam, alia per ἴμφασιν, ideſt apparentiã, quam Ariſtoteles primo de Generatione σύμφασιν appellat. Seneca ſupra primo libro colores arcus ἰμφάσεις ſiue συμφάσεις credit. Eadem eſt ſententia et Ariſtotelis, cuius uerba ex libro περὶ κόσμου de eadẽ re ſubiecí συλλήβδην δὲ τῶν ἐν ἀέρι φαντασμάτων, τὰ μέν ἐστι κατ' ἴμφασιν. τὰ δὲ κατ' ὑπόστασιν. κατ' ἴμφασιν μὲν, ἶρις. καὶ ῥάβδοι. καὶ τὰ τοιαῦτα. κατ' ὑπόστασιν δὲ, σέλαι τε καὶ διάττοντες, καὶ κομῆται, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια. Item infra. Alius enim aliunde illum colligit.) Antiqua lectio. A' lumine, non Aliunde. ut ſit ſenſus. Aliquos exiſtimare ignem lumine ſuperiorum poſſe in nubibus excitari, ut Empedocles Solis radijs. Sed magis conuenit uerbis Ariſtotelis, unde hæc omnia conuerſa ſunt, ſi Aliunde legatur. dicit enim Ariſtoteles eſſe aliquos, qui dicant ignem nubibus ſuperuenire, ut Empedoclem & Anaxagoram, hic enim ab æthere, ille à Solis radijs ignem in ſubiectum aëra decidere exiſtimant.

EX LIBRO

EX EODEM

Et *in imbres & niues cedit*) Vetus lectio, Et *imbreis creat*. Idem est *sensus utriusq;, sed uulgata, quia magis dictis Aristotelis consonat, probanda uidetur*. Est *autem haec sententia Aristotelis circa finem Tertij* Meteoron, *& in libro* De *mundo*. Halitum *siue aspirationum duo esse genera, quae in aëra efferuntur, alterum ex terra, alterum ex aqua. Quae terra expirat, sicca et fumida esse. Quae uero aqua humida, & uaporosa. ex his concrescere nebulas, nubeis, rores, imbreis, niueis & grandines. Ex illis uentos, & diuersa tempestatum genera. Praeterea tonitrua, fulgurationes, accensos turbines, fulmina, & cetera id genus simulia.*

EX EADEM

Deinde ut Latius *ferat nubeis proximas*) Lego Feriat. Halitus, *inquit, Aristoteles calidus nubium congregaturum compressu disploditur, et per uim delatus ad circumstanteis nubeis alliditur, plagamq; immittit, cuius plane sonitus Tonitru uocatur. Is autem ictus, sonitusq; in nubibus fit eodem modo (si parua magnis comparare licet) quo crepitus in flamma, erumpente halitu ardente, lignis uiridibus igni fatiscentibus, quem crepitum alij Vulcani risum, alij Vestae, alij manas utriusq; uocant.*

EX CAPITE XIII.

Cum tantũdem illic *semper ardeat.*) Vetus lectio Spiritus, *non* Semper. Potest *utraq; sustineri,* Semper *tamen magis sensui conuenit.* Et *infra.*

Aut *si nulla pars eius decederit*) Lego. Aut si Vlla. *remota prima litera. Si ulla pars, inquit, aetheris decerpta in nubeis subiectas detraheretur, aliquando totus aether per parteis carptus deficeret.* Hoc *contra Anaxagoram.* Et *mox infra.* Sed *ne ab extremo quidem comprimi, quia in aethere nullus incerto corpore locus est*) Vetus lectio proculdubio castior est. Sed *ne ab externo quidem exprimi, quia in aethere nulli incerto corpori locus est. Aeterna enim contrarijs carent, neq; alicui externae uiolentiae obnoxia sunt, alioqui nõ essent aeterna.*

EX CAPITE XIIII.

Posse *aliquas partes aëris ad se trahere ignem ex aethere decidentem ex his superioribus ardere, & sic accendi*) Vetus autem lectio haec est. Posse *aliquas parteis aëris ad se trahere ignem ex locis superioribus, ardere an sic accendi?* Videtur *ergo sic esse legendum.* Posse *aliquas parteis aëris ad se trahere ignem ex aethere decidentem, & locis his superioribus ardere, an hic accendi?* Pergit *enim, & urget angustius interrogando* Empedoclem *et* Anaxagoram, *aliosq; eorũ opinionem secutos, an dicant ex aethere decisum ignem discendere, &*

dere,& nubibus impingi,quod ratione cæret. An *solo feruore semper ardẽtis ætheris subiectum aërem aliquando ignem concipere, quod consyderatius,& cum ratione dictum uideri potest.* Plurimũ *enim interesse,utrum dicat aliquis ab æthere ignem decidere,quod natura ignis non patitur , an ab æthere quicquam accendi in istis inferioribus.* Et *paulo infra.* Quæ *diu concaluerunt.*) Vetus lectio Quæ *diu non concaluerint, sed melior uidetur recentior ex supra dictis.*

EX EODEM

Necesse *est enim ut & unus æther habeat aliquid ueri simile*) Scribendum, Et *imus æther habeat aliquid aëri simile.* Sicut *enim summa pars aëris est sicca issima, calidissimaq;,et ob hoc etiã tenuissima participãs naturã imi ætheris.ita ima pars ætheris est densior frigidiorq; cæteris sui partibus,& multum de natura uicini aëris referens.* Nimirum *ipsa uicinia & copulatio rerum quantumuis discordiũ concors,& simlis sit,& quasi consentiens ad mundi incolumitatem,necesse est.*

EX CAPITE XV.

Cum *ignis & aqua mutabilis sit*) Scribo Cum *in ignem & aquam mutabilis sit.Elementa inter se mutabilia esse in primis* Philosophiæ *rudimentis docemur.de qua re scribit passim Aristoteles , &* Seneca *infra capite X.Tertij.Ex terra siquidem aqua,ex aqua oritur aër, ex aëre æther.deinde retrorsum,uicissim ex æthere aër,inde aqua, ex aqua terra infima.* Dicũt Neoterici philosophi *ex uno pugillo terræ fieri decem pugillos aquæ,centum aëris,mille ætheris siue ignis. Rursum retroagendo mille pugillos ætheris contrahi in centũ aëris, decem aquæ,unum terræ.*Et *paulopost.* Et *condensos compactosq; nubium sinus dissipat*) Lego, Et *cum densos, separatim,ut sint duæ partes orationis.*

EX CAPITE XVI.

Ex *hoc ipso inflammant.*) Lego Et *hoc ipso,non* Ex *hoc ipso.*Quamuis *in uetustis exemplaribus non sint ista uerba* Emittunt , *& hoc ipso inflammant,& tormenti modo*) *et profecto non nihil dubito an* Senecæ *sint,ita putida,agrestia , & insuauia uidentur. præsertim illa* Et *hoc ipso inflammant*) *Succincta & elegans lectio erat,quam habent antiquissimæ fidei codices.*Nubium *inter se compressarum angustiæ medium spiritum eijciunt.uel sic. tormenti modo eijciunt, quæ duo uerba genuina uidentur.sed legentes extiment.*

EX CAPITE XVII. ET XVIII.

Sed *quemadmodum in aquam feruens massa descendit*) Vetus *lectio fortassis commodior . Sed si in aquam feruens massa mittatur.* Vel *certe ex utraq; una facienda.Sed quemadmodum si in aquam &c.*

Item ex capite. XVIII. *Quia tunc & per cursum, & siccum aëra spiritus prosilit)* Lego *Quia tunc quoq; per aëra per cussim & scissum spiritus prosilit.*

EX CAPITE XX.

Quis negabat spiritũ magno impetu lapsum) Vetus lectio, *Quis enim negabit spiritum magno impetu ductum.* Alij legunt Latum. *Omnes possunt sustineri. sed ueteris rationem habendam censeo.* Et paulo infra. *Dum secuta in terra incendet)* Vetus lectio. *Dũ secta infra incendit. sed utrobiq; corrupta, & ita deprauata, ut cuiq; promptum sit uidere hoc uulnus, curare autem hoc uirtutis opus. Nos itaq; hunc locum legentium diligentiæ commendamus.*

EX CAPITE XXI.

Qui enim confessi sunt fulmen ignẽ esse) Rectior est uetus lectio, *Quid enim confessi est? Fulmen ignem esse, & æque fulgurationem &c. uulgata enim lectio confusa labat, & æstuat nullo certo exitu.* Et infra. *Quid, quod omnibus fulguratis odor sulfureus est?)* Pompeius Festus, & Nonius Marcellus *fulmine tacta, uel exusta* Fulgurita, *non* Fulgurata *dici uolunt.*

EX CAPITE XXII.

Vno si excitatur, sicut ex lapide.) Ita quidem habent omnes codices, *sed malim legere* Excutiatur, *quàm* Excitatur. Et *infra.* Et *illa in hunc usum nota pastoribus)* Lego Alia, *non* Illa, *quam lectionẽ & Erasmus agnouit.* Et *paulo post.* Id *in quo tormentum obuiũ fuit)* Vetus lectio. Id *in quod tormentum. sed neutra uidetur sincera, rectius legeretur forsitan, huic tormento quicquid obuium fit dissipatur, & rapitur &c. uel certe,* Id *tormentum in quid, mutato tantum uerborum ordine.* Seneca *infra capite.* V. *libri.* VII. Turbo *inquit, circa terras concipitur, ac fertur, ideoq; arbusta radicitus uellit, & quacũq; incũbit, solũ nudat, syluas interim et tecta corripiens.*

EX CAPITE XXIII.

In quantum Feruorem quædam astricta perducerẽtur.) forte Attrita, *non* Astricta, *cum superius* Attritu *dixerit.* Et *pualo post. Quantum itineris. & cursus sine alimento coniectus est.)* Nusquam aliter. *Sed ego loco uerbi,* Coniectus, *aliud desydero. quod autem sit illud, nó ita in promptu habeo. Hoc ergo studiosorum industriæ relinquo.*

EX CAPITE XXIIII.

Fulmen tamen terram appetit. forte rectius *in uetustis codicibus* Petit. *Non enim fulmen terram appetit, quod significat cupere, & expetere. Petit temen terras externa, & impressa ui coactum, ut pyrenes, seu nuclei digitis compressi, & excussi sursum feruntur, quamuis*

pondere

pondere degrauentur, ita fulmen nubium compressu elisum deprimitur contra naturam suam. Hinc ille horrendus fragor reluctantis, et indignantis spiritus. cuius argumentum est etiam in guttis pinguibus accensis, & demissis, ubi ignis pastum auide sequens dedūcatur sonitu quodam querulo, & indignante. Aristotiles primo Meteorologicon τὰ πλεῖστα δ' εἰς τὸ πλάγιον, διὰ τὸ δύο φέρεσθαι φοράς. βίᾳ μὲν κάτω. φύσει δ' ἄνω. hoc est Fulmina, cæteriq; ignes cœlestes in obliquum & in latus maxima ex parte feruntur. duplici enim impulsus genere aguntur. ui quidem deorsum. Natura uero sursum.

EX EODEM, ET EX CAPITE XXV.

Vbi enim aliud est quod eum ferat, & ab impetu suo attrahat, id nō natura sed seruitus eius fit) Vetus lectio paulo diuersior, & fortassis rectior. Vbi est aliquid quod eum feriat, & ab impetu suo auertat, id non natura, sed seruitus eius sit. Item ex capite. XXV. Cum sint humidæ immundæ) Lego Cum sint humidæ, immo hudæ, hoc est uuidæ, & totæ aquosæ, non tantum humidæ.

EX CAPITE XXVI.

Quod si immensa aquarum uis, ex imo subeuntem uim non potuit opprimere) Tolerabilis est hæc, sed uetus lectio integrior. Quod si immensa aquarum uis subeuntium ex imo flammarum uim non potuit comprimere. Et quod mox sequitur. Quanto minus in ea extinguere ignē poterit) Vetus lectio, Quanto minus in re extinguere ignē poterit. sed nihilo magis placet. Si autem ex duobus corruptis diuinare, et expiscari ueram lectionem uolueris, coniunge illa, pullulabit Ea re, ex quo conflatur & efficitur, unius literæ ordine mutato, ea, quam quærimus, uera lectio, facileq; cognosces Aëre debere legi, cū omnia hæc argumenta ad id tendant, ut confirment exiguo, tenuiq; humore nubium in aëre ignem extingui non posse.

EX CAPITE XXVII.

Similem mugitibus sonum raucum &c) Vetus lectio Similem agit mugitibus sonum. Deerat necessarium uerbum. Et quod mox sequitur. Aliud genus est acre, quod acerbum mage dixerim quàm sonum) Legunt aliqui, Quod crepitum mage dixerim quàm sonum. sed nescio an aliquod genus Tonitrui satis apte crepitus, uel sonus dici possit. Ego ex uetustis codicibus scribendum censeo ut sensus constet. Aliud genus est acre & acerbū. quod Acerbū magis dixerim, quàm Sonorum.

EX CAPITE XXVIII.

Etiam mons nō scindit nubem sed digerit) Vetus lectio loco uerbi, Scindit, habet Confundit, & fortassis rectius, præsertim cum sequa-

EX LIBRO

tur Digerit, quod eſt oppoſitum eius. Nos tamen nihil mutamus. Item quod mox ſequitur. Et propriam quanq; partem eius ſoluit) Alij legunt Proximam, non Propriam, alij Primam, & bene, uetus quoq; lectio Primam. Et infra. Niſi multo impetu diſſolutæ) Antiqua lectio Magno impetu, forte melius.

EX EODEM

Adijcę nunc, quod nubes in monte aëre non franguntur) Vetus lectio Actæ, non Aëre, quam lectionem & ſenſus poſtulat & Eraſmus approbat. Et infra. Et ita diſcutiuntur, & ſi quem habent ſpiritum, & multifariam emittunt) Vetus mihi lectio rectior uidetur, Et ita cum ducuntur ſi quem habent ſpiritum, multifariam emittunt. Si uero cui prior lectio magis placet, nihil repugno, amouenda tamen eſt particula Et ultimo poſita, ne confundat ſenſum.

EX CAPITE XXIX.

Debent ergo nubes utrinq; inſeri) Alij legunt Deſiccari, non Inſeri. ſed uetuſti codices Diſſeccari, et melius. Et infra. Niſi concauo, non tinniunt) Malim Concaua legere, ut Cymbala referret.

EX CAPITE XXX. ET XXXI.

Illo tempore aiunt, tunc plurima fuiſſe tonitrua) Tunc ſuperuacaneum eſt. Item infra. Siue uentis terras uertentibus) Verrentibus magis proprie. Et infra ex capite. XXXI. Quod omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtilia ſurgunt) Vetus lectio, Haſtulæ ſurgunt. forte legendum Aſſulæ.

EX CAPITE XXXII.

Sed ſæpe longum fatorum ſequentium ordinem nunciant) Vetus lectio
» Totum non Longum. ut Plinius, In totum uitam fatidica. Sed hoc ſit ad electionem liberum. Et quod mox ſequitur. Et quidem certis euidentibus) Lego Decretis euidentibus, ut infra capite. XXXV. Cu-
» ius hæc prima, inquit, lex eſt, ſtare decreto.

EX EODEM

Si alijs ſomnia, alijs cætera diſponit) Aliqui legunt, Exitum diſponit, quo ſenſu ipſi uiderint. Nos Exta legimus, hoc eſt pecudum ſacrificijs
» immolatarum uiſcera, & fibras. ſequitur enim, Nec pecudum uiſcera
» ſub ipſa ſecuri formantur. Et paulo infra, Quicquid exta, inquit,
» quicquid aues minabuntur. Ex uiſceribus autem proprie cor, iecur, & pulmo exta appellantur. dicta ſic, quod ea dijs proſecentur, quæ maxime extant, eminentq;. Religio Romanorum, qui ſicut nihil domi ſine auſpicijs habebant, ita nihil in bello agebant ſine extis, iecur extorum caput ſemper putauit. Illius fiſſuras, fibrasq;, & totã poſitionem

positionem extispices attentius rimabantur, atq; hinc rerum futurarum indicia cognoscebant, & aliis denunciabant. Democritus, *ut docet* Cicero *primo* De Diuinatione, *censebat sapienter instituisse* Veteres, *ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorũ ex habitu, atq; colore tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percapi possent.* Sed Pacuuianus *physicus festiuiter, et eleganter irridet &* Aruspices, *&* Auspices, *qui linguam auium intelligunt, plusq; ex alieno iecore sapiunt, q̃ suo.* Mirari *se aiebat* Cato, *quod non rideret* Aruspex Aruspicem *cum uidisset, propter scientiæ uanitatem scilicet.*

EX EODEM

Vt *magnarum rerum faceret auspicia)* Vetus *quidem lectio* Indicia. *& forte recta. sed qui* Auspicia *emendauerunt, non male emendasse uidentur.* Et *paulo infra.* Ad *eum itaq; pertinet, qui induxerit animum)* Vetus *lectio* In *eo direxerit animum. potest utraq; sustineri, sed non uidetur recedendum à fide ueterũ exemplariũ.* Et *paulo infra.*

Submissiora *in nos propius uim suam dirigunt)* Vetus *lectio* Submissiora *forsitan in nos. &c. ut sit opinantis, non affirmantis.*

EX EODEM

Aliter *nos, aliter animalia prospiciunt)* Rectior *& perfectior est uetus lectio,* Aliter *nos, aliter cætera animalia prospiciunt. prior enim lectio uidebatur homines animalium numero eximere.* Item *infra.*

Aut *propter uelocitatem uniuerso mundo parent)* Lego *ex uetustis codicibus* Parem, *non* Parent, *ut uelocitatem intelligas.* Globus *enim, seu orbis stellarum inerrantium, & fixarum ab extimo, & supremo orbe, ut pote proximus ei, tam mirabili celeritate rapitur, ut nullum alium motum habere uideatur. & profecto multis seculis, immo multis milibus annorum proprio, hoc est mundo contrario cursu stellifer orbis conuertitur. unde multi* Veteres *doctissimi utriusq; linguæ uiri in primo, hoc est supremo cœlesti globo, qui reliquos omnes complectitur, putauerunt stellas infixas inhærere.* Duo *nanq; sunt syderum genera, quædam* Inerrantia, *seu* Infixa Mundo, *ac cohærentia perpetuo semel capta sede colluent. quædam uero* Errantia *propriis orbibus toto cœlo sparsa. hæc septem sunt, illa innumerabilia.* Atq; *quemadmodum hæc conficiunt duas conuersiones, alteram uiolentam quotidie, rapta æterna & concitatissima mundi uertigine ab* Ortu *in* Occasum. *alterã propriam aduerso motu ab* Occasu *in* Ortum *per suos quæq; passus, uagis, sed certis cursibus, certisq; erroribus emetiuntur, ita illa affixa stellifero spatijs immutabilibus semper ad* Occasum *commeare existimabant. nec*

ullum unquam cursus sui uestigium inflectere. Secuta uero ætas subtilius cuncta exquirens, distinxit Stelliferum ab orbe extimo, cui Primo Mobili nomen imponit, datq; Stellifero proprium Primoq; Mobili aduersum, sed tardissimum quendam, & trepidum, senilemq; motum. Hoc itaq; motu Stellifer immobilis uidetur. illo autem, quo rapitur, concitatissimus, atq; par mundo. Hæc à me ideo latius dicta sunt, ut sequẽtem nodum implicatissimum, enodare uolenteis aliqua ex parte iuuarent.

EX EODEM

Aliud aspice & distributis rem efficis tractas) Ita omnino & uetusti codices, & omnia, quæ quidem ego uiderim, exemplaria. Antiquum itaq;, & inueteratum hoc uulnus esse euidens est, nec quomodo curari debeat uideo. intactum ergo legentium industriæ relinquam, ne curando hanc plagam grauiorem inferam. facilius enim cuiq; facere, quàm sanare uulnera. Mens quidem authoris, & sententia, quasi per nebulam talis fere uidetur. Sicut aueis pauassimas in auspicijs esse obseruatas, quamuis nulla sine præsagio esset, ita in Genituris pauca admodum sydera, & adeo quinq; tantum Errantia notata esse, cum milla ex tot milibus stellarum mundo infixarum non aliquod ius, domniumq; in Horoscopis habeat. Vnde uideri sæpe horum syderum in artem Natalium redactorum, & distributorum uanam fallacemq; obseruationem, ac raros effectus esse. quia scilicet horum uis, & potestas superiorum occursu impediatur. Proinde si quis hoc loco sic legat. Vnde illud aspice, etiam distributis effectus raros. Vel sic. Vnde aspicimus ex distributis res effectu raras. Vel. Aliud aspice, & ex distributis res effectu raras. diuinator quidem, sed nescio an etiam castigator dici poterit. Genethliaci autem alij alio modo Genituras obseruant, omnes tamen à syderibus Errantibus accipere pueros orienteis ingenia, mores, animum, corpus, actionum, fortunam, casus, euentus, deniq; statuta totius uitæ tempora, consentiunt. Etenim cum tantæ tempestatũ conuersiones, anniq; uices fiant accessu syderum, & recessu, non ueriſimile solum, sed etiam uerum esse censent, perinde, ut cunq; hæc statum, positumq; in cœlo momento natalis horæ habuerint, ita animari, atq; formari in lucẽ emergenteis. Horum autem positionem conferunt ad situm Signiferi, seu Zodiaci, ab eo circulo, quem Græci ὁριζοντα, nos Finientem dicimus, ad Meridianum usq;. Quæ pars mundi tria horoscopantia ex duodecim Zodiaci signis complectitur, hinc & ϕιμόριον dicitur, à triũ signorum portione, quæ nonaginta partibus exortuis constant, quas Anaphoras, hoc est scansiones, seu ascensiones uocant. Mox ergo edito

partu

partu obſeruant horam natalem, obſeruant cœli ſyderumq; habitū, & poſitionem, an aliquod ſydus ſit uel in eo ſigno, in quo eſt horoſcopus eius qui naſcitur, uel in aliqua coniuncta parte & conſentiente, quas Triangulas, ſeu Triquetras, Quadratasq; mundi formas appellant. Has ſubtiliter ad horam natalem ſignumq; horoſcopans applicant. Deinde quid illa cœleſtis, ſyderalisq; ratio uel promittat, uel minetur, non cunctanter pronunciant. Ab hora uero natali curſum uitæ p Hebdomadas, et Enneadas annorū diſtribuūt. hos enim numeros, & omneis ex iſtis pullulanteis, quotieſcūq; uel Septem in ſe, uel Nouem ducitur, eſſe decretorios & maleficos, pollenteisq; ad uitam ſuccidendā. Sed maxime ancipites & periculoſos, quoties cōfluunt, & uiciſſim alter in alterū ducitur. Efficiunt. n. & ſepties nouem, et nouies ſeptem Sexagintatria, Climacteraſcilicet periculoſiſſimū, cōmunemq; ſeniorū omniū, quē euadere difficillimū putant. Inde duos, à duobus maleficis numeris Climactericos, hoc eſt gradarios, ſeu ſcāſileis eſſe dicūt, Septimanū et Nonariū, q p ſeptimanas nonanasq;, tanq; per quoſdā gradus, uitam hominis agant. Illū nocturna, hūc diurna obſeruatione notari. Septimanū Martι, Nonariū Saturno eſſe dicatum. Martis Climactericū difficile, Saturni ferè nunq; quēq; excedere poſſe. Quippe non ſolū momenta natalis horæ, ſed totam uitæ rationem Planetarū poteſtati ſubijci & conſentire. Primam ætatem, quæ Infantia dicitur, & humida eſt, humectoq;, quadā uegetali potentia nutritur, ſubeſſe Lunæ humido ſyderi. Secundā, quæ Puericia, uariorum ſtudiorū ætatem, & in horas mutabilem, Mercurio, inconſtanti Planetæ, q cum benignis benignus, cū perniciosis exitialis eſt, conſentire. In Adoleſcentiam, tertiā ætatem, laſciuā, petulantē, rerum, famæq; prodigam, Veneremius exercere. Quartam uero & mediā, quæ Iuuentus dicitur, quæ iam conſilio ſe regit, ambit honores, famæ conſulit, laudis, gloriæq; cupidine incitatur, rebusq; gerendis apta eſt, à Sole rectore illuſtratoreq; omnium regi. Martem ardens, & ſiccum ſydus, quintæ ætati, quæ Virilis appellatur, dominari. huic & in rebus ciuilibus conſiliū, & in bellicis robur ſuppetit. Hanc ætatem Climacterico Septimano obnoxiā eſſe. Sextam. i. Senilem, Iouem temperatum, benignum, & pacificum ſydus ſibi uendicare. Hæc. n. ætas, depoſitis belli ſtudijs, totam ſe ciuilibus rebus applicat, pacisq; ſtudia amat. In Septimam uero tardā, moroſam, querulam, hebetem, ignauam, alijs ſibiq; odioſam, quæ Præceps & Decrepita dicitur, Saturnum humidū, maleficum, & perpetuo frigore rigentem imperium durum exercere. Hanc ætatem à Climacterico

Nonario agi, quem excedere nulli temere datur. unde Saturnum oſorem uitæ humanæ poëtæ finxerunt. Præterea Mathematici etiã menſeis, quibus partus in utero materno geſtatur, a' Planetis regi affirmant, primumq; a' conceptu ſemper ſubeſſe Saturno, ſecundum Ioui, Marti tertium, Soli quartum, quintum Veneri, ſextum Mercurio, Lunæ ſeptimum. Rurſum octauum Saturno, Ioui nonum, & ſic deinceps per ordinem, quoad naſcatur infans. Quare octauo menſe genitos, quia ſub Saturno, qui ſuos filios deuorare dicitur, naſcuntur, non fere uitaleis eſſe. Hæc eſt ſyderalis ſcientiæ ſententia. quæ nos paucis ſyderibus aſſignat. Apoteleſmaticorum curioſitas, inquit Euſtathius in primum Iliados, nihil reliquit, quod Planetarum non ſubiecerit poteſtati. Horum quàm incerta, & uana, fallaxq; ſit prædictio, declarat & ipſa eorum inconſtantia, diſcrepantesq; opiniones, docent & quotidiana experimenta. Etenim geminorum formas eſſe ſimileis uitam, atq; fortunam diſparem uidemus. Quid quod uno, eodemq; tempore nati diſſimileis & naturas, & uitas, & caſus habent, quod maximum argumentum eſt, nihil ad uitam agendam naſcendi tempus pertinere. Atqui ſi maxime pertineret, adhuc iſtorum notatio prædictioq; incerta, & fluctuans eſt. neq; enim præſto' eſt Aſtrologus cum ſuis Dioptris, & Aſtrolabijs infanti in lucem prodeunti, quibus ſtatim cœleſtium ſignorum, ſyderumq; habitum, et poſitionẽ exquirat. uel ſi adeſt, nõ poteſt eſſe tam abſoluta omnibus numerisars in Dioptris, ut in differentijs aſtrorum notandis non ſubſultent, neq; in Chaldæo tanta peritia, ne eum in aliquo poteſtas ſyderũ fallat. Præterea aliquando nubila aſpectum impediunt, & Horizontes pro locorum differentijs uarij ſunt, Planetarumq; poteſtates tot milium ſtellarum Inerrantium radijs inciduntur, & opprimuntur, ne poſſint in terras uſque integra uirtute deuenire. Hinc arbitror Senecam dixiſſe raros eſſe prædictionum etiã effectus ex diſtributis ſyderibus, quia eorum potentia ſuperiorum numero uincitur. Et hoc incutere errorem natalium peritis, quia Errantia tantum ſydera notant, nulla ratione Inerrantium habita, cum illa maxime effectus horum inferiorum impediant. Ridet & improbat diuus Auguſtinus V. Ciuitatis Diuinæ Mathematicos æruſcatores, qui alienas aureis uerbis ditant, ut ſuos loculos nummis diſtendant, & ut dixit Ennius, qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant uiam. Vnde ſumm in alijs Aſtrologiæ partibus uiri totum hoc prædictionis genus repudiauerunt, exploſit penitus etiamnum uita communis.

Ex capite

EX CAPITE XXXIIII.

Itaq; ꝙ fulminis interuentus ſubmouet extorum, uel augurum iudicia, male inſpecta, male obſeruata auguria ſunt) Hæc lectio ita cor= rupta eſt, ut parum diligenteꝛ fallere poſſet, tanquam nihil erroris ſubſit. uetuſti tamen codices genuinam, & longe diſtinctiorem, elegan= tioremq; habent lectionem. Itaq; ſi fulminis interuentus ſubmouet extorum, auguriorumq; indicia, male inſpecta exta, male obſeruata auguria ſunt. Et quod mox ſequitur. Non enim refert utrius rei ſpecies maior, uel potentior natura ſit, ſed utra res ueri attulit ſignũ, quantum ad hoc par eſt) Lectio & corrupta & confuſa propter ma lam diſtinctionem. Sincæriorem & explicatiorem, nitidioremq; ha- bent uetuſta exemplaria, Nihil enim refert utrius rei maior poten- tior'ue natura ſit, ſed utra uim attulit. Signũ, quantũ ad hoc, par eſt.

EX EODEM

Quod ſi bene nec primum auſpicium intellectum eſt) Lege, Quod ſi bene primo auſpicio intellectum eſt. hoc ſenſu. ſi fatum primo auſpi= cio intellectum ſit, nullum ſequens auſpicium illud ſuo loco mouere poteſt. cum ſint in omni æternitate eius leges inuictæ, ratæ, & im= mutabiles. Quicquid ergo fati lege conſtitutum eſt, nunquam reuoca- ri, nunquam conuelli, nunquam irritum fieri poteſt.

EX EODEM CAPITE XXXIIII. ET XXXV.

Quoniam de quo quærimus ideſt fatum, fulmine mutari non poteſt) Hæc quoq; & corrupta, & male diſtincta, ob id intricatiſſima. Sic ergo ex uetuſtis codicibus legendũ eſt. Quoniam de quo quærimus idem eſt. deinde ſequatur principium capitis. Fatum fulmine mutari poteſt. Iſta uerba ſunt diſtincta à ſuperiori, & habent alium diuer= ſumq; ſenſum. ponuntur enim ex opinione Hetruſcorum, qui fatum fulmine mutari poſſe arbitrantur, alioqui fruſtra eſſent expiationes, procurationes, auerruncationes, amolitiones, & deprecationes, ſi fa= ta eſſent immutabilia. Et paulo infra. Ingeſta et deſtinata fluunt) Vetus lectio forte melior, Ex deſtinato fluunt.

EX CAPITE XXXVIII.

Sed ſi literas didicit) Scribo Didicerit. Et infra. Hoc quoq; protinus ad fatum eſt) Scribendum Hoc quoq; protinus fatũ eſt, amota præpo ſitione. Itẽ infra. Per huiuſmodi manus.) Lege Per huius manus, medici ſubintelligas.

EX CAPITE XXXIX.

Genera fulminum tria eſſe ait Cecinna) Vetus lectio Fulgurum, non ful minum, atq; nõ aliter in Hetruſcorum obſeruationibus fulmina ipſa appellantur, quamuis paulo infra & Seneca fulmina dicat; ſed

» capite.XLIX.Nunc nomina fulgurũ quæ à Cecinna ponũtur aperte ſtringam. Quándo ergo de operibus, & generibus ex Philoſophia loquemur,Fulmina appellabimus,quándo uero de ſignificationibus, & portentis eorum ex Hetruſca diſciplina ſermonem faciemus,recte Fulgura fulgurumq; genera dicemus,ut paſſim utuntur authores. Sed credere,aut quærere rerũ ſignificationes in fulmine ſtultum eſt, cum uideamus id ui naturæ,nulla conſtantia,nullo rato tẽpore effici. Fulgur autem apud philoſophos quantum diſtet à fulmine ſatis copioſe hoc ipſo libro declarauit Seneca.Item infra. Suadetur deliberantibus & ultro monetur) Vetus lectio Vltronei monentur, ut
» alibi,Quid intereſt,inquit,ad mortem iuſſi eamus,an ultronei?

EX CAPITE XL.

Quod aut urit aut fuſcat. Tribus modis urit. Vrit, fuſcat,aut afflat) Perplexa & inuoluta hæc lectio uana uerborum repetitione.Vetus planior & rectior.Quod urit,et fuſcat,tribus modis urit,aut enim afflat,et leui iniuria lædit &c.Ariſtoteles dicit, ſi copioſus & ſubtilis ſpiritus elidatur è nubibus effici fulmen.Si ualde ſubtilis ſeu tenuis, fulmen nihil adurens, quod poëtæ clarum uocant,quod ob tenuitatem æleri lapſu cum deferatur,ante tranſit,quàm adurat, aut infuſcet.Si uero ſpiritus fumidus erumpat ex nubibus, effici fulmen quod infuſcat propter tarditatẽ,nõ tamen adurit,cũ tranſitũ aduſtioni præuertat.unde fit ut dura & repellentia iniuriam ſentiant, mollia autem & nihil obſtantia illæſa ſint.Sic enim. III. Meteorologicon,unde Seneca hæc omnia conuertit, de fulminum generibus ſcribit. ἐὰν δ' ἐν αὐτῷ τῷ νέφει πολὺ καὶ λεπτὸν ἐμβλιβῇ πνεῦμα, τοῦτο γίνεται περαυνός.ἐὰν μὲν πάνυ λεπτὸν, ὑπὸ ἐπικόου διὰ λεπτότητα.οὓς οἱ ποιηταὶ ἀργῆτα καλοῦσιν.ἐὰν δ' ἧττον ἐπικόου, οὓς φολόεντα καλοῦσιν.ὁ μὲν γὰρ διὰ τὴν λεπτότητα φέρεται διὰ δὲ τὸ τάχος, θᾶττον διεξιὼν πρὶν ἐμπυρῶσαι καὶ ἐπιδιαφλέξαι μέλαναι.ὁ δὲ βραδύτερος, ἔχρωσε μὲν, ἔκαυσε δ' οὔ. ἀλλ' ἔφθασε διιών. &c.quæ ſequuntur. Item in fine huius capitis. Poteſt accenſum eſſe nec combuſtum) Verba hæc in uetuſtis non leguntur.nihil tamen ſenſui obſunt.

EX CAPITE XLI.

Hoc autem decolorat) Legendum ex ſequentibus, & ex uetuſtis codicibus,Hoc aut decolorat,aut colorat,ut ſit illud Ariſtotelis ἴ'χρωσε. Sequitur enim Vtriq; diſtinctionem ſuam reddam. Et paulo infra.

Hæc adhuc Hetruſcis philoſophis) Lego Hetruſcis et philoſophis. docet.n. in quo conſentiunt, & diſſentiunt Hetruſci & philoſophi in fulminũ obſeruatione.Neq; enim Hetruſcos philoſophos nouimus,

quippe qui non ſecreta, reconditaq; naturæ ſcrutentur, ſed qui de cœlo tacta animaduertant, pecudum fibras rimentur, oſtenta, monſtra, atq; portenta interpretentur, ac uolatus garritusq; auium obſeruent, & totam hanc ſuæ diſciplinæ originem in Tagem quendam exaratum in ſulco Tarquinienſi deum referant.

EX EODEM

Hoc *fulmen boni aliquid aliquando facit, ſed tunc quoq; non aliter quam ut noceat)* Hæc omnia peregrina, & aduentitia *ſunt, nec iſta author agnoſcit. adſcripta autem ab ignaro librario. Sunt enim ſuperuacanea, inepta, abhorrentiaq; ab alijs. atq; ſine dubio ſcholia illius quod ſequitur, Quæ prodeſt quidem, ſed non impune. Præterea hic incongrue & contra Grammaticam legem uerbũ, Quæ, poneretur, ſi ſuperius Hoc fulmen dixiſſet.* Nullum itaq; dubium *relinquitur, quin expũgenda ſint.* Item *paulo poſt.* Sed adhibitis *in conſilium quos dijs, ſuperiores)* Legendum Sed adhibitis *conſilio dijs, quos ſuperiores &c.*

EX CAPITE XLII.

In *hijs primam ſpeciẽ ſi intueri uelis)* Vetus lectio. Primam *faciem, quod idem eſt.* Et *paulo infra.* Vtrum *enim tunc, cum emiſit igneis, quibus innoxia capita percuteret ſcelerata tranſiret, aut noluit iuſtius mittere, aut non ſuccęſſit.)* Vetus *lectio diuerſa & fortaſſis melior.* Vel *tunc, cum emiſit igneis, quibus innoxia capita percuteret ſcelerata tranſiret, aut noluiſſe iuſtius mittere, aut non ſuccęſſiſſe.* Neq; *enim eſt interrogatio, aut refutatio opinionis, ut aliqui perperam intellexerunt, qui corruperunt ueram lectionẽ, ſed continuata cum ſuperioribus ſententia. non fuiſſe ſcilicet tam ſtultos* Hetruſcos, *ut crederent* Iouem *tunc, cum igneis mitteret, & præteritis noxijs, innoxia capita percuteret, aut iniquæ fuiſſe uoluntatis, & noluiſſe iuſtius mittere. aut certe minus paratum fuiſſe, nec bene manũ libraſſe. Itaq; quibus ignibus noxij peterentur, errorẽ in innoxios detuliſſe.*

EX CAPITE XLIII.

Pernicioſum *id quod alijs quoq; dijs authoribus miſit)* Vetuſti codices & *uulgati,* Pernicioſum *id quod deliberauit, et quod alijs quoq; dijs authoribus miſit. & profecto hæc lectio ſuſtineri poterat. neq; uideo cur abijci debuerit.* Item *paulo infra.* Aduocent, *conſyderent multorum ſententias, nocitura temperent)* Vetus *lectio* Placita *temperent. & bene. hoc eſt ſuam uoluntatem & libidinem. uel certe placita, ideſt ſua in alios decreta, ſuasq; rigidas ſententias. reponit hanc &* Eraſmus. Nanq; *qui reip. præſunt legum ſimules eſſe debent, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.*

EX LIBRO

EX CAPITE XLIIII.

Tela uocant ſuperi) Scribendũ ex Ouidio. Tela ſecunda uocant Superi. Et mox infra. Vt exiſtimarent Iouem modo leuioribus fulminibus & luſorijs telis uti) Bona quidem hæc, & elegans, ſed uetus ſincerior uidetur. Vt exiſtimarent Iouem modo leuioribus & luſorijs flammis uti.

EX CAPITE XLV.

Mundi huius operis dominum & artificem) Vetus Mundani, non Mundi. Et paulo infra. Ex quo ſunt omnes cauſæ cauſarum) Antiqua lectio Creaturarum. quodcunq; legatur tolerari poteſt. Et ſtatim poſt. Vt inconcuſſus exeat) Vetus lectio Vt inconfuſus. & forte rectius, præſertim cum ſequatur uerbum Explicet, quod non concuſſioni, ſed confuſioni opponitur. Et infra. Et ſe ſuſtinens & ſua) Scribe Vi ſua, hoc eſt propria, non externa, neq; accerſita uirtute. Et infra capite ſequenti. Sed ſignum, & uim, & curam dedit omnibus) Vetus lectio Cauſam, non Curam.

EX CAPITE XLVII.

Sed contextum rerum per omnem deinceps ætatem futuram complectitur) Lego Futurarum, ut uerbo, Rerum, reſpondeat. Item quod mox ſequitur. Hæc ſunt fulmina, quæ proprio accepto patrimonio) Vetus lectio Primo, non Proprio. ſcribendum ergo ex Plinio Prima;
» ut fulmina intelligas. Plinij de eadem re uerba hæc ſunt. Vocant &
» familiaria, inquit, in totam uitam fatidica, quæ prima fiunt familiã
» ſuam cuiq; indepto.

EX CAPITE XLVIII.

Omnium ergo fulminum, & omnis euentus dies ſtatuta eſt) Ita quidem legit & Hermolaus, ſed lectio uetus. Stata, non ſtatuta. Plinius quoq; Stata ubiq;. Et paulo infra. Quæ inſpicienda ſunt in fulmine)
» Vetus lectio Fulgure, ut & Seneca paulo poſt. Nunc nomina fulgurum: & nos ſuperius monuimus.

EX CAPITE XLIX.

Ait enim poſtulatoria) Vetus lectio, ait eſſe Poſtulatoria. Et infra. Peſtifera quæ mortẽ exiliũq; prætendũt) Vetus uulgataq; lectio Portendunt & hoc magis familiare & conueniens uerbũ eſt, ut & ſe-
» quenti capite, Aut ineuitabilia mala portendunt. Et paulo poſt.
Dentanea, quæ ſpecies periculi ſine periculo afferunt) Sic legitur in omnibus. ego malim legere demptanea, a demendo. hæc enim fulmina uidentur quidem afferre periculum, ſed non afferunt, quin potius adimunt, ſi quid periculi aliunde immineret. legunt aliqui Ventanea, ſed cur ita legi debeat, non uideo.

EX EODEM

Parentalia, quibus coluntur priorum fulminum minæ) Lego Perempta lia, non Parentalia, à perimendo. & Tolluntur non Coluntur. Pom-
» peius Festus, Postulatoria fulgura, inquit, quæ uotorum, aut sacrifi-
» ciorum spretam religionem desyderant. Pestifera, quæ mortem, aut
» exilium ostendunt. Peremptalia, quæ superiora fulmina, aut por-
» tenta perimunt, idest tollunt. EX EODEM

Artencata, quæ incluso fiunt) Vetus lectio Attercauta. sed neutrum horum intelligo quid sibi uelit. alij legunt Atterranea, quæ in incluso fiunt. hoc quoq; nihilominus ignotum, cum origo uerbi quæ sit, non satis appareat. Item mox. Regalia, quorum ui tangitur uel comitium, uel principalia urbis. Libere loquar) Legendum ex uetustis, et uulgatis exemplaribus, Vrbis liberæ loca. Quid enim sibi timet Seneca? quem'ue offendit, ut excuset libertatem loquendi, cum fulgurum significationes perstringit? An iram Iouis timet, ne ab eo fulmine feriatur, ut Hostilius olim, si non rite fulgurum nomina & significationes explicuerit. In magnis enim rebus & periculosis usurpamus ista uerba, Dicam enim libere, Eloquar intrepide, Loquar audacter, sed hic nullum locum habent. Miror itaq; librarium alioqui diligentem, & non indoctum hoc loco in tam manifestum errorem incidisse, cum in omnibus fere exemplaribus alijs uulgatis hic locus integer sit. EX EODEM

Hospitalia quæ sacrificijs ad nos Iouem arcessunt) Vetus lectio Accersunt. bona utraq;, eadem enim est significatio utriusq; uerbi, sed Arcessunt antiquis magis in usu. Et quod mox sequitur. Et (ut uerbo eorum meliori utar) inuitant) Vetusti codices et uulgati, Molliori non Meliori, & bene, mollius enim sonat, Inuitant, quam Arcessunt.

EX CAPITE L.

Qua utebatur Araldus) Vetus lectio Attalus, quem philosophum & superius huic disciplinæ deditum fuisse commemorauit. Item mox infra. Qui Hetruscam disciplinã Græca subtilitate miscuerat) Vetus lectio purior uidetur, Qui Hetruscam disciplinam Græca utiliter miscuerat. EX EODEM

Quædam autem nihil significant, ut id cuius intellectus ad nos non peruenit) Vetus lectio rectior & perfectior, Quædam aut nihil signi-
» ficant, aut id cuius intellectus ad nos non peruenit. ut & se-
» quenti capite. Nihil significant fulmina, aut id cuius notitia nos effugit. Item infra. Aduersariorum hæ sunt species) Lego Aduersorũ hæ sunt species. Item statim infra. Aut quæ minui possunt, aut

prolongari) Vetus lectio Aut prorogari, quod magis proprium est, quamuis eiusdem notæ. Item mox infra. Læta aut mansura significant, aut caduca) Vetus lectio, Sunt, non Significant. Itẽ paulo infra, Qua terreri nec lætari debemus) Lego, Qua nec terreri nec lætari debemus.

EX CAPITE LI. ET LII.

Tanquam utrum eodem anno, idem futurum sit fulmen quod factum est) Mihi hæc uerba, quia multum abhorrere à cæteris, & à toto sensu aliena esse uidẽtur, suspecta sunt. Et infra. In uastum mare sparguntur) Vetus lectio Funduntur. utraq; bona. Et ex capite. LII. Valentiora, quæ resistunt) Vetus lectio Quia resistunt, & forsitan rectior.

EX CAPITE LIII.

Qui quia natura grauis est, sæpius actus, uel haustus alienat) Vetus lectio. Sæpius haustus grauius anhelat. Illud autem, Actus uel haustus, ex duplici Lectione erratum est. sulfuris uero odorem graues anhelitus facere, quinetiam pectus, & meatus ipsius anhelitus stringere certum est. Recte tamen forsitan legetur & Alienat, scilicet menteis hominum. Sed illa duo uerba, Actus uel, tollenda sunt.

EX CAPITE LIIII.

Ea quæ uehementius intonat) Lego Eoq; uehementius, ideſt propter hoc, quia uniuersa fit eruptio. Et infra. Ergo non tonitrua hic spiritus exprimit, dum aut rumpit nubeis aut peruolat) Ita quidem & uetera exemplaria. Ego tamen malim legere sine negatiua particula. falsum enim est spiritum illum, dum uel rumpit, uel peruolat nubeis tonitrua non edere, cum hæ sint potissimæ tonitrui exprimendi causæ. nam ruptio frangit non sine sono ingenti nubeis, & peruolatio, seu luctatio inclusi, & cohibiti nube spiritus, & ad libertatem exire nitentis, atterit & affligit. id quod & Senecæ sequentia uerba confirmant.

EX CAPITE LV.

E' spiritu nascitur) Lego Qui è spiritu nascitur. Et infra. Non potest aliqua ex his transcurrentibus stellis &c.) Vetus lectio Concurrentibus stellis, uulgata forte commodior. Item mox infra. Non ob hoc tonitrua sunt, sed est hoc tonitrua sunt) Portentosa est hæc uerborum cõfusio. Vetus lectio, Nõ ob hæc tonitrua facta sunt. Clidemus ait &c. neq; habet illa uerba, Sed est hoc tonitrua sunt, neq; multum necessaria uidẽtur. tamen, si restituãtur, defendi possunt. hoc modo for-

ſitan. Nō tamen ob hoc tonitrua facta ſunt, ſed hoc fieri, ꝙa tonitrua facta ſunt. quæ lectio propemodum ex uulgatis cōdicibus colligitur. erit autem ſenſus. Igneis aliquando ſtellaſq; tranſcurrenteis apparere, & impingi nubibus, non tamen propter hoc tonitrua edi, ſed illos potius igneis, & ſtellas micare, & incidere in nubeis, quia tonitrua prius facta ſunt. Similis fermè eſt ſententia ſupra capite. XXXII. Nos *putamus, inquit, quod, quia nubes colliſæ ſunt, ideo fulmina emittantur. ipſi exiſtimant nubeis cōlidi, ut fulmina emittantur. Item mox,* Tanquam *non quia facta ſunt, ſignificent, ſed quia ſignificatura ſint, fiant.* Et *apud* Plinium. *Sed ea accidiſſe, inquit, non quia hæc facta ſunt arbitror, uerum hæc ideo facta, quia incaſura erant illa.*

EX EODEM

Clidemus *ait fulgurationis ſpeciem inanem eſſe)* Vetus *lectio* Clidemus *autem fulgurationes ait ſpeciem inanem eſſe, bona utraq;. Diximus ſupra, eorum quæ in ſublimi fiunt, alia apparere, alia ſubſtare. Et quod mox ſequitur. Sic enim per noctem ſplendorem motu remotum uideri)* Lego *ex Ariſtotele & uetuſtis uulgatisq; cōdicibus* Remorū *non* Remotū. *Quanq̄* Clidemus *non* Remis, *ſed ῥάβδῳ .i. uirga dicat ꝑcuſſam aquam maris noctu ſplendere. Sed nihil refert remo, an uirga, ſeu quacūq; alia re ꝑcuſſa ſit, ſemper. n. noctu mota æque fulget, & ſcintillat. Item infra.* Hic *quid fit in aëre erumpit et exilit)* Vetus *lectio rectior.* Id *quod fit in aëre erumpit & exilit. Item capite.* LVII. Ideo *æſtate plura ſunt fulmina)* Antiqua *lectio* Plurima *fiunt fulmina.*

EX CAPITE LVIII.

Nec *continuatur aſſiduus ignis)* Vetuſti *cōdices* Aſſiduis *ignibus, utrūq; bene, ſed ueteris lectionis fides maior.* Et *quod mox ſequitur. Quia celerum eſt, māriq; motus)* Lego Celerrimum, *nō* Celerum. *ne non* Latinum *ſit. Item infra.* Et *qui natura ignem ſurſum uocat) malim legere Quia, quàm Qui, ut eſſet ſecunda cauſa obliquæ lationis fulminis.* Prima, *quia ſpiritu conſtat, qui flexuoſus eſt. Secunda quia ignis natura in ſuperiora nititur, ſed illum externa uis, & iniuria deprimit, ideo incipit fulmen obliquum eſſe. ut cum uacuum uas in aquam deprimere conaris, obliquat & circumagit ſe. Item mox.* Incipit *autem obliquū eſſe) Quamuis & uetera exemplaria ita habeant omnino, illud tamen uerbū,* Autem; *ſine dubio ſuperuacaneum eſt, & turbat ſenſum. Iſta enim uerba ad ſuperiora pertinent continuo & copulato ſenſu.*

EX CAPITE LIX.

Tentant *fugam corpore imbecilli*) Vetus lectio Imbelli, *& forte melius*. Et *paulo infra*. Cogitemus nos *quantum ad mortem perditos esse, & sumus*.)scribendum, Cogitemus nos *tanquam ad mortem proditos esse, & sumus*. Cómunis est hæc querela omnibus. Omne hu
» *manum genus, inquit Seneca, morte damnatum est. omnes ea con-*
» *ditio deuinxit. Cui nasci contigit, mori restat, atq; in tanta uolutatio-*
» *ne rerum humanarum nihil cuiq; nisi mors certum est. Ita profecto*
» *est, omnes mortali conditione nascimur, atq; quamuis interuallis di-*
» *stinguamur, ipso tamen exitu æquamur.*
» *Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo.*
» Longius, *aut propius mors sua quenq; manet.*
Sed mors ipsa uel ob id nõ timenda, ut ait Arellius, Fuscus, quod nihil aliud ea intercidit, quàm corpus fragilitatis caducæ, morbis obnoxium, casibus expositum, omnibus deniq; periculis obiectum. animus uero diuina origine haustus, onerosi corporis uinculis exolutus, ad sedes suas, & cognata sydera recurret. EX EODEM

Nam *quod maximum solet esse solatium extrema passuris?*) Legendũ *esse sine interrogatione arbitror. &*, Nam, *particulam in principio positam, expungendã, ut sit continuus contextus uerborũ a superiori. hoc sensu. In omnes constitutum esse capitale supplicium, & qdem iustissimo, dignissimoq; decreto, & constitutione, quod solet maxime solari miseros & extrema passuros, quod corũ in causa eadem sors est. omnes. n. mortales eadem miseria, ad idem supplicium sunt destinati. omnium causa eandem sortem, eundemq; exitum habet. quod sõlatio esse debet, nostram scilicet sortem communem esse omnibus, qua reges seruis extremæ conditionis æquantur.* Seneca *infra libro.* VI.
» *Nullum est maius, inquit, solatiũ mortis, quàm ipsa mortalitas. mors*
» *naturæ lex est, mors tributum officiumq; mortalium.*

EX EODEM

Viues, *si fulmen* Effugis) Vetus lectio *euaseris*. Et *paulo infra*. *Si pauescis ad cœli fragorem, nubium ue trepidas. Quoties aliquid effulsit expiras*) Vetus lectio commodior. *Sed pauescis ad cœli fragorem, & ad inane nubium trepidas, & quoties aliquid effulsit expiras. Item infra.* Cogita *te nihil habere de tanta morte perdendum*) Nusquam aliter, *sed* De præpositio *nullo pacto sustineri posse uidetur, quia totam confundit sententiam, alioqui planus est uerborum sensus, si amota præpositione sic legeris*, Cogita *te nihil habere tanta morte perdendum.*

Annotationes

ANNOTATIONES EIVSDEM FORTVNATI IN LIBRVM TERTIVM SENECAE.

EX PRAEFATIONE.

T ad contemplationem ſui ſaltem ipſo impetu reſpiciat) Vetus lectio Saltem in ipſo fugæ impetu, & forte melius. Item infra. Tollimus ingentes animos, & maxima facta Paruo tempore molimur.) Lego Et maxima paruo Tẽpore molimur. Itẽ non ita multo poſt. Infractis rebus etiã poſt Carthaginem) Vetus lectio fractisq; rebus. Legendũ ergo eſt, Infractisq; rebus. ut illud Virgilij.

» Turnus ut infractos aduerſo marte Latinos
» Defeciſſe uidet.-

EX EODEM

Quemadmodum ante deſierit ſenex omnibus angulis bellum quærere) Lego Quemadmodum non deſierit ſenex. &c. ut & ſenſus & hiſtoriæ ueritas conſonent. Annibalis fuga ad Antiochum, & Pruſiam regem, ut aliquam occaſionem belli renouandi áduerſus Romanos inueniret, notiſſima eſt oĩbus. Et mox infra. Quantò ſatius, quid faciendum ſit, quàm factum ſit quærere.) Legendum, Quàm quid factum ſit. Item infra. In deterius optata flectuntur) Vetus lectio Vertuntur, utrunq; recte. Item paulo infra. Regna ex infimo coartata.) Lege Coorta.

EX EODEM

Inueniri non poteſt numerus, quàm multa ab alijs fracta ſint. Nunc cum maxime deus alia exaltat &c.) Ita omnia & uetera exemplaria, & uulgata. ſed uacillant & fluctuant hæc omnia, nullo certo ſenſu, aut uerborum exitu. Quare arbitror aliquid erroris ſubeſſe, nec audeo quicquam mutare in tanto codicum conſenſu. Senſum quidem authoris hunc eſſe coniecto. Innumera regna, imperiáq; & prioribus ſeculis fracta eſſe, & nunc à maximo deo, uel, & nunc maxime (ut notet ſua ætate maxime incerta ac mutabilia regna, & imperia fuiſſe) à deo alia prouehi, alia deprim. &c. Ad hunc ſenſum forſitan ſic erit lectio reſtituenda. Inueniri non poteſt numerus quàm multa & alijs temporibus fracta ſint, & nunc maxime deus alia exaltat. &c. Vel ſic, Quàm multa alijs tẽporibus fracta ſint. nunc enim maxime. Vel ſic potius, ut nihil addas, Quàm multa et aliâs fracta ſint, cum nunc maxime deus alia exaltat. Vel ſi priorem omnino lectionem, nihil immutando, nihil inuertendo cuſtodire

EX LIBRO

uolumus, & fidei antiquorum exemplarium rationem habere, quod magis placet, tunc illa uerba, quæ mox sequuntur, Magna ista, quia parui sumus, credimus, a' superiori sensu non separabimus. Quid si legeretur? Inueniri non potest numerus, quàm multa aliis atq; aliis modis fracta sint. Senecæ. X. Epistolarũ. Omnes, inquit, quæ usquam rerum potiuntur urbes, quæq; alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerunt, aliquando quæretur, & uario exitij genere tollentur. alias destruent bella, alias desidia paxq; ad inertiã uersa consument, et magnis opibus exitiosa res luxus. Tã uarias lectiones posse contemni, uel etiam rideri præclare uideo. Nos tamen in iuuandis authorum locis depranatis, ut in ueteri morbo, quælibet mutationum auxilia tentare nõ inutile, neq; ineptum ducimus, quando' uerũ absq; ambitione quærendum est.

EX EADEM

Quia a' diuinorum contemplatione) Vetus lectio Conuersatione, bona est uulgata. Item infra. Sed aduersus utrunq; intrepidus & confusus) Vetus lectio melior rectiorq;, Sed utrinq; intrepidus & inconfusus. quod & mox sequentia uerba confirmant. Nec illius tumultu, inquit, nec huius fulgore perculsus. Et paulo post. Quod ut ad te transeat, aliquis possit dare, alquis amittere) purior est antiqua lectio. Quod ut ad te transeat, aliquis possit amittere. Illa enim duo uerba, Dare aliquis, otiosa sunt.

EX EADEM

Etiam si quis domum casus attulerit.) Vetus lectio Abstulerit, & forsitan rectior. Et quod mox sequitur. Quasi exitura, quæ uenerunt.) Vetus lectio, Qua' uenerint. Itẽ paulo infra. In primis labris animam habere.) Scribendum. In primis, liberum animum habere. loquitur enim de libertate animi, quod est summũ in omnibus rebus humanis, donumq; naturæ, non fortunæ. Hæc libertas communis est seruis pariter atq; regum liberis. Stoicorum hæc disputatio est. de qua re extant Ciceronis Paradoxa.

EX EADEM

Hæc res efficit non euenire quærenti, ut sit liber, sed euenire naturæ.) Lego. Quiriti, non Quærenti, hoc est alicui nobili ex illustri familia, qualeis se omnes Quirites, ideſt Romani credebant. Non enim longo ordine numerata ab atauis stemmata faciunt liberos, sed natura, sed uirtus ipsa. Persius.

» -Heu steriles ueri, quibus una quiritem
» Vertigo facit.- Quanquam tantum numero multitudinis præcipiant inflecti hoc nomen grammatici, tamen & in singulari numero non infrequens usus eius est apud authores. Iuuenalis.

-Tamen

» -Tamen ima de plebe quiritem
» Facundum inuenies.- Horatius.
» Ludicra quid, plausus, & amici dona quiritis
» Quo spectanda modo? Idem alibi.
» Quis te redonauit quiritem
» Dis patrijs?- Item Ouidius.
» An si pulsassem minimum de plebe quiritem.

A Quiritibus est etiam uerbum quiritare, ut docet Varro, & Nonius Marcellus, quod significat Quiritium fidem clamando implorare, uel quocunq; modo clamare. Fabius Oratoriæ Institutionis
» tertio. Cur initio furioso sit exclamandum non intelligo, cum propo-
» sita consultatione, rogatus sententiam, si modo est sanus, non quiritet.
» Plinius Naturalis historiæ libro. IX. Vbi de Mullo. Asinius Celer
» è consularibus hoc piscæ prodigus. Claudio Principe unum mercatus
» VIII. Mil. Nummum. qua reputatione aufert transuersum animum
» ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxus cocos emi sin-
» gulos pluris, q̃ equos quiritabant. At nunc coci triumphorum pretijs
» parantur, et cocorum pisces. Fœde totum hunc Plinij locũ conuulsum restituimus.

EX CAPITE I.

In mare præruptum, & pelago premit arua tonanti.) Vetus lectio It mare, & pelago Sonanti, non Tonanti. atqui non aliter habent & Virgiliani codices. Et quod mox sequitur. Siue ut apud Terentium Iunior cariſſime inuenio.) Legendum aliqui existimant, Siue ut apud te Iuniorem carmen inuenio. sed non intelligo quo sensu dicant Apud te Iuniorem carmen inuenio, nisi forte quod tu adhuc iuuenis lusisti. Ego uero censeo nihil esse mutandum, nisi ut loco uerbi, Terentium, Te legatur. Iunior enim non ad ætatem hic refertur, sed est nomen ipsius Lucilij gentilitiũ. uocabatur enim ita Lucilius Iunior, sicut Plinius Secundus. Hunc Seneca aliquando Lucilium, aliquando Iuniorem appellat. ut infra in præfatione Quarti.
» Ita est mi Iunior, quò apertior est adulatio, quò improbior, & reliqua. ubi fœde deprauatum locum restituimus. Vtitur & infra capite. XXVI. testimonio Lucilij de Alpheo & Arethusa, Et hoc etiam à te, inquit, traditum est, ut in prima, Lucili cariſſime.

EX EODEM

Alia in defectũ cæterorũ omniũ crescant.) Rectior est uetus lectio. Alia in defectu cæterorum amnium crescant. Sunt enim aliqua flumina quæ tunc crescunt, cum alij amnes deficiũt. ut Nilus & Euphrates. Et paulo infra. Tam uarijs singulis usus.) Lego Tam uarius.

EX LIBRO

EX CAPITE II.

Medicatas, ex quibus ſulfuratas dicamus. Legendum, aut medicatæ. Ex quibus ſulfuratas dicimus. Et quod mox ſequitur. Indicat inde ſapor.) malim Illas, quàm Inde, legere. Item paulo infra. Déinde ponderis. leues & graues ſunt.) Scribendũ. Déinde ponderis. Omnes leues, aut graues ſunt. quamuis Plinius libro. XXXI. ubi abunde multa de aquis, dicat aquas nullo penè momento ponderis inter ſe diſtare. Item infra. Déinde ſalubres ſunt & utiles.) Legendum déinde ſalubritatis. ſalubres etenim ſunt & utiles. Et paulo poſt.

Quæ ſine ulla bibentis ope tranſeunt.) Lege Quædam ſine ulla ope. &c. ut ſint diſtinctæ & contrariæ ſuperiori. Illæ enim, quæ ſine ulla ope tranſeunt, non alunt. rurſum hæ quæ alunt, ſine ope non tranſeunt.

EX CAPITE III.

Tunc cogitur tunc fluit.) Lego Tunc cogitur non fluit. Item infra. In quem montes circumuecti fluuij deriuantur.) Lego Montis circumuecti, ut ſit ſingularis, & patrius caſus. Et mox infra. Itaq; etiam, cum hyberni defluxere torrentes, faciem quoq; ſuam ſeruant.) Legendum faciem ſuam ſeruat, non ſeruant, ut non ad torrentes, ſed ad Fucinum referas.

EX CAPITE V.

Quidam iudicant terram, quicquid aquarũ emiſerit curſus accipere.) Vetuſti quoq; codices eandem habent lectionem, ſed bene uidetur legi Rurſus in uulgatis exemplaribus. Item infra. Occulto enim itinere ſubit terras, & palàm uenit, ſecretóq; reuertitur.) Illa uerba Et palàm uenit) in uetuſtis codicibus non uidentur, uereor ne admiſta ſint.

EX CAPITE VII.

Quomodo ergo poteſt imber ſuggerere amnibus uires, qui ſummam humum tangunt?) Quanq; & uetera exemplaria Tangunt, habeant, ſingulari tamen numero Tangit, non Tangunt eſt legendum. & ad imbrem, non ad amnes referendum. Item mox. Pars maior eſt, quæ per flumnum alueos in mare effertur.) Vetus lectio Pars maior eius per flumnum alueos in mare transfertur. melior hæc, ſed tolerabilis & illa.

EX EODEM

Nec collectitium humorem.) Vetus lectio, Nec collectiuum, bene tamen Eraſmus collectitium, pro collectiuo repoſuiſſe uidetur. tametſi hæc uerba idẽ ſignificent, authores tamen idonei illas aquas, quæ Græcis συλλογιμαίας dicuntur collectitias potius, quàm collectiuas appellant.

Aquarum

Aquarum enim aliæ ἐυτὰ. hoc est fluentes. σάοιμα aliæ, quas stagnantes dicimus. quædam πηγαῖα, quæ e' fontibus profluunt. quædam φρεατικὰ, ideſt puteales. quædam uero συλλογιμαῖαε hoc est collectitiæ ut diximus.

EX CAPITE VIII. ET IX.

Nec minus illas stagnare, quàm apud nos Oceanum & sinus eius in imo latius) Vetus lectio Immo' eo' latius, & bene. apertus est uerborum sensus. Item ex capite. IX. Huc quoq; quicquid effluit.) Vetus lectio rectior. Hoc quoq;, quicquid effluuit. Intelligit enim euaporationes & exhalationes terræ.

EX CAPITE X.

At magna in terra flumina sunt.) Lego. At magna flumina sunt. Illud autem uerbum, In terra, insertum, & superuacaneum est. Illud quoq; otiosum quod sequitur paulopost, Rursus quanta sunt.) Item. Quædam uero non concitata rapiantur.) Hic quoq; negatio eradenda est. Et item mox. Quod præsto' sit illis semper aqua noua.) Ita hoc legendum, ut à superioribus dependeat. deniq; totam lectionem, quam fœde & corruptam & confusam uides, sic & distingue, & restitue. At magna sunt flumina. cum uideris quanta sunt, rursum ex quanto prodeant aspice. Miraris, cum labantur assidue, quædam uero & concitata rapiantur, quod præsto' sit illis semper aqua noua.

EX EODEM

Sed per dies, noctesq; æqualiter fiat.) Vetus lectio Fluit. Item infra. Nihil deficat, quia in se reddit.) Malim legere etiam codicibus repugnantibus, Nihil deficat quod in se redit. id enim magis sensui conueniret. Et paulopost. Quicquid alteri perit in alterum transit.) Vetus lectio Quicquid in altero perit, in alterum transit. sed illa prior est elegantior. Et infra. Et aër & aqua facit terram.) Vetus lectio contraria sed recta est. Et aëra, & aquam facat terra, quod & sequentia probant. Item paulo infra. Quia illis in quæ transeundum est, iam musta sunt.) Vetus lectio Iam mista est, non sunt, neq; displicet, ut terram intelligas, id enim sequentibus magis consonat, quæ probant terram elementis mistam esse. Elementa autem inuicem mutari superius quoq; notauimus capite. XV. Secundi. Item paulo infra. Habet aër, hunc umbra hyberni frigoris densat.) Lege Habet aëra, hunc umbra etcætera. terram nanq; dicit & humorem, & aëra mistum habere.

EX LIBRO

EX CAPITE XI.

Et ruina interſcindit curſum aquis.) Vetus lectio Viam, non Curſum. ſed bona utraq;. Item. Deinde quia peraiderunt uiam, faciunt hoc.) ſcribendum, Deinde, quia perdiderunt uiam, faciant. Ita ut, Hoc, ſequentis ſenſus ſit initium. Item mox. Hoc quod accidiſſe ait Theophraſtus in Auctorico monte.) Lego in Coryco monte. Plinius
» libro. XXXI. Terræ quoq; motus, inqt, profundunt ſorbentq; aquas,
» ſicut circa Pheneum Arcadiæ quinquies accidiſſe conſtat, ſicut & in
» Coryco monte amnis erupit, poſtea, quam cœptus eſt coli.

EX EODEM

Sic & alios quoq; caſus.) Vetus lectio, Sed & alios quoq; caſus. Item. Qui aliter uocent aquas.) forte legendum Euocent. Item. Aut in curſu ſuo deijciant, aut auertant.) Vetus lectio commodior, Aut à curſu ſuo decidant, atq; auertant. poteſt tamen Deijciant uerbum defendi. Item. Fuit aliquando aquarum inops Erinius) Vetus lectio Hempnus, uulgati codices Humus. quod uerbum una litera immutata à uero detortum eſt. legendum enim ex Theophraſto & Plinio Hemus. Plinij uerba de eadem re, nequis dubitare poſſit, ex li-
» bro. XXXI. ſubieci. Naſcuntur, inquit, fontes deciſis plerunq; ſyluis,
» quos arborum alimenta conſumebant, ſicut in Hemo, obſidente Gal-
» los Caſſandro, cum ualli gratia ſyluas cecidiſſent. quam lectionem ante nos uidit Hermolaus, ut erat in legendis authoribus oculatiſſimus. Illum uero, qui hic Erinius, loco uerbi Humus, repoſuit, modeſtius erat tacere, quàm ex depraua deprauatiorem lectionem facere. Recte Stoici à rebus incertis aſſenſionem cohibuerunt. nihil enim temeritate turpius, nihil tam temerarium, quàm quod non ſatis explorate perceptum, & cognitum ſit, tanquam uerum adſtruere. Et quod mox ſequitur. Et ſyluas ſcidiſſet.) ſcribendum Cecidiſſet, ex Plinio.

EX EODEM

Flumini modo uis ex intimo manat, utraq; excipitur, quam radicibus euagari licet.) Legendum ut ſenſus conſtet. Flumnum uero uis ex intimo manat, ultraq; excipitur &c. Fulmnum dicit originem altiorem eſſe, quàm quo radices arborum demittere ſua flagella poſſint. non ueriſimile itaq; uideri in arborũ alimenta humorem, qui fonteis uberes fuderit, conſumptum fuiſſe.

EX EODEM

A cacumine deiecta pluuia poteſt facere torrentem.) Legendum & diſtinguendum ita, ut illud uerbum Pluuia, ſit initium ſequentis ſenſus. Illud

ſus. Illud uero, A' cacumine deiecta, ad ſuperiora pertineat. Scribendum tamen non A' cacumine deiecta, ſed A' capite deiectus. hoc ſenſu. Fluminum magnorum à capite, & ab ipſo fonte per hyemem pariter, atq; æſtatem deiectum ac decurſum parem eſſe. & hoc eſt argumentum ſatis magnum, illa non ex pluuia aqua colligi, quæ poteſt facere torrentes, ſed non æqualem eundemq; modum aquæ ſemper habentes. Item mox infra. Aquæ non faciunt imbres ſed excitant.) Scribo *Aquam non faciunt imbres, ſed incitant, ne à ſenſu abhorreat.*

EX CAPITE XII.

Sed ſi in natura rerum elementa ſunt quatuor.) Vetus lectio *Si rerum elementa ſunt quatuor. & rectius forſitan.* Item *paulopoſt.* Poteſt *aquam ex ſe ſemper effundere.)* Vetus lectio *Aliquid, non Aquam.*

EX CAPITE XIII.

Hunc eundem languere conſydero.) Legendum *Languentem conſidere. hoc eſt ab illa immenſa licentia remitti, & decreſcere abſumpto alimento quo paſcebatur.* Tradunt philoſophi *Cataclyſmos, & Ecpyroſeis, hoc eſt eluuiones exuſtionesq; terrarum accidere certo tempore neceſſe eſſe. Eluuiones attribuunt Planetarum humidorum coniunctioni in ſignis pluuialibus, conflagrationes calidorum in ſignis calidis. Sic uicaſſim renouationem mundi fieri, atq; priſtinum ornatum redire nunc per diluuium, nunc per exuſtionem. Ex his ortum, ex his & interitum rerum eſſe.* Plinius *libro. VII. in exuſtionis uices putat nunc æuũ uergere. ideo homines in dies fieri minores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione. Ceu uero eadem ratione, in eluuionem uergente æuo, maiores in dies fieri homines luxuria humoris neceſſe eſſet.* De *Ecpyroſi Illud quoq; Ouidij ex primo Metamorphoſeon intelligendum eſt.*

» *Eſſe quoq; in fatis reminiſcitur affore tempus,*
» *Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli*
» *Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.*

Quod inepte ad uenturum dei iudicium interpres retulit. Multi eluuiem uniuerſæ terræ naturali ratione euenire non poſſe contendunt, neq; terram ita operiri aquis, ut aliqua animalia non ſuperſint. In qua ſententia & Auerroim, non omnino futilem authorem naturæ ueriq;, tertio De anima fuiſſe uideo, idq; propter ſtellarum diuerſas, & plerunque etiam contrarias poteſtates.

EX LIBRO
EX EODEM

Hic humor, rerum primordium, sic positus est.) Vetus lectio longe diuersa. Hic humor in diductione rerum ad aquas redactus est, sic positus, ut &c. Nos nihil immutamus, sed uarietatem ostendimus. Item infra. Et per rimas facere semitam.) Lego Sentinam, quia dixit terram in humore, modo nauigij uehi, & fluctuare mobilitate illius. & infra libro. VI. capite. VI. contra hanc eandem
» opinionem Thalis Milesij. Ad ultimum, inquit, non tam exigua
» fieret, quàm dicat eruptio, nec uelut per rimam sentina subreperet.

EX CAPITE XIIII. ET XV.

Fœminæ nomen assignant huic tractabili.) Vetus lectio Fœminæ nomen imponunt huic tractabili ad culturam. Item ex. XV. Vasta maris in occulto uia est.) Verbum, Maris, inane est. expungendum ergo, ne sententiam turbet. Item. Quam nullus fluminis cursus exhauriat.) Lege Quam nullius fluminis. Item. Alia corrupti ac paulo pinguioris.) Vetus lectio Pigrioris, forte rectius, ut omnibus respondeat. Item infra. Hinc est omnis metallorum humus.) Vetus lectio Hinc est omnis metalli metallorum humus. forte legendum Hinc est omne metallorum genus. illud siquidem uerbum, Humus, mihi suspectum est.

EX EODEM

Hæc est causa aquarum secundum legem naturæ, uoluntatemq; nascentium.) Vetus lectio Secundum legem naturæ uoluntate nascentium. quasi sponte non arte humana nascentium. bona tamen est uulgata, & nescio an etiam melior. Item infra. Vel aliqua alia causa retro dedit sanguinem.) Vetusti codices, Vel aliqua alia cura. Et paulo post. Quomodo consumpta aqua deficit.) antiqua lectio Sit, non Deficit. Et paulo infra. Modo coit ualde in cicatricẽ.) Lego Velut in cicatricem. Item mox. Premutq; quam fecerat uiam.) Vetus lectio Comprimit illam quam perfecerit uiam. Sed uulgata uidetur probior esse.

EX EODEM

Sæpe enim inania apposita plenis humorem in se attrahunt. Sæpe terra, si facilis est in tabem ipsa resoluitur, & humescit. Idem euenit sub terra, quod in nubibus, ut spissetur, grauiorq;, quàm ut manere in natura possit, gignat humorem.) Vetus lectio Ipse transire facilis in aliud. Ipsa terra in tabem resoluitur et humescit. Idem euenit si sub terra spissetur, grauioremq;, quàm ut manere in natura sua possit, gignat humorem. Hanc utranq; lectionem corruptam esse facilius

esse facilius est uidere, quàm ueram inuenire, quæ forsitan ex utraq; corrupta sic colligenda erit. Sæpe enim inania apposita plenis humorem in se attrahunt, ipse transire facilis in aliud. Sæpe ipsa terra in tabem resoluitur & humescit. Idem euenit sub terra quod in nubibus, si spissetur, grauioremq; , quàm ut manere in natura sua possit, gignat humorem. Hæc lectio proba uideri interim poterit omnibus, qui purgatam aurem habuerint, donec genuina, si ulla alia est, inueniatur.

EX CAPITE XVI.

Cum possim eandem causam singulis reddere.) Lego *Omnibus, non Singulis, ut sit contrarium eius. hoc significat separatim cuiq; per se. Illud simul uniuersis. Item. Quibus se retrahant, & quibus redeant.)* Vetus lectio *Reddant. bona utraq;. Item. Quædam maiora & minus certa.)* Vetusti codices, *Nec minus certa. mihi quidem placeret recentior lectio, sed illa uerba, quæ paulopost sequuntur,*

» *Sunt & sub terra minus nota nobis iura naturæ, sed non minus certa) faciunt ut ueterum exemplarium fidem approbem. Item paulo post. Aestas suo tempore incaluit.)* Vetus lectio *Incanduit*, quod fere idem significat, nisi quod huius maior uidetur uis esse. *Item non ita multo post. Vt in aëre cæco pinguiq; concepta.)* Vetusti codices *Pigroq; concepta, forsitan rectius. Item. Pleraq; ex his cæca ut talpæ & subterranei uermes.)* Vetus lectio *subterranei mures. Sed hoc glossema illius uerbi Talpæ, uidetur fuisse.*

EX CAPITE XVII.

Quæ urbane in re incredibili fabulam dicas.) Quamuis & uetusti codices *Fabulam, illustrior tamen sensus erit, si, Fabulosaq;, legeris, Item paulo infra. Hoc miraris accidere.)* Vetusti codices. *Hoc miraris me addere. uulgata commodior est. Item. Quoties natura aut mentitur aut uincitur.)* Legendum *Quoties naturam aut mentitur aut uincit. ut ipsam luxuriam intelligas ad imitationem naturæ multa excogitare, quibus naturam uel effingat, uel etiam superet. Et paulo post. Parum uidetur Recens mullus, nisi qui in conuiuio manu moritur)* Lego *In conuiuæ manu moritur.)* Item. *Et condunt uiuos)* Legendum *aliqui putant Condiunt, non Condunt, & bene mea quidē sententia. Quia dixit, Necant in Garo. Quod genus liquaminis est Plinio ex piscium intestinis, cæterisq;, quæ abijcienda essent, sale macerati. Laudatissimum autem erat Garum eˋ Scombro pisce in Hispania, in cetarijs Sotiorum, in quo. M. Apitius Mullos necari præcellens putauit. Seneca. XV. Epistolarum libro. Quid illud So-*

» tiorum Garum pretiosam malorum pisciũ saniem, non credis ure=
» re salsa tabe præcordia? ubi forte, Mullorum piscium, rectius lege=
retur. Et mox infra. Quam incredibile illis uideretur, si audi-
rent natare in Garo piscem.) Vetusti codices uerbũ, In Garo, non ha
bent, & forte non est necessarium. mihi profectò & dempto, & addito illo uerbo inconstans hic sensus uidetur.

EX CAPITE XVIII.

Ipsa colluctatione animam afficienti.) Vetus lectio Efflanti. sustineri po-
» test alterutra. Plinius, Mullum expirantem uersicolori quadam, &
» numerosa uarietate spectari procères gulæ narrant, rubentium
» squamarum multiplici mutatione pallentem, utiq; si uitro spectetur
» inclusus. Vetus lectio Plinij uerbis magis consonat. Et paulo infra.
Somniculosæ inertisq; luxuriæ. Quam sero expressero, circũscri=
bi se, & fraudari tanto bono sensit.) Vetus quoq; lectio propémo-
dum eadem est. sed locum totum deprauatum esse manifestum est, nullus enim sensus, qui placere possit, ex his uerbis educi posse ui=
detur. ita molestr illud uerbum, Expressero, inuoluit & confundit omnia. Senecæ autem, quantum coniectura animi colligo, sententia hæc esse uidetur. Somniculosam & inertem fuisse nepotum & pro-
cerum gulæ luxuriam, quæ tanto tempore, tantis delitijs, tam cla-
ro & iucundo spectaculo morientis Mulli caruerit, nec senserit prius se tanto bono esse fraudatam. Vnde hic fortasse legendum erit, eli-
minato illo molesto uerbo, Expressero. Somniculosæ, inertisq; luxu-
riæ est, tam sero circumscribi se, & fraudari tanto bono sensisse. uel sic potius, ut uerbi quoq;, Expressero, aliqua ratio habeatur. Somni=
culosæ inertisq; luxuriæ fuit, quæ tam sero hoc experta, sero enim circumscribi se, & fraudari tanto bono sensit. Vel sic. Hoc tam sero experiri, sero enim circumscribi se &c. Legentes uiderint, quid de hoc loco decerni debeat, nos nostram sententiam ostendimus.

EX EODEM

Vt nollent attingere, nisi eodem die captum piscem.) Vetus lectio Vt nollent, nisi eodem die captum piscem comesse. bona uidetur utraq;. Item paulo infra. Is pro putrido piscis affertur.) Vetus lectio Is pro pudor iam piscis affertur. Vnde legendum arbitror. Is, pro pu dor, iam pro putrido piscis affertur. Item quod mox sequitur. Qui non hodie eductus occisus est.) Legendum ex uetustis codicibus. Qui non hodie eductus, hodie occisus est.

EX EODEM

Quanti ad sollertiam luxuriæ pereunt? Hijs accedit, tantoq; subti-

lius &c.) Portinax est concordia hoc loco exemplarium. lectionem tamen mendosam esse, uel ipsa confusio aperte indicat. Illa quidem uerba, Quanti ad sollertiam luxuriæ pereunt,) possent custodiri. luxuria enim, & ipsius gulæ uentrisq; delitiæ damnosissima sunt, ac multorum periculo præcipue è mari petuntur, hinc & pretia rebus crescunt. unde multi, ut improbam ingluuiem replerent, quicquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gignitur, immenso ementes pretio, patrimonium deuorant. dein de in omnia latrocinia, & pericula se exponunt. Præterea ipsa gula & per se uitæ inimica est. Sed illud, quod sequitur. His accedit) & istis fidem derogat, & sequentia omnia tenebris inuoluit, adeo, ut ueram lectionem uerumq; sensum uix ipse Lynceus uideat. Mirum est & fide uetustorum exemplarium, & hominum iudicio hanc lectionem hactenus custoditam esse. Si quis tamen attentius sequentia præcedentibus contulerit, & quæq; uerba librauerit, uel hanc, uel huic forte similem, quantum quidem animi mei coniectura colligere possum, deprehendet lectionem. Quantum ad sollertiam luxuriæ pretij accedit, tanto subtilius quotidie et cætera. hoc sensu. Quantum crescunt rerum, & instrumentorum gulæ pretia, tanto subtilius furiosam luxuriam nouas quotidie excogitare delitias, ipsisq; pretijs immensis lætari, atq; ex pretio sapores rerum iudicare. nihil enim sapit illis, quod pauperis mensa capiat. Seneca infra circa finem Quarti. Nobis dolet, inquit, quod spiritum,
» quod solem emere non possumus. Adeo nihil potest luxuriæ placere,
» nisi carum. Iuuenalis libro. IIII.
» Interea gustus elementa per omnia quærunt,
» Nunquam animo pretijs obstantibus. interius si
» Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.
» Plinius libro undeuigesimo. Mergi enim credo in profunda satius
» esse, & ostrearum genera naufragio exquiri, aueis ultra Phasim
» amnem peti, & has fabuloso quidem terrore tutas, & sic pretiosio-
» res. Idem libro. IX. Piscium saporibus pretia capientium periculo
» fiunt. & paulo post. Parum est, inquit, nisi qui uescimur periculo,
» etiam uestiamur. adeo per totum corpus anima hominis quæsita ma-
» xime placent. Potest sic quoq; legi. Quanto ad sollertiam luxuriæ
» plures accedunt, tanto subtilius &c. Hæc lectio commodior uidetur,
» & sensui congruentior. Diuites enim, quibus molestæ erant pecu-
» niæ, cum uiderent magnam turbam ad luxuriam accedere, seq; in
» numerum & in turbam deduci, subtilius quotidie aliquid, ingenio-

ſtusq; ad luxuriam excogitabant, quo alios ſuperarent, ſeq; numero eximerent. Vel potius legendum hoc modo, eodem tamen ſenſu. *Quanto ad ſollertiam luxuriæ plures eunt, tanto ſubtilius &c.* ut illa duo uerba. His accedunt, ſint gloſſemata huius uerbi Eunt. quod profecto mihi multum probatur. Item infra. Nihil eſt melius ſalatili Mullo.) Legendū eſt ex antiquis codicibus Saxatili, non Salatili.

EX CAPITE XIX.

Magnam uim aquarum in ſubterraneis occultis.) Vetus lectio Occuli, non Occultis. hoc eſt occultari & abſcondi. Item. Certe cum in Caria circa Idimum urbem.) Vetus lectio Nydum urbem. Legendum ergo Myndum. quanquam Ariſtoteles, ſiue is ſit Theophraſtus, libro De Mundo, apud Gnidum dicat piſces ex terra reſtagnaſſe. Idem & VI. De Natura animalium. Plinius uero, & Theophraſtus apud Heracleam Latmi montis cognominem. ſed nihil refert. hanc uarietatem affinitas facit. Sunt enim hæ in Caria uicinæ urbes.

EX EODEM

Quos ignoto ante eum diem cœlo.) Vetus lectio Ignotos. Item. Et lucis inexperta.) Lego, ut melius cadat, Expertia. Item. Quod Anguillæ, quæ latebroſis locis naſcuntur.) Verbum Quæ, aut ſuperuacaneum eſt, aut loco eius, Quoq;, debet legi. Et paulo infra, eſt, non Sit, ſcribendum erit. Et mox infra. Si altitudo lucis illas penitus abſcondit) Lego Luti, hoc eſt limi, non Lucis. Item. Ex quibus continuatis flumina effici poſſunt.) Vetus lectio Corriuatis, non Continuatis, quam lectionem & Eraſmo placuiſſe uideo, cui & nos ſubſcribimus. Aquas ſiquidem ſubterraneas foraminibus inter ſe quibuſdam, atq; riuis concurrere & coire, ex Phædone refert & Ariſtoteles. Item. Sicut flumina fontium.) Antiqua lectio. Sicut flumnum, & fontium. & paulo ante, Magnis amnibus, non Magis, eſt legendum.

EX CAPITE XX.

Per quod feruntur.) Codices antiqui. Ex quo efferuntur. Item. Hæ medicatiuam potentiam.) Vetus lectio Medicamnum potentiam. Item. Hæ grauem ſpiritum coloreḿq; peſtiferum.) Scribo Odorē non Colorem. Et paulo infra. Intereſt utrum loca.) Vetus lectio Per loca.

» Item mox Nitro, non Vitro. Plinius libro. XXXI. Pluribus, inquit,
» generibus auxiliantur aquæ, aliæ ſulfuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis. Et paulo infra. Hinc ille de quo Ouidius ait.) Vetus lectio Hinc eſt illud, ut flumen referat. Item mox. Medicatum eſt.) Vetus lectio Medicamentum eſt. ſed magis placet

Medicatum. Plinius quoq; medicatas aquas & medicatos fontes uocat, qui alicui usui salubres sunt. Et quod mox sequitur. Vt corpora agglutinet & induret.) Vetusti codices, Vt corpora & glutinet, & obduret.

EX EODEM

Inde est quod res abiectæ in eundem locum.) Legendum Lacum. Et paulo infra. Circa canales suos Cymbasq; durari.) Vetus lectio
» Riuosq; durari, forte melius, ut infra capite. XXV. Qualia sunt,
» inquit, quæ duratus humor efficit, utiq; circa medicatorum fontium riuos. Item. Aliquam habent causam.) Integrior est uetus lectio, Aliquam harum habent causam. Et paulopost. Simulem habet uim mero sed uehementiorem.) Vetus lectio fortiorem. bona utraq;, sed recentior magis blanditur. Item infra. Quod mentem aut furore mouet.) Vetus lectio In furorem, sed uulgata aptius cadit.

EX EODEM

Hoc habet mali amnis eius.) Volunt aliqui legere, Hoc habet mali Mintius amnis. manifesto errore, nam quis unquam Mintium uim meri, aut uirus furoris habere uel audiuit, uel expertus est? Nimirũ expediebat tacere, quàm plagam annis obductam, leuem, & boni (ut ita dixerim) stomachi, negligenti curatione confricare, & rescindere, atq; ex modico errore in maiorem præcipitare legentes. Sequuntur enim, & facile acquiescunt magnorum iudicio uirorum, de quibus præiudicata existimatio est. Nullibi siquidem pronior fidei lapsus est, quàm siquando falsæ rei graues authores extiterint. Illis ergo eò magis cauere par esset, nequid temere, nequid inconsulte, nó satis compertum & exploratum emitterent, ac deniq; ne remedijs uitia facerent. Quis nó iure miretur in re aperta magnos & antesignanos, primiq; nominis in omni eruditione uiros hallucinari? Hæc Ouidij ex. XV. Metamorphoseon carmina sunt, quem pueri mox post prima elementa discunt, ubi Lyncestio, non Mintio amni natura uini meri attribuitur. Ita enim ibi de hoc amne scribit.

» Huic fluit effectu dispar Lyncæstius amnis,
» Quem quicunq; parum moderato gutture traxit,
» Haud aliter titubat, quàm si mera uina bibisset.

Sunt antiqui codices Ouidiani, in quibus legitur Lyncæus. atqui nó aliter uidentur Senecæ exemplaria aliquando habuisse. uerbi enim Lyncæus fragmentum esse, ultimaq; pars illud uerbum, Eius, appa-
» ret. Plinius tamen libro. II. Naturalis historiæ, Lyncæstis, inqt, aqua,
» quæ uocatur Acidula, uini modo temulentos facit. Legendũ itaq; hic, non Amnis eius, neq; Mintius amnis, sed Et Lyncæstius amnis. Ita

est profectò summos & excellentes uiros sæpe suspicimus, & uenera-
mur, maioresq; hominibus credimus. atq; diis æquamus. interdũ
tamen homines agnoscimus, ac nobiscũ simul sub alea humanæ fra-
gilitatis & illos esse uidemus. Satum est illud Alexandri Macedonis.
Is, cum in obsidione cuiusdam urbis, dũ muros circuit, facilesq; adi-
tus explorat, sagitta ictus esset, diu dissimulato dolore perseuerauit
in proposito. Deinde cum represso sanguine sicca uulneris dolor cre-
scæret, et crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus ab in-
cepto desistere. Omnes inquit, iurant me Iouis esse filium, sed uulnus
hoc hominem esse me clamat.

EX CAPITE XXI. ET XXII.

Nulla res est, quæ non eius à quo nascitur notas reddat.) Vetus lectio *Naturam, non Notas. bona tamen & illa, & forte rectior.* Item ex capite. XXII. *Oceanus, & quodcunq; ex illo mari terras intercludit.)* Scribendũ ex uetustis codicibus, *Interluit.* Item non *Ex illo mari, sed Ex illo mare legendum, ut sit nominandi, non auferendi casus. sensus autem est. Oceanum æquæuum mundo esse, & omnia maria mediterranea, quæ ex Oceano profluunt.*

EX CAPITE XXIII.

Post illam ex superioribus cœlestes aquas nubila excutiunt.) Vetus lectio, *Post illam sunt cœlestes, ex posterioribus, quas nubila eiiciunt. defendi potest utraq;, eadem enim est sententia. mihi tamen placeret ueterem tueri, præsertim cum ordinem quendam uetustatis aquis attribuat.*

EX CAPITE XXIIII.

Facere solemus thracones & miliaria.) Vetus lectio Dracones, *ita enim dicuntur flexus, & circuitus in omnibus rebus, animalis scilicet, hoc nomine dicti, similitudine.* Columellæ & Plinio *palmites quoq; an-*
» *nosi* Dracones *appellantur.* Plinius *libro.* XVII. *Nuper repertum*
» *draconem serere iuxta arborem. ita, inquit, palmitem appellamus*
» *emeritum, pluribusq; induratum annis.* Idem *libro.* XIIII. *Puroq;*
» *producunt draconе. Alibi etiam de Signiferi curuaturis, Sol deinde*
» *medio fertur inter duas partes flexuoso draconum meatu. Vnde*
& in balneis ipsi flexus ignem circumeuntis aquæ dracones apte dicuntur. Trachones uero uocantur loca aspera & saxosa, quibus nullus locus hic est. Item paulopost, loco uerbi, Struimus, Vetusti codices *habent. Facimus, recte utrunq;.*

EX EODEM

Quem non falli credebant. In quibus balnearia sine igne calefiunt.)
Quanquam ita habeant omnia exemplaria. ego tamen malim le-

gere ut sensus, qui nunc fluctuat, & incerto exitu nutat, constaret. Quem non falli credunt, quibus balnearia sine igne calefiunt. hoc sensu. Illos ueram credere opinionem Empedoclis, quibus nullo igni, sed solo uapore calidarum aquarum, & balnea, & miliaria, cæteraq; balnearia uasa calefiunt. Plinius libro. XXXI. ubi agit de
» aquis, Vapore quoq; ipso, inquit, aliquæ prosunt, tantaq; est uis, ut
» balneas calefaciant, ac frigidam etiã in solijs feruere cogant. Quæ
» in Baiano Possideanæ uocantur, nomine accepto à Claudij Cæsa-
» ris liberto, obsonia quoq; percoquunt. Mendose legitur in uulgatis Plinij codicibus, in Solis feruore.

EX EODEM

Nec trahit uaporem euaporatio.) Vetus lectio, Saporem, non Vaporem, & rectius. Item. Per loca sulfure plena, uel introeuntes aquas) Addendum est ex uetustis codicibus, Exeuntes, uel introeuntes aquas, ne imperfecta sit sententia.

EX CAPITE XXV.

Circa Nonacrium in Arcadia.) Malim legere Nonacrin ex Plinio & Vitruuio, cæterisq;. quanquam uetusti codices Nonacrinum habeant.
» Plinius. Iuxta Nonacrin, inquit, Arcadiæ Styx nec odore differens,
» nec colore, quæ pota illico necat. Vitruuius. Est, inquit, in Arcadia
» Nonacris nominata, quæ habet in montibus stillantes è saxo fri-
» gidissimos humores. hæc autem aqua ὕδωρ appellatur, qua
» neq; argenteum, neq; æneum, neq; ferreum uas potest subsistere, sed dissilit, ac dissipatur. conseruare autem eam, & continere non nisi ungula iumenti potest. Hac necatus ab Antipatro dicitur Magnus Alexander, non sine magna infamia Aristotelis philosophi, cuius consilio id factum creditur.

EX EODEM

Quia protinus hausta, duratur.) Vetus lectio Durat, sed bene et Durat tur. Item. Intra certum tempus.) Vetus lectio Breue tempus. nihil refert, quod horũ legatur. Itẽ paulo infra. At si illis lana opus sit fuerit nigra, pullis paratus gratuitus infector est, ad Penenion eundẽ gregem appellant.) Verus lectio. At si illis lana opus sit uel pulla, paratus gratuitus infector est, et ad Penenion eundẽ gregẽ appellãt. Legunt aliq ex uulgatis codicibus hoc modo. Si lana opus fuerit nigra, puellis paratus gratuitus infector est, ad Peneũ gregẽ appellũt. Placeret hæc lectio, nisi uetusta exẽplaria fidẽ eius eleuarent. Temeritas profectò est, ne dicam, impudentia, lectionẽ truncare integram, & necessarijs priuare membris, ut aptè confecto sensui respondeat. At,

enim particula apte, & eleganter in principio poni solet, cum res contraria priori inducitur. Illud quoq; uerbum, Illis, custodiendum est, cum superius dixerit, Qui facere albas oues uolunt. eosdem enim refert. Pullis uero, uel Puellis, minime toleranda sensu ipso repugnante, et dissidente. Etiamnum illa duo uerba, Ad Penelon eundem, ita ut in uetustis exemplaribus legitur, stare immota permittimus. Legendum itaq; erit hoc modo. At si illis lana opus sit nigra, uel pulla, gratuitus infector est, & ad Penelon eundem gregem appellunt. Penelon uero Græcus est accusandi casus, ut infra libro Sexto,
» capite. XXV. Tunc, inquit, effugisse Penelon, qui paludes, quibus la-
» borabat Thessalia, siccauit, abductis in se, quæ sine exitu stagna-
» uerant, aquis. Ibi quoq; hunc locum corruptum restituimus. Pulla autem lana non est omnino Idem quod nigra, sed subnigra, atra, fusca, fulua'ue, quam & leucophæam a' Græcis mutuato uocabulo
» appellamus. Plinius fuscam uocat. Tradit Theophrastus, inqnit, in
» Macedonia quæ uelint sibi candida nasci, ad Haliacmon ducere, quæ nigra, aut fusca ad Axium. Quæ uerba ex eodem fonte cum uerbis Senecæ sumpta sunt.

EX EODEM

Quod idem in omnibus efficiat.) Vetus lectio In ouibus, non In omnibus, forsitan rectius. cum superius dixerit de illis aquis, quæ sine discrimine inficiant greges, hic iam loquitur de illis, quæ priuata quadam natura, aliqua certa tantum animalia inficiunt, uerbi causa, oues in Gallatia, equos in Cappadocia. Non me præterit tradi aliqua loca, ubi omnia fusca nascantur, quippe qui legerim Plinium
» libro. XXXI. dicentem ex Theophrasto. Idem omnia fusca quibusdam in locis tradit nasci, & fruges quoq;, sicut in Messapijs. sed cum Messapia & Gallatia diuersissimæ sint regiones, ista Phrygiæ, illa Italiæ, nihil me mouet hoc, quominus fidem integram credam uetustissimorum codicum. legentiũ tamen integrũ uolo sit arbitriũ.

EX EODEM

Et spargitur alba cutis.) Vetus lectio commodior est, Et spargatur albo cutis. Et mox infra. Quosdam lacus esse, qui nandi imperitos ferant notum est in Sicilia. Est adhuc in Syria stagnum & reliqua.) Vetus lectio uera & perfecta uidetur. Quosdã lacus esse, qui nandi imperitos ferant notum est. Erat in Sicilia, est & adhuc in Syria stagnum. Fuisse in Sicilia aquas pinthias in quibus nihil mergeretur notũ est ex Ptolemæo & Plinio. nunc quoq; esse in Syria Asphaltiten Iudææ, & Aretissam Armeniæ maioris lacum omnia illata pondera sustinentem.

Ex eodem

EX EODEM

Quamcunq; uis rem expãde.) Legendum Expende, hoc est pondera et examina, trutinaq;. nam & paulo infra. At si aquæ, inquit, et eius rei, quam contra pensabis, par pondus erit. Et mox infra. Dum modo utriusq; par sit onus.) Rectior est lectio uetus Par sit modus.

EX EODEM

Quædam ad medium submersa sint.) Vetus lectio Submissa, & forsitan rectius. Item quod mox sequitur. Quædam ad æquilibriũ aquæ, quædam descendant.) Legendum Quædam ad æquilibrium aquæ descendant, explosa uerbo, Quædã, Item mox. Nanq; cũ utriusq; pondus pars est, neutraq; res alteri cedat grauiora descendunt) Legendum ex præcedẽtibus. Nam cum utriusq; pondus par est, neutra res alteri cedit. Grauiora descendunt. &c. Item paulo infra. Itaq; ubi aqua grauior est hominis corporis, aut saxi.) Lego Hominis corpore, nõ Corporis, ut sensus constet. Nam si Corporis legeris, aliquod necessarium uerbum desyderes necesse est.

EX EODEM

Ex quibus quæ constant insulæ in India natant.) Vetus quoq; lectio In India, Hermolao tamen placet ut Lydia legatur. qa in Lydia in Torrebia, seu Nympheo lacu sunt Calamunæ insulæ, quæ calamorũ cantu tripudiantium more in ambitum sese motant. unde & Calaminæ à calamis dictæ. quas alio nomine Græci ἁλτικάς, Plinius Saltares uocat, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantiũ pedum mouentur. Quanquam Calaminas à Saltaribus Plinius distinguere uideatur, et Calaminas in alio loco, quã Nympheo locare,

EX EODEM

Theophrastus est author ipse, ad Cutillam natantem insulam uado.) Vetus lectio. Theophrastus author est. Ipse ad Maliam natantem insulam uado. Legendum ita ut illa uerba, Theophrastus author est, ad superiorem clausulam pertineant, Ipse uero sequentis initium sit. item non ad Cutillam, neq; ad Maliam, sed Ad Cutyliam, qui lacus est in agro Rheatino, umbilicus Italiæ, in quo insula Cutylia Græcis dicta, ut docet Festus, fluctuat. Illud quoq; uerbum, Vado, siue sit nomen sexti casus, siue uerbum, stare nullo pacto potest saluo sensu. quare loco eius reponendum censeo Vidi, ut dicat, non tantum scriptis Theophrasti, aliorumq; fluctuantes insulas esse constare. sed se certò scire, & uidisse ad Cutylias aquas natantem insulam. Et quod mox sequitur. In alia in uadosis lacu uehitur. Lacus in statione Nili est.) Hermolaus Barbarus ille Plinij penè sepulti Aesula-

pius, hunc locum corruptissimum, sic restituit. Alia in Vadimonis lacu uehitur, alia in lacu Statonienſi. Vetustissima exemplaria Plinij & Senecæ habent Stationenſi.

EX EODEM

Quæ ubi purgamento aquarum coaluerunt, & ſpuma ſolidatur.) Legendum *ex uetuſtis codicibus. Quæ, ubi purgamenta aquarũ coaluerunt, ex ſpuma ſolidantur. Item.* Creditum *eſt quaſdam aquas ſcabiem auferre corporibus.)* Lego Afferre, *hoc eſt afficere corpora ſcabie. loquitur enim de uitio aquarum.* Plinius. Rore *nimio ſcabiem fieri, pruinam uredinem, cognatis & niuis cauſis.*

EX EODEM

Contra autem eſſe tenuiſſimas. hoc enim euenit.) Scribendum *ex uetuſtis uulgatiſq; codicibus.* Contra *autem eſt, tenuiſſimus hoc enim euenit. Aquas pluuias, ex quibus pertinacius congelatis conſtat* Cryſtallum *fieri, eſſe leuiſſimas, clariſſimas, & tenuiſſimas, ſed cito` computreſcentes, docent citra faſtidium nominandi authores Auerrois, Auicenna, Paulus Aeginita, & Galenus, cæteriſq; medici, & rerum naturæ periti. Ratione leuitatis afferunt, quod ſubire, ac pendere in aëre potuerunt, Solem quoq; tenuiſſima quæq;, ac leuiſſima attrahere.* τῶν ὑδάτων, Hippocrates *inquit,* κουφότατα τὰ ὄμβρια, καὶ γλυκύτατα, καὶ λαμπρότατα, καὶ λεπτότατα. *hoc eſt.* Ex *aquis leuiſſimæ ſunt pluuiæ, et dulciſſimæ, clariſſimæq;, ac tenuiſſimæ.* Addit Auicenna *eam præcipue probari, quæ æſtiua ſit, &* Tonitru *ex attritis, uexatiſq; nubibus expreſſa. unde illas a`re ipſa* Aſtrapæas, *&* Brontiæas *uocant.* Ceraunias *uero, quæ non ſolum* Tonitribus, *uerumetiam* Fulminibus *excuſſæ deciderint. Plinium in contraria ſententia eſſe uideo.*

EX CAPITE XXVI.

Exiſtit procul hinc, alioq; renaſcitur ore.) Ouidiani *& uetuſti Senecæ codices,* Orbe *non* Ore. *quanquam &* Ore *aliquot* Ouidiani *manuſcripti codices habeant, & profecto` probabilius & ueriſimilius eſt, ut* Ore *potius, quàm* Orbe *legatur.* Plinius *libro.* II. *Subeunt terras, rurſus reddunturLycus in Aſia, Eraſinus in* Argolica. Et *quod mox ſequitur.*

Sic modo cum bibitur, tacito modo gurgite lapſus.)

Lego Combibitur, *ut ſit una pars orationis ex eodem* Ouidio, *ubi et loco uerbi* Tacito, Tecto *legitur. ſed placet* Tacito. *hoc enim mollius, & cum maiori gratia aurium ſonat, quàm* Tecto, *ſenſui quoq; magis conuenit.* Hoc *carmen* Hermolaus *corrupte legit, nec uidetur* Ouidianum

dianum esse agnoscere. Item sequenti uersu Ouidiani codices habent In agris, *non* In undis, *ut erratum esse in alterutro necesse sit.*

EX EODEM

Ideoq; his diebus Olympia sunt. Victimarum stercus secundo traditum flumine illic redundare.) Vetus quoq; lectio eadem ferè. Legendum tamen ita uidetur, ut hæc uerba sine cæso, coniuncto sensu ad unam clausulam pertineant. Cæterum non Ideoq; his diebus, sed, Ideo quibus diebus, scribendum erit, ne tumultuentur uerba cum sensu. Item, non Flumine, sed Flumini in datiuo casu legendum, ut cum uerbo Traditum concordet. Hoc modo igitur tota lectio reddenda. Ideo, quibus diebus Olympia sunt, uictimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Quandiu ludi aguntur
» Olympij Arethusam fimum olere Plinius quoq; comprobat. Est &
» illa mutatio miraculi plena, inquit, Arethusam Syracusis fimum re-
» dolere per Olympia, ueriq; simile, quoniam Alpheus in eam insu-
» lam sub ima maria permeet. Idem uolumine secundo. Arethusa, in-
» quit, fons Syracusanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui
» per Olympiam fluens, Peloponnesiaco litori infunditur. Idem tra-
dunt de Alpheo Strabo, & Timæus, qui etiam phialam, quæ per id tempus in Alpheum ciderat, in Arethusam redditam tradit. Quæ de Arethusa & Alpheo scribit Virg. in. III. Aenei. & Ouid. V. Meta. cæteriq; passim poëtæ, sciens prætereo, neq; enim fabulosa consectamur.

EX EODEM

Et hoc & a`te traditum est ut in prima parte.) Vetus lectio Et hoc etiam a`te creditum est, ut in prima Lucili carissime. superius quoq; capite. I. huius tertij aduocauit carmen Lucilij de hac eadem re.
» Elysius siculis de fontibus exilit amnis.

EX EODEM

Est in Cheronnesso Chodiorum fons.) Vetus lectio, Est in Chersoneso Chodiorum fons. utroq; enim modo dicitur. Est autem hæc Cherronesus in Caria, cuius extrema Gnidus oppidum obtinet. Cæterum legendum Rhodiorum fons, non Chodiorum ex Plinio.
» Rhodiorum, inquit, fons in Cherroneso nono anno purgamen-
» ta egerit.

EX EODEM

Vt Circa Messenam & Inulas, fimum quidem Sylæ turbulente alis mare profert.) Vetus lectio æque depravata, tamen propior uero. Vt circa Messenem & Mylas fimum quidē sile turbulentum luis mare

profert. ut legendum esse arbitrer, ex Plinio hoc modo. Vt circa Messanam, & Mylas fimo quiddam simile turbulentum in litus mare profert. Plinius, quasi ista uerba Senecæ mutuatus, de hac eadem re sic scribit secundo uolumine Naturalis historiæ. Omnia, inquit, » plenilunio maria purgantur, quædam & stato tempore. circa Messa- » nam & Mylas fimo similia expuuntur in litus purgamenta. unde » fabula Solis boues ibi stabulari. Hinc Tauromenitanum litus à pleris- q; Græcis authoribus κοπρίαν dici animaduertimus, quasi sterquilinium recrementorum purgantis & exonerantis se maris. Vnde aliqui ex philosophis mare animal, aliqui simile animali dicunt. Quippe ut illa recrementa egerunt, uitalem q; spiritum assidua reciprocatione nunc efflant, nunc reuocant, sic etiam mare & purgat se, & uicissitudine perpetua in se, & ex se profertur & refertur. Alij crediderunt mundum ipsum esse animal, & commercia spiritalia, & quasi nareis quasdam in Oceano constitutas, fixas q; habere, per quas emissi anhelitus, uel reducti, modo efflent maria, modo reuocent. Sed uera ratio in syderibus est, & præsertim in Lunæ accremento, & decremento, ortu & obitu, quibus maxime alterni recursus maris respondent. Vnde scite, & eleganter aliqui Oceanum ipsum comitem Lunæ appellant. Mylæ & Messana Siciliæ oppida sunt. Apollonij interpres Mylas Siciliæ Cherronesum dicit esse, ubi Solis boues pascantur, stabulentur q;. Hermolaus credit, uel alios credere uult, hunc locum Senecæ a se restitutum esse, cum emendatis aliquod uerbis, astute illa, quæ emendare non potuit, omiserit.

EX EODEM

Sed difficilis ratio est quorundam, utiq; inibi tempus eius uel de qua quæritur inobseruatum, sed incertum est.) Vetus lectio rectior, & explicatior. Vtiq; inibi tempus eius ualde, quo purgatur, obseruatum, sed incertum est. hoc sensu. Difficilem esse rationem, & in secretis naturæ abditam, cur quædam maria stato tempore se purgent. In Sicilia siquidem ad Mylas & Messanam tempus, quo stercora egerun tur, diligenti cura obseruari, sed nullius curiositatem posse ad ueram rationem peruenire.

EX CAPITE XXVII.

Vt conceptus ad puerperium perducatur infans.) Vetus lectio Perduret infans. bona est uulgata. Item mox. Quantis laboribus tuetur, educatur.) Legunt aliqui Tenetur, educatur. Vetus tamen lectio Tenet educatur, quæ commodior est alijs. Item haud multo post. Et ex humido spissa caligo. Nunquam exicantibus uenis.) Vetus lectio.

Et ex

Et ex humido, ſpiſſáq; caligine nunquam exicantibus uenis, ita ut ad unam hæc clauſulam coniuncto tenore uerborum pertineant. Item. Quia Ilex & Quercus excutitur.) Vetus lectio Quæ Ilex eſt & Quercus, excutitur.

EX EODEM

Omne enim fundamentum in lubrico figitur.) Vetuſti codices Firmamentum, non Fundamentum, & forſitan rectius. Intelligit enim fulcimina & tibicines, quibus labefactarum domorum ruinoſa latera firmari ſolent. Item infra. Nouiſſime in materia magna gentium clarus.) Legendum ex uetuſtis codicibus In ruina magna gentium, non Materia. Et paulo poſt. Quæ fundamentis laborantibus adeſſe recæſſerunt.) Vetus lectio Laboribus non Laborantibus. ſed hæc quoq; nihilo probabilior, immo corruptior aliquanto. ſenſus enim exigit ut legamus. Quæ fundamentis laborantibus annulſa recæſſerunt.

EX EODEM

Et quod horrida ac terribilis.) Legendum, Et quidem horrida ac terribilis. eſt enim aggeratio quædam rei horrendæ. Nam ſi, Quod, legeris, ſuſpenſa manebit, ſine ullo exitu, ſententia. Item paulo infra.

Tunc uero actu fluminum, acceſſu & ſibi anguſtum) Diſtorta hæc, atq; ſine ulla conſequentia uerborum confuſio. Vetus lectio pro pius uero accedit. Tunc primum actum fluminum acceſſu. Legendum igitur. Tũc primum auctum fluminum acceſſu. Aliás enim mare fluminum acceſſionem non ſentire manifeſtum eſt, uel quia cuncta flumina in mare ſe exonerantia ſuperlabuntur, & uaſto patentiſſimoq; ſpatio, tum celeriter, tum ſenſum fallente ratione exhauriuntur, ut cyathus aquæ in patentem tabulam infuſus. Vel potius, quod maria rurſum per cuniculos, uenasq; terræ occultas in flumina colantur, Solis etiamnum radij multum exhauriunt.

EX EODEM

Et ditiſſimis quibusq;.) Lego Aeditiſſimis quibusq;, hoc eſt excelſiſſimis locis, montibusq; ædentibus ſe ſupra cætera, & oſtentantibus. Ita & paulo ante. In ea, inquit, excelſiſſima cum liberis, coniugibusq; fugêre. Item infra. Sicut illud pro magnitudine rei dixit.) Scribo Sic & illud. Item paulo poſt. Et ſpatiata ruunt.) Vetus lectio. Et ſpatioſa ruunt. Ouidiani codices rectius, Expatiata. hoc eſt ultra ſolitum & præſcriptum ſpatium licenter euagata. Et quod mox ſequitur.

Preßæq; labant ſub gurgite turres.)

Quanquam & uetera exemplaria Labant, Ouidiani tamen co-

dicęs Latent, non Labant, utrunq; patitur & sensus & cœrminis ratio. Item paulopost. Aut non eodē impetu pecus esse.) Legendū Pecus omne, non Esse, ita enim & uetusta & uulgata exemplaria habent, & sensus, qui apertissimus est, ut ita legatur, exigit. Legi autem debet cum interrogatione figurata, quæ non responsum, sed assensum requirat.

EX CAPITE XXVIII.

Magno impetu, magna ferienda sunt.) Aliqui legunt Finienda sunt. Vetera tamen exemplaria custodiunt uulgatam lectionem, uideturq; id adagij formam habere. Item infra. Et illic cœusam tantæ cladis accersiri.) Lego Illinc, hoc est à motu & auctu maris. Et paulo infra. Sed adhuc in damna prospectum est) Legendum ex uetustis codicibus Profectum est. Item infra. Deinde ubi litus his prohibitum est.) Lego Prolatum est. ut cum sequentibus conueniat.
» Et pelagus, inquit, in alieno constitit, prolato scilicet & promoto litore. Et quod mox sequitur. Cum minus procurrit æstus ex uno recæssu maris) Legendum. Communis. & Ex imo, non Ex uno.

EX EODEM

Quoniam quo terris fastigio ascenderet?) Legendum Quoniam æquo, sine interrogatione. Reddit enim rationem cur nihil aridum sit ab aquis, quoniam æstus freti æquo terris fastigio se attolleret, & altissima quæq; cacumina æquaret. Item haud multo infra. Et illud æquale terris est.) Lego At illud, ut sit aduersatiua particula. dicit mare planum quidem nobis, propter fallacem oculorum sensum, uideri, at illud figuram orbis absoluti, quemadmodum & terram, habere.

EX EODEM

Defluit ergo ubi Sol & æstus æquinoctialis, sub ipsum Lunæ Solisq; coitum omnibus alijs maior undauere.) Lectio confusissima, quam facit unius uerbi soluta compages, ac duorum interpollata forma. Legendum enim est Defluit ergo, ut solet æstus æquinoctialis sub ipsum Lunæ Solisq; ortum omnibus alijs maior undare. Aequinoctialem autem appellat æstum maris solitum, & quotidianum, quia senis semper horis, non uulgaribus, siue temporalibus, quas Græci καιρικὰς, sed æquinoctialibus, quas ἰσημερινὰς appel=
» lant, accedere & reciprocare solet. Plinius. Paribus interuallis re=
» ciproci, senisq; semper horis, non cuiusq; diei, aut noctis, aut lo=
» ci, sed æquinoctialibus. ideoq; inæquales uulgariū horarum spa=
» tio utcunq; plures in eas, aut diei, aut noctis illarū mensuræ cadunt,

& æquinoctio

& æquinoctio tantum pares ubiq; Vulgus breuissimum quenq; iuxta & longissimum diem, similiter & noctem in horas duodecim diuidebat, sic horæ inæquales semper erant, præterquam tempore æquinoctij, Sole Arietem, uel libram obtinente, quando nox æquatur diei. Sole autem Cancrum transeunte, sicut breuissimæ erant noctis, ita longissimæ diei horæ, quas æstuas & solstitiales appellant. Capricorno uero Solem gerente diei breuissimæ, noctis longissimæ, quæ brumales, uel hybernæ dicuntur. His itaq; horis æstus nunquam pares erant nisi æquinoctio. Illud quoq; hoc loco notare non alienum duxerim, Geographos, Reiq; rusticæ præceptores per horas uulgareis designare solitos regiones cœli, terrarumq; situm & positionem. Plinius libro XVII. ubi de transferendis

» seminarijs & ulmis serendis. Pleriq;, inquit, id demum cauent,
» ut plaga deputati cacuminis Meridiem spectet, ignari fissuris nimij
» uaporis opponi. Id quidem in horam diei quintam, uel octauam
» spectare maluerim. Hoc est, in regionem cœli, quæ est inter Meridiem & ortum Brumalem, idest inter Austrum & Vulturnum, atque adeo inter Austrum & Phœnicæ, siue Euronoton. Vel quæ est inter Meridiem & Occasum hybernum, hoc est inter Africum & Austrum, uel siquis subtilius id exigat, inter Austrum & » Libonoton. Idem libro tertio de Italia. Incedit per maria, inquit,
» cœli regione ad Meridiem quidem, sed siquis diligenti subtilitate id exigat, inter sextam horam, primamq; Brumalem. quod significat inter Meridiem & hybernum exortum, hoc est inter Notum & Eurum. Item libro sexto de Fortunatis insulis. Ab ijs. CCL. Mil. Pass. Fortunatas contra leuam Mauritaniæ in octauam horam Solis locari. hoc est inter Meridiem & hybernum Solis occasum, siue inter Notum & Libonoton. Fœde corruptus & diuulsus erat hic locus Plinij, nec ante nos, quod equidem sciam, a quoquam restitutus. Sic enim legebatur. Ab ijs CCL. Mil. Pass. Fortunatas contra leuam Mauritaniæ VIII. Mil. Pass. Oram Solis uocari. Ex quibus uerbis nullus unquam sensus extorqueri potest. nostra uero lectio, immo uetustissimorum codicum, hoc est ipsius Plinij clarissima est. quam confir-
» mant paulopost sequentia uerba. Iuba de Fortunatis, inquit, ita
» inquisiuit. Sub Meridiem positas esse prope Occasum, a Purpurarijs DCCXXV. Mil. Pass. Sicut CCL. supra Occasum nauigetur. dein per CCCCLXXV. Mil. Pass. Ortus petatur. Hac ratione Iubæ intelligimus ita quidem sub Meridie sitas

esse Fortunatas, ut CCXXV. Mil. Pass. propiores sint ab Occasu sextæ diei horæ, quàm Purpurariæ ab Ortu. Et totidẽ Mil. Pass. Purpurarias esse propiores quintæ, quàm Fortunatas septimæ. Et illas quidem à sexta, hoc est à Meridie, & ab ipso Austro CCCC-LXXV. Mil. P. ß. ad Ortũ remotas. has uero CCL. ad Occasum. Sitæ sunt ergo sub Meridie quidem, sed prope Occasum. In hæc nos excurrisse causa Plinij Legentes quæso boni consulãt. Sed iam illuc, unde digressi fuimus, redeamus. Aliud est genus horarum, quæ semper pares sunt, & quæq; uigesimam quartam partem diei naturalis complectitur, & in sexaginta momenta distribuitur. Hæ dicuntur æquinoctiales, & æquales, paresq;, quibus nunc passim ubiq; utimur. His æstus maris pares sunt, senis enim horis æquinoctialibus semper effluunt, senis rursum refluunt, unde æquinoctiales apposite dicuntur à Senecâ. Aestus uero maiores minoresue subeunt; pro ut illos elicit Solis, Lunæq; sydus, ad cuius arbitrium Oceanus, mariaq; exundant, ut superius ex philosophorum opinione retulimus.

EX EODEM

Deuoluitur per centena milia.) Ita distinguendum est, ut uerbum Deuoluitur cum antecedentibus iungatur. Per centena milia, initium sequentis clausulæ sit. Et paulopost. Vtrum sit deo uisum ordiri meliora.) Vetus lectio perfectior Alterutrum fit, cum deo uisum ordiri meliora. hoc sensu. Fieri alterutrum, hoc est uel eluuionem, uel conflagrationem, quoties deo placuit uetera aboleri, & noua, meliora q; oriri, ut diximus supra. Et quod mox sequitur. Ergo quaq; placuere res nouo mundo, sicut in nos semper mare emittitur desuper, ut feruor ignisq;, tum aliud genus exitij placuit.) Vetus lectio paulo corruptior, quæ tamen occasionem rectæ lectionis inueniendæ præbuit, hanc autem esse ex iam dictis arbitror. Ergo quandocunq; placuere res nouæ mundo, sic in nos mare emittitur, desuper ut feruor ignisq;, cum aliud genus exitij placuit.

EX CAPITE XXIX.

Berosus qui bellum interpretatus est.) Legendum Belum per simplex l. ut sit nomen uiri. Belus enim fuit rex Assyriorum, quem Iouis nomine dignantes, pro sanctissimo deo Assyrij colebant. Plinius libro sexto, ubi de Babylone. Durat adhuc ibi, inquit, Iouis Beli templum. Inuentor hic fuit syderalis scientiæ, quam deinde etiam editis uoluminibus celebrauit, quæ postea Berosus Græce interpretatus est doctissime. qui tantum enituit in Astrologia, ut ei, ob diuinas prædictiones, Athenienses publico in gymnasio statuam inaurarunt

rata lingua ſtatuerent. Quod autem ad Belum attinet, quia is primus in aſtra aditum oſtendit, ab eius nomine crediderim cœlum quoq; ipſum, atq; aſtrorum ætheris q; ambitum βηλὸν à multis prioribus Græcis dici. Item *paulo infra.* Magnæ potentiæ ſignaq; *in ipſa mutatione &c.)* Legendum *diſtincte, & ſeparatim.* Signa, *quæ in ipſa mutatione. &c.* Et *infra mox.* Et *iſtas ego per æperim cauſas.)* Vetus *lectio.* Reæperim, *hoc eſt admiſerim & approbauerim.* Neſcio *quo conſilio hæc lectio immutata eſt, cum & uulgata exemplaria habeant* Reæperim.

EX EODEM

Et *illa quæ in conflagratione noſtris placet.)* Vetus *lectio* Et *illa quæ in conflagratione numeris placet. ſed hæc aliquanto corruptior eſt.* Fuit *quando hæc uolumina* Senecæ *raptim tranſcurrens, nihil in hunc locum, tanquam planum & apertum offenderim.* Nuper *uero, cum horum caſtigandorum prouinciam ſuſcepiſſem, diligentius aliquantum, & attentius cuncta euoluens. neque primam tantum cutem, & ſententiarum ſpeciem, ſed ſanguinem quoq; ipſum, ac medullam uerborum introſpiciens, atq; eruens (quoniam medici officium eſt, non apparentia tantum uitia curare, ſed etiam quæ latent inuenire) impegi in hunc, tanquam in ſcopulum quendam, ubi mutum, diuq; magno cum labore, ac ſudore fruſtra luctatus, ſæpe cum deſperatione & pudore reiectus. puduit enim me, fateor, mei ingenij & induſtriæ circa locum pene planum tandiu fruſtra laborare. Quare rurſum, quaſi indignatione incitatus, reſumpta ſpe, locum repetens, atq; omnem (ut dici ſolet) lapidem mouens, uix tandem aditum exitumq; inueni, ſingula conferens cura ſcrupuloſiſſima.* Legendum *itaq; eſt.* Et *illa, quæ in conflatione noſtri placent.* Præterea *non,* Hoc *quoq; transferendum, ſed* Huc *quoq; transferenda, ſcribendum.* Hoc *modo.* Et *illa, quæ in conflatione noſtri placent, huc quoq; transferenda puto.* Senſus *autem eſt.* Illa *quoq;, quæ placent philoſophis, & præſertim naturalium peritis in prima origine, & conflatione hominis, huic mundanæ perniciei accommodanda, & conferenda eſſe.* Placet *autem philoſophis, qui fato omnia fieri uolunt, mentemq; hominis uoluntate libera ſpoliatam, neceſſitate inuicta deuincunt, in ipſo hominis primo conceptu, quamprimum formari, & fingi, conflariq; tenera membra incipiunt, ſtatui, decerniq; fati inuicta lege, atque cauſarum ſempiterna ſerie totam poſtfuturæ uitæ rationem. fortunarum præterea, euentuum, periculorum, & caſuum*

illius, qui conceptus est. Ita nihil per totum uitæ cursum accidere, nisi ex primo fati decreto, & ex causis antegressis. Simili ratione in ipsa mundi nascentis prima origine constitutum & decretum esse dicit Seneca, quid facere, quid pati debeat. non fortuitam itaq; esse eluuionem terrarum, sed à principio necessaria fatorum lege constitutam. Sed nolo pluribus in re confessa morari, euidentissimum est hanc esse ueram, nescio an etiam genuinam lectionem, uel ex sequentibus, & nisi quis conniueat, facile id uidere potest.

EX EODEM

Maximam tamen causam ad se mutandam terra ipsa præbebit.) Vetus lectio Mundandam, non Mutandam. & forsitan melius. Per diluuium siquidem, & conflagrationem terra ipsa mundatur & purgatur potius, quàm mutatur. neq; obstat quod sequitur. Quam diximus esse mutabilem, cum hoc modo per partes omnia elementa inuicem sint mutabilia. uerum hoc ut uolent legentes. nobis satis sit locum ipsum ostendisse.

EX EODEM

Ergo quandoq; erit terminus rebus humanis.) Legendum Ergo quandocunq;. Item. Nec superstit in deteriora magis.) Lego Magister, non Magis. nam & uetusti codices habent Præceptor. hoc sensu. Quando terminus humanis rebus uenerit, plus tunc aquæ fieri quàm unquam fuit, per quam ita totum humanum genus deleri, atq; elui, ut nullus ex illa flagitosa, & omnibus humanis diuinisq; sceleribus obruta & impiata gente superstit, qui nouam innoxiamq; plebem corrumpat, & in deteriora magistrum se præbeat. Hic quoq; requiro industriam emendatoris, qui loco uerbi Magister, Magis reposuit nullo sensu.

EX EODEM

Vide ergo ne terra non debeat minus.) Vetus lectio Vide ergo ut terra non debeat minus. Mutata & transposita uerba, sed idem est sensus, non tamen qui placere possit, aut quem requirimus, sed futilis, uagus, nec præcedentibus, nec sequentibus cohærens. Legendum ergo arbitror cum interrogatione figurata, hoc modo. Vnde ergo terra habeat, minus ut ualidioribus infirma succumbat? quasi dicat terræ nullas uires sufficere, quin tantæ uiolentiæ ingruentium undiq; aquarum uicta succumbat. Item haud multo infra.

Ambriaci & Cretici sinus.) Legendum ex Plinio, Strabone, Mela, item cæteris. Ambracij non Ambriaci. dictus autem sinus Ambracius ab Ambracia Epiri urbe. Et paulo infra. Ex ipsis ar-

tibus.) Lege Arabus.

EX CAPITE XXX.

Atq; non ſubito.) Legendum Ad quæ, ſeparatim. & ſupra, Vti quæ, non Vtiq; , ut ſint duæ partes orationis utrobiq;. Item paulo infra.

Cum in hunc habitum ex informi unitate deſcenderet.) Vetus lectio Diſceret, legẽdũ Diſcederet. Et paulo infra. Quid porro iſtinc, unde tantum tumultum uides? Metus eſt è mari , & magno ſpiritu erumpentibus fluuijs.) Legendum Quis porro iſtinc , unde tantum tumultum uides , metus eſt è mari , & magno impetu erumpentibus fluuijs? ut ſit continuus uerborum & ſententiæ curſus. Et quod mox ſequitur. Vbi humorem natura diſpoſuit.) Legendum cum interrogatione ne ſenſus titubet. Vbi non humorem natura diſpoſuit, ut undiq; nos, cum uoluiſſet, aggredi poſſet?

EX EODEM

Mentior niſi erumpentibus terræ humor occurrit.) Legendum, Eruentibus terram. hoc eſt effodientibus & egerentibus ex puteis, uel ex cuniculis, quos propter auaritiam, uel aliquam aliam cauſam in terram homines agunt, hãc lectionem & ſequẽtia confirmant. uulgata quoq; exemplaria rectam habent lectionem, quo magis mirari par eſt eius negligentiam, ne dicam temeritatem, qui recta, claraq;, & apertiſſima lectione repudiata, uerba adulterina, diſtorta, ac nullo pacto cohærentia inculcauit. Oculatus lector multa huiusmodi hic temere interpollata inuenire poteſt, quæ nos librario potius, quàm cuiquam alij imputamus.

EX EODEM

Adijce nunc quod inanes ſunt ex abdito lacus.) Lege Immanes ſunt in abdito lacus. Item paulo poſt. Multum fluminum per operta labentium.) Vetus lectio Per opaca. ſed nihil eſt immutandum. Item paulo infra. Et maiore hiatu ſoluet.) Antiqui codices Maiorem hiatum. bona tamen & uulgata. Item infra. Venter exoluit.) Vetuſta exemplaria. Exhaurit, quam lectionem & Eraſmus repoſuit. Et infra. Nihil enim tam uiolentum.) Rectior eſt uetus lectio Nihil eſt tam uiolentum. Et mox infra. Infeſtumq; retinentibus.) forte Renitentibus. quam lectionem ex notulis ueteris codicis deprehendo. Poteſt tamen & uulgata lectio tolerari.

EX EODEM

Quæ ſcindit circuitq;.) Vetus lectio Quæ ſcindit creuitq;, forte legendum Eruitq;. bene tamen et Circuit. Et paulo poſt. Sic momento ſe

redundantia pluribus locis maria committent.) Vetus lectio Sic momento redundantia maria se committent. neq; habent illa uerba, Pluribus locis, & haud scio an necessaria sint, præsertim cum atrocitatem rei, quam Seneca aggrauare uidetur, diminuant. Item *infra.* Extinctisq; pariter feris ui aquarum homines ingenia transirent.) Legendum In quarum, non Vi aquarum, & Transierant, non Transirent. hoc sensu. Extinctis feris, in quarum ingenia & mores homines scelestissimi descuerant, & degenerauerant à simplici, muti, & innocenti cultu. Et *infra.* Omne ex integro animal gloriabitur.) Legendum arbitror Generabitur, non Gloriabitur, tametsi omnia antiqua, recentiaq; exemplaria Gloriabitur tueantur. Item. Sed illis innocentia non durabit.) Legendum ex uetustis codicibus. Sed illis quoq; innocentia non durabit.

ANNOTATIONES FORTVNATI IN LIBRVM QVARTVM SENECAE.

EX PRAEFATIONE.

T subiici ne contumelia quidem possunt.) Vetus lectio Subigi. bona utraq;, & ferè eiusdem notæ. Item *infra.* Ea miseria quisq; patet, quam patitur.) Vetus lectio uidetur probior. Ea maxime quisq; patitur, quà patet. Hæc lectio bonum & sequentibus congruum sensum habet, quamuis subobscura sit. sensus autem uerborum talis uidetur esse. Iusto quodam fati iudicio quenq; ea maxime pati ab alijs, quibus ipse alios læsit. uerbi causa. Si quis uel lacerat, uel patitur apud se aliorum famam lacerari, accommodatq; facilem aureis conuitijs, quibus bonorum nomen incessitur, ipsius quoq; fama lacerabitur, & multis conuitijs exagitabitur, magno successu lacerantium, & exagitantiũ. ita iustissime pœnam in authores recidere, & ea maxime parte quenq; obnoxiũ calamitati esse, qua patuit ad Calamitatẽ aliorum, seq; facilem detrectatoribus præbuit. Qui enim uel audit, uel dicit quæ nult, quæ non nult, audiet. Sophocles, ut refert Plutarchus, hanc sententiam sic extulit.

» Φιλεῖ γὰρ γλῶσσαν ἐκχέας μάτην,
» Ἀκῶν ἀκούειν ὃυς ἑκὼν εἴπῃ λόγους. ideſt,
» Etenim solet, qui dicta temere iecerit,
» Audire nolens uerba, quæ dixit nolens.

Qua mensura alijs emensi fuerimus, eadem remetietur nobis. quod
» Christus apud Matthæũ sic testatur. ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθή-
» σεσθε. καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν. hoc est. In quo
iudicio iudicatis, in eo iudicabimini. Et qua mensura metimini alijs,
illa remetientur uobis. In authores itaq; pœna solet ferè semper de-
torqueri,

» Vt Phalaris tauro uiolenti membra Perilli
» Torruit, infelix imbuit author opus.
» Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
» Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuencum.

Perillus sæuior Phalaride tyranno suffragabatur sæuitiæ tyranni
tauro facto æreo, in quo homines inclusos igni subdito, mugitum imi-
taturos pollicebatur. & primus eum expertus cruciatum, in nulla
unquam re Phalaridis iustiore sæuitia. EX EADEM

Plaucus artifex ante Vileum maximus.) Vetus lectio Plancus artifex
ante Villeum maximus. Et paulo infra. Nec dissimulando blan
diendum.) Vetus lectio Ex dissimulato, ea forma, qua ex occulto, ex
composito. sed nihil muto. EX EADEM

Futuros multos in persona tua Plancos cogita.) Quanquam omnia tam
uetera, quàm recentia exemplaria In persona habeant, cum tamen
hoc uerbum sensus nullo modo patiatur, legendum censeo, non In
persona, sed In prouincia, hoc est in Sicilia, in qua Lucilius Iunior
tunc præfectus erat. In Sicilia itaq; dicit multos adulatores Planci
similes esse, quos omni diligentia cauere Luciliũ monet. Plutarchus
quoq; nihil intentius cauendum esse, quàm adulatores dicit, quoniã
nullum sit genus pernicios ius, quodq; in præcipitium festinatius agat.
» Cynicum Diogenem refert Stobæus solitum dicere κρεῖττον εἶναι εἰς
» κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ εἰς κόλακας. hoc est. Melius esse in coruos incide-
re, quàm in adulatores, quoniam illi tantum cadauera & mortici-
nia consectentur, ij etiam uiuos, bonosq; uiros laniatu pestifero ex-
carnificant. Illud autem quod in Sicilia multos Plancos dicit esse, non
caret ratione. nam sicut Cretenses, propter familiaria & domestica
mendacia, apud antiquos infamia pulsati sunt, ita Siculi, propter adu
lationem, proprium germanumq; uitium, semper maleaudierunt.
author Q. Curtius. EX EADEM

Et quidem sic, quemadmodum opponi amico solet. Quæ si impulit gra
ta, gratior est si effregit.) Legendum esse uidetur. Nec quidem sic,
quemadmodũ opponi amicæ solet, quæ si impulit grata est, gratior
si effregit. Nihil gratius amantibus, quàm proteruitas amicarum.

EX LIBRO

EX EADEM

Non incertam fidem iuris.) Lego ex uetustis codicibus, Ruris, cuius fides paulo minus incerta est, quàm fori. Nam spem agricolarum seges uanis eludit auenis, sæpe imber nocet, sæpe grando sata decutit, aut etiã proterit. rubigo quoq; maxima segetũ pestis, uinearumq; malum nullo minus noxium, consumit ruris fructus. Sæpe etiam ipsa rura usq; ad iniuriam sterilitatis exarescunt. Quid quod ipsa quoq; fertilitas suspecta est, luxuria procumbentibus satis.

EX EADEM

Et Apollonio. Picturæ.) Vetus lectio Et Apollonio pictæ. Legendũ ergo Et Apollonio pycta, hoc est pugile. Pyctas enim pugiles appellant multi antiqui scriptores, a Græcis usurpato uocabulo. Lampridius in
» Heliogabalo. Gladiatores, inquit, ante conuiuium pugnantes sibi, &
» pyctas frequẽter exhibuit. Et Pliniani uetustissimi codices libro. VII. ubi similitudinum ponuntur exempla, sic habent. Indubitatum exẽ=
» plũ est Nicæi nobilis pyctæ Byzantij geniti. nó Poëtæ, ut in uulgatis legitur exemplaribus. Nam et in Solini iam carie propter uetustatem semesis exemplaribus omnibus, qualia nos ad uiginti ferè diligenter
» contulimus, legitur, Vel in Byzantio nobili pugile. Et quod mox sequitur. Quamuis staturã habeas Thetisum recte compositi.) Locus corruptissimus, quem sine præsidio uetustissimorum codicum difficile est restituere. nam in istis, quos nunc habeo, codicibus omnibus æque deprauate legitur, præterquam, quod unus uetustissimus habet Thetisi in Threcæ cõpositi. Vnde legendũ arbitror Thetisi Threcæ incompositi. Threcæ enim, siue Threces dicebantur gladiatores a similitudine Parmularum Thraciarum, ut docet Festus.

EX EADEM

Hominem quidem non esse illo liberaliorem.) Vetus lectio, Illum, non Illo, sed legendum Vllum, ut sensus constet. Nam hoc quoq; ad artem Gnatonismi pertinet, ut suum quisq; regem in omnibus rebus alijs præferat. Item. Ita est mihi uilior, quo apertior est. Adulatio quo improbior &c.) Legendum, ut & superius annotauimus. Ita est mi Iunior, quo apertior est adulatio, quo improbior, & reliqua. iuncto sensu. Habent hanc lectionem & uetusta omnia & recentia ferè exẽplaria. quo minus ferenda est temeritas illius, quisquis sit, q ueram sinceramq; lectionem ita corruperat. Item paulo infra. Ab omni eum parte tentasse.) Legendum ex uetustis uulgatisq; codicibus, Tentasti. Et paulo post. Quod consecrari mallet, quàm conuerti.) Vetus lectio Conteri, forte rectior, hoc est frangi, molliri, & ab

illa seueritate, animíq; magnitudine deflectere.

EX EADEM

Frugalitatem laudare cœpit.) Vetus lectio cœpisti. sed recte legitur Cœpit, ut non ad Lucilium, sed ad Gallionem referatur. Sequitur enim, ut illos nec habere, nec damnare uideatur. Quanquam haud parum dubito, an tota hæc lectio conuulsa, & deprauata sit, ita omnia inepta, frigida & abrupta, nonnulla uero etiam dissona sunt. Primo, illa uerba Quæ sic à nobis, uel, ut alij Legunt, A uobis resiluit) quid referunt? frugalitatem ne? nihil profecto ineptius putidiusq;. sed procedat hoc. Verbum deinde, Illos, quo referendum? quod nullo pacto cum uerbo Nobis aut Vobis locum habere potest. Etiamnum alia, quæ sequuntur, nulla ratione cohærent. Legendum itaq; arbitror hoc modo. Quare sic à nobis resiluit? uti nos nec laudare nec damnare uideatur. Moderationem enim animi Gallionis laudat. Sensus autem est. Quare Gallio frater meus, cum eum laudaremus, eíq; adularemur, à nobis sic resiluit? hoc est, non probatis, uel reprobatis nostris de se laudibus, uerba sua ad frugalitatem laudandam transtulit. Respondet deinde Seneca. Vti nos, inquit, nec laudare nec damnare uideatur. quod argumentum temperati animi est.

EX EADEM

Nemo enim imputari sibi bonitatem publicam patitur.) Legendum ex uetustis, & etiam uulgatis codicibus. Nemo non imputari. sic paulo infra. Quas nemo non in sinum recipit. Et paulo ante. Vbi artem simulationemq; non redolet) Legendum ex uetustis codicibus. Vti artem simulationemq; non redoleat. Item infra. Quia paria facturus.) Vetus lectio Qui, non Quia. & mox, Dixeris, non Dixerit. Et paulo infra. Quanquam paupertas alias suaderet.) Lego. Alia suaderet. Item. Vbi præsens studij pretium est, ad gratuita carmina deflexi me.) Vetus lectio Deduxi me. bona utraq;.

EX EADEM

Non mihi inimicitia Gettuli grauis fidem eripuit.) Vetus lectio Nec mihi inimicitia Getulici Gaius fidem eripuit. Legendum ergo Getulici Caij. ut paulopost. Videbam apud Caium tormenta, uidebam igneis. Caius Caligula, fax humani generis, per adulationem Getulicus fuit dictus, ut refert Suetonius ex Plinio. Et quod sequitur. Infeliciter armatorum.) Commodius erit si Armati, non Armatorum legerimus.

EX LIBRO

EX EADEM

Periculis meis paratus ire in ea.) Vetus lectio Periculis meis maior, paratus ire in ea &c. Et paulopost. Vtrum satis esset me perire pro fide.) Satius legerim potius, quàm Satis. Item haud multo infra. Virgilianum illud excludi) Vetus quoq; lectio Excludi, sed depraua tum esse uerbum non est dubium. Forte legendum Excude. Item infra. Erimus unà, qua parte Optimi sumus.) Vetus lectio Meliores sumus. bona utraq; animo enim & meliores, & optimi sumus.

EX CAPITE I.

Cui danubium simulem habere naturam.) Vetus lectio Simulem natura. bona utraq; sed ueteris gratia maior.

EX CAPITE II.

Tantum usura, quantum siccitati annuæ sufficere possit.) Forte Hausura legendum, non Vsura. nam & uetusti codices Ausura. Item infra. Quare non cum poëta in ea re iocor, & illi Ouidium suum impingo.) Ita & uetusti codices. Lectionem tamen corruptam esse nulli dubium esse debet. uel Senecam lapsum memoria. quod ego non credo, sed potius seculum illud rude & in crassissimas tenebras prolapsum, quo omnes bonæ literæ obsoleuerant, nullũ nouisse poëtam præter Virgilium, & Ouidium. Quare putauisse hic Ouidiũ scribi debere, ubi uel Albium, uel Tibullum legebatur. Non enim Ouidij, sed Tibulli est hoc hemistichion. Is libro primo inter cætera de Nilo hæc scribit.

» Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
» Arida nec Pluuio supplicat herba Ioui.

Vnde hic quoq; Pluuio, non Pluuias legendum est, ut intelligamus Iouem ὄμβριον, siue ὑέτιον, cui apud Athenienses aram in monte Hymetto positam fuisse, iuxtaq; terræ simulachrum pluuiam ab eo suppliciter comprecantis, Pausaniæ credimus. Aegyptus uero nihil Ioui Pluuio, nihil imbribus, nihil cœlo se in alendis, augendisq; seminibus debere gloriatur. Nilum enim habet & colonum, & fœcunditatis parentem. hoc uno aquarum genere pinguescit.

EX EODEM

Ad hanc Nilus magnus magis, quàm uiolentus egressus. Aethiopiam harenasq;.) Legendum ex uetustis codicibus. Hanc Nilus magnus magis, quàm uiolentus, egressus Aethiopiam arenasq; &c. Nilus enim ex Aethiopia, in quam se diffuderat, egressus, collectis iam, & concordibus aquis Philas prælabitur, quæ distant DC Mil. Pass. à Nili fissura, quæ Deltã facit. Plinius quatuor Philas ponit, Seneca uidetur

unam

unam multitudinis numero. Et illud quod præcedit. Vrbem totam *complectitur.*) Legendum etiam refragantibus omnibus codicibus, Vrbs, *non* Vrbem. *hoc est, totam insulam, ideſt* Philas, *urbs eodem nomine complexa est. ut illud* Plinij, *ubi de insulis ante Asiam.* In
» Phœnico deinde mari est ante Ioppe Paria, *tota oppidum.* Philæ sunt *paulo supra* Cataractem Nili, *communis* Aethiopum & Aegyptiorum *habitatio. hæc templa* Aegyptiorum *habuit, ubi Accipitrem uice* Numinis *cultum accepimus.*

EX EODEM

At *ubi in scopulos cautius librauit, spumat.*) Legunt *aliqui* Cautiũ *non* Cautius, *& recte. nam neq; uetusti codices aliter. Præterea* Vibrauit, *non* Librauit. *ego uero ex uetustis* Intrauit. Plinius. *Postremo inclu-*
» *sus montibus, nec alibi torrentior. Et paulo infra.* Obtusis assidue *frangitur auribus.*) Legendũ Obtusis assiduo fragore *auribus.* Seneca
» *alibi.* At *mehercule ego istum fremitum non magis curo, quàm fluc-*
» *tum, aut deiectum aquæ.* Quamuis *audiam cuidam genti hanc*
» *unam fuisse causam urbem suam transferendi, quia fragorem* Nili
» *cadentis ferre non potuit.* Plinius *libro quinto.* Nouissimo Cataracte
» *inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed*
» *ruere.* Scribit Philostratus *libro sexto* De *uita* Apollonij, Nili uerticẽ *octo fermè stadijs ad* Cataractas *suspẽdi, aquarumq; eius inde ruen tium fragorem horrendum, & auditu intolerabilem esse, multosq; propius accedentes auditum amittere.* Cicero *in fragmento sexti* De
» Rep. Nec est *ullus hebetior sensus in uobis, sicut in illis, ubi* Nilus *ad*
» *illa, quæ catadduppa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus,*
» *ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sen-*
» *su audiendi caret.* Et *mox infra.* Et *ob hoc sedibus ad quietiora translati sunt.*) *Malim legere* Ad *quietiora translatis, alioqui illud uerbum,* Sedibus, *inane est.*

EX EODEM

Exiguo *ab hoc spatio terra diuiditur.*) Vetus lectio rectior, Petra, *non*
» Terra, *nam & paulo infra. Illa primum saxa auctum fluminis*
» *sentiunt. ita enim legendum est, non* Saxum, *neq;* Auctu. Et *quod mox sequitur.* Abacton Græci *uocant.*) Aliqui *legunt* Abactos. Vetus *autem & uulgata lectio* Abaton, *& recte quidem. nam hanc lectionem & uerba sequentia probant.* Nec *illam, inquit, ulli, nisi antistites colunt. Illa itaq; petra* ἄβατος *dicitur, quia non patet ad eam accessus prophanis, & hoc quidem propter* Nili *uenerandam maiestatem, qui* Aegyptijs *uice* Iouis *cultus est,* Iupiterq; Agyptius

appellatus. Pindarus Nilum Saturnium uocat, quasi & ipse, ut Iupiter, Saturni filius sit, & Iupiter æque nominetur.

EX EODEM

In hæc ora stirpem sacerdotes.) Lego Stipem, non Stirpem. Plinius libro octauo. Memphi est locus in Nilo, inquit, quem a figura uocant Phialam, omnibus annis ibi auream pateram, argenteamq; mergentes diebus, quos habent natales Apis. Solinus quoq; Apis natalem celebrari a Memphitibus iactu in Nilum pateræ tradit. Et mox infra. Ne in altitudinem excædat) Sensus postulat ut Latitudinem non Altitudinem legamus. Item infra. Et quod obliniat.) Videtur esse legendum Oblimat, hoc est illato limo saturat, & opplet. Cicero libro secundo De natura deorum. Nilus Aegyptum irrigat, & cum tota æstate obrutam, oppletamq; tenuerit, tum recedit, molliterq; & oblimatos agros ad serendum relinquit. Vnde Seruius grammaticus existimat dictum esse Nilum quasi νεὸν ἴλυν. hoc est nouum limum, quod oblimet, nouum lutum deuehens, singulis annis Aegyptum. Et paulo infra. Adeo nihil edit.) Vetus lectio Exedit, & rectius.

EX EODEM

Illato enim limo arenas saturat ac iungit.) Forte Legendum Inungit, hoc est pingues, fertiles q; facit. potest tamen & Iungit custodiri, hoc est rimosas hiantes q; astringit, & conglutinat. Et paulo ante. Nimumq; in eo sit.) Legendum, ut sensus constet, Minimum, non Nimium, Item infra. Cæterum belluas marinas uel magnitudine, uel noxa pares educat. Lego Marinis, dandi casu, non Marinas, ut uerbo Pares respondeat. Item. Et ad nauigandum loci continet.) Legendum ex uetustis Ad uagandum, hoc est, huc & illuc discurrendum. Neq; enim nauigant belluæ, sed uagantur. Et infra. Valde properantibus prælium.) Alij legunt Velut pro partibus, forsitan recte, neq; enim aliter habent uetusta exemplaria, ut intelligas Pro partibus, pro suis finibus & terminis. Crocodili enim pro Nilo, tanquam pro regno suo dimicant. Plinius libro VIII. Abigentes eos præda, ac uelut in suo tantum amne regnantes. &c. Ego aliquando existimaui esse legendum Velut præparantibus prælium, nunc autem uideo id non posse cohærere. Item. Et in aduersum emersi.) Vetus lectio Emissi. bona utraq;.

EX EODEM

Nec illos tincturæ generis, aut sanguinis proprietate separant.) Vetusta quoq; exemplaria nihil uariant. mendosum tamen hunc locum esse, & in labem tractum cui non apparet? Sed bene habet, quod facile,

facile, nulloq; negotio ex Plinio, Solinoq; *& item alijs restitui, et emendari potest.* Legendum *ergo hoc modo.* Nec illos Tentyritæ *generis, aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu & temeritate.* quam lectionem *& sequentia* Senecæ *uerba confirmant.* Nota est *historia solos* Tentyritas *dominari* Crocodilis, *ut* Psyllos, Marsosq; *serpentibus.* Plinius *libro.* XXVIII. In *insula, inquit,* Nili tentyri na
» *scentes tanto sunt* Crocodilis *terrori, ut uocem quoq; eorum fugiant.*
» Idem *libro.* VIII. *ubi de* Crocodilis. Quin *& gens hominum est*
» *huic belluæ aduersa in ipso* Nilo, *ab insula* Tentyri, *in qua habitat,*
» *appellata. mensura eorum parua, sed præsentia animi in hoc tan-*
» *tum usu mira.* Quæ *uerba* Plinij *maxime cũ illis* Senecæ *consonant, ubi ait* Tentyritas *non generis, aut sanguinis proprietate superare* Crocodilos, *sed animi præsentia, & temeritate in hac tantũ re præ-*
» *cipua.* Faciunt *ad hoc & uerba* Solini. Præterea *habitant, inquit, in*
» *insula* Nili *homines forma perexigui, sed audacia eousq; præditi, ut*
» Crocodilis *se offerant obuios.* Incolæ *autem huius* Insulæ Tentyritæ *apud* Strabonem *appellantur. quos dicit præter cæteros* Aegyptios *mirum in modum* Crocodilos *persequi, atq; ex omnibus belluis inimicissimos habere.* Cæteros *enim* Aegyptios, *quanquam eius animalis malitiam nouerint, & humano generi perniciosum sciant, uenerari tamen, & ab eo abstinere.* Tentyritas *uero omnibus modis id inuestigare atq; occidere.* Non *deesse præterea qui existiment, quemadmodum* Psyllis *apud* Cyrenaicam *regionem contra serpentes, sic &* Tentyritis *naturale quoddã uirus inesse contra* Crocodilos. Hinc *ab eis nihil pati, nihil timere, sed intrepide natare et aquã tranare, alijs minime id audentibus.* Addit *itẽ ultra.* Cum Crocodili *causa spectaculi* Romam *allati fuissent,* Tentyritas *cum eis uenisse,* Crocodilisq; *factum fuisse euripum in modum piscinæ, & in uno latere euripi egressum facilem, ut in apricum ex aqua egredi possent ad præbendum spectaculum.* Tentyritas *uero præstò fuisse, qui eos etiam inuitos nunc extraherent ad Solem in conspectum spectatorriũ, nunc rursum in aquam retraherent magno spectantium miraculo.* Atque *adeo ipsa* Strabonis *uerba, si cui legere li-*
» *bet, ex* XVII. Geographiæ *libro subijciam.* μετὰ δὲ τὴν ἄβυδον διόσπολις ἡ μικρά. εἶτα τέντυρα πόλις. ἐνταῦθα δὲ διαφερόντως
» παρὰ τὰς ἄλλους αἰγυπτίους ὁ κροκόδειλος ἀτίμωται. καὶ ἔχθιστος τῶν
» ἁπάντων θηρίων νενόμισαι. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι κατὰ χώραν εἰδότες τὴν κτησίαν
» τὰ ζῶα, καὶ ὡς ὀλέθριος τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει σέβονται ὅμως καὶ ἀπέ-
» χονται. οὗτοι δὲ πάντα πρόπαν ἀνιχνεύουσι, καὶ διαφθείρουσιν αὐτούς. ἔνιοι

» δ' ὥς πρὸς τοὺς ψύλλους πρὸς τὴν νυρηναίκα, φυσικήν τινα ἀντιπάθειαν ἔχειν
» πρὸς τὰ ἑρπετά, οὕτως καὶ τοὺς τεντυρίτας πρὸς τοὺς κροκοδείλους. ὥστε
» μηδὲν ὑπ' αὐτῶν πάσχειν. ἀμαὶ καὶ πολυμβᾶν ἀδεῶς, καὶ διαπρᾶν, μηδενὸς
» ἄλλου θαρροῦντος. εἶς τε πλὴν ῥώμην νομισθεῖσι τοῖς κροκοδείλοις ἐπὶ δεξιᾶς
» ὡς χάριν, σωνηπολούθουσι οἱ τεντυρίται. γενομένης τε δεξαμενῆς καὶ πή-
» μαρος τινὸς ὑπὲρ μιᾶς τῶν πλευρῶν. ὥστε καὶ τοῖς θηρίοις ἐμβᾶσι τὸ ὕ-
» δατος ἡλιαστήριον εἶναι. ἐκεῖνοι ὅσαν οἱ κότε μὲν ἐξέλκοντος δι' ὑπτίου πρὸς
» τὸ ἡλιαστήριον, ὡς καὶ ὑπὸ τῶν θεατῶν ὁραθῆναι. ἐμβαίνοντος ἅμα εἰς τὸ ὕ=
» δωρ. κότε δὲ πάλιν εἰς πλὴν δεξαμενὴν κατασωῶντος. De Tentyritis & Hermolaus in Plinianis castigationibus, et Iuuenalis in ea Satyra, quæ est de pudẽdis portentosisq; Aegyptiorũ Numinibus. Quoniam autẽ hic de Delphinis quoq; fit mentio, nõ alienũ fortassis erit, neq; ingratum lectionis Plinianæ studiosis, si in eo de Delphinis locum, iam inde à multis seculis deprauatum, & ad hanc diem à nemine, quod sciã, emendatum, aut intellectum (legentes quæso boni consulant) restituero ex uetustissimis probatæ fidei codicibus. Libro nono Naturalis historiæ de Delphinis sic legitur in uulgatis codi-
» cibus. Nanq; cũ fame conciti fugientem in uada ima ꝑsecuti piscem,
» diutius spiritum continuere, ut arcu emissi ad respirandũ emicent,
» tantaq; ui exiliunt, ut plerunq; uela nauium transuolent uento. Agunt uere coniugia &c. Alij loco uerbi, Vento, legunt Euntium, alij Iuncti, ut ad sequentia pertineat, hoc modo. Iuncti agunt uere coniugia. Non displiceret hæc lectio, si modo uera esset, neq; sibi dissideret. Quomodo.n. fieri potest, si uere agũt, siue iũcti, siue diuisi coniugia, et decẽ mensibus catulos gestant, ut æstiuo tẽpore pariant? Numera à Martio, q facit Veris initiũ. uel, si mauis, à Februario decẽ menses, partus Delphinorũ in Decembrem, uel saltem Nouembrem incidat, necesse est. Quo pacto igitur æstiuo tẽpore pariunt? Nec possumus dicere in hoc aliqd erratum esse, nam & Aristoteles libro. VI.
» De historia animalium, ubi de partu Delphinorum. κύει δὲ δέκα
» μῆνας. τίκτει δ' ὁ δελφὶς ἐν τῷ θέρει. ἐν ἄλλῃ δὲ ὥρᾳ οὐδεμιᾷ. Fert, inquit, uterum Delphinus decem mensibus. Parit autem æstate, nec ullo alio tempore. Vides hanc lectionem nullo modo defendi, aut tolerari posse. Euntium uero, & si uolueris, potes addere Vento, ad præcedentem quidem sensum pertinet, sed ineptum facit. Quid enim interest stantium, an euntium uento, uel remis nauium uela transuolent? Aristoteles libro. IX. historiæ animalium, maiorum etiam nauigiorũ transilire malos dicit cuius uerba de Delphinis hæc sunt.
» λέγεται δὲ καὶ περὶ τὰχυτῆτος ἄπιστα τοῦ ζώου. ἁπάντων γὰρ δοκεῖ εἶναι

ζώων

» ζώων τάχιστον καὶ τῶν ἐνύδρων, καὶ τῶν χερσαίων. καὶ ὑπεράλλονται δὲ
» πλοίων μεγάλων ἱστούς. hoc eſt, dicuntur autem & incredibilia de ue
locitate huius animalis. Omnium enim apparet eſſe animalium ue-
lociſſimum & aquatilium et terreſtrium Tranſiliunt quidem etiam
maiorum nauigiorum malos. Et paulopoſt καὶ ὑπερβάλλονται τοὺς
ἱστούς, ἐὰν παρατύχωσι τῶν πλοίων. ideſt tranſgrediuntur etiam ma
los nauiũ, ſi forte in eas inciderint. Sed hoc nihil adiuuat, nam et ſi
nauium maiorum legamus, adhuc de coniugijs manebit idem error.
Vetus autem lectio omnibus numeris ſibi conſonat, et conſpirat, quæ
talis eſt. Vt plerunq; uela nauium tranſuolent. Vagantur ferè coni-
uges. Hoc eſt, coniugati & copulati, ut Coniuges ſit nomen adie-
ctiuum, quemadmodum iniuges, biiuges, et cætera his ſimilia. Plinius
» libro octauo de Aſpidibus. Coniuga fermè uagantur, nec niſi cum com
» pareuitæ eſt. Idem libro nono de piſcium diuerſitate. Vagantur gre-
» gatim ferè. Apud Solinũ, qui omnia ferè, quæ ſcribit, ex Plinio ma-
gna ingratitudine accepit, integer ſincerusq; manſit hic de Delphinis
» locus. Ante omnia, inquit, nihil uelocius habẽt maria, ut plerunq; ſa
» lientes tranſuolent uela nauium. Quocunq; eant coniuges euagan-
» tur, catulos edunt, decimus menſis maturum facit partum, Lucinam
» æſtiuus dies ſoluit &c. In uetuſtiſſimis aliquot Solini codicibus legi-
tur Quoquo eant coniuges euagantur. quæ lectio mire conuenit cum
Pliniana antiqua. Ariſtoteles quoq; libro nono De hiſtoria animaliũ,
unde Plinius hæc accepit, διαῤῥίβουσι δὲ μετ' ἀλλήλων κατὰ συζυγίας
οἱ δελφῖνες τὰς θηλείας. Theodorus hoc ita interpretatus eſt. Delphini
mares coniugatim degunt cũ fœminis. Plinius uero more ſolito felici
breuitate duobus uerbis hãc Ariſtotelis ſententiã expreſſit. Vagãtur,
inquit, ferè coniuges. Illud enim διαῤῥίβουσι, uerbo Vagantur magis
proprie, quàm uerbo Degunt exprimitur. Quæ uerba Ariſtotelis
ita noſtram confirmant æſtimationem, ut nulla ſupereſſe amplius
debeat dubitatio. Ex uerbis Ariſtotelis credo datam fuiſſe aliquibus
occaſionem Plinium corrumpendi, & inculcandi inepte, & ſuperua-
canee illud uerbum Iuncti (quod gloſſema uerbi Coniuges, aliquan-
do fuiſſe arbitror) Ceu uero non omnium animantium iuncta, co-
pulataq; ſint coniugia. Præterea etiam loco uerbi Vere, ut euitarent
errorem, qui ex tempore ſequebatur, legunt Vera, hoc modo. Iuncti
agunt uera coniugia. Quæ lectio falſa, inepta, et ad libidinẽ ficta eſt,
indignaq; Plinio, quam reprobare ſatis poterant uel Solini codices.

EX EODEM

Non deſcendiſſe decimo regni anno, & undecimo conſtat.) Vetus lectio

» Non aſcendiſſe. ita & paulo infra. Per nouem annos non aſcendiſſe
» Nilum ſuperioribus ſeculis. hoc eſt non inundaſſe, neq; in agros mo
re ſolito diffuſum fuiſſe. Nam cum iuſtum ſit incrementum eius cu-
bitorum XVI. illo biennio contractior, et exilior, non ultra quinq;
cubitos aſcenderat. Inundatione itaq; ſolita, ideſt ubertate fraudata
Aegyptus fruſtra tunc nubila optauit, cœlumq; reſpexit. Plinius li-
» bro V. de auctu Nili. Maximum incrementum ad hoc æui fuit
» Cubitorũ XVIII. Claudio principe. Minimum V. Pharſalico bello.
Ita enim legendum eſt, non Minimumq;, ut perperam in omnibus
uulgatis Plinij codicibus legitur. EX EODEM

In eadem opinione omnis uetuſtas fuit.) Codices antiqui Vetuſta ætas. bo
na utraq;, & paulo infra, loco uerbi Tradebant, ueteres codices ha-
bent Tractabant, ego malim legere Credebãt. Item infra. Nullũ
materiæ ſuperadornatæ manet operimẽtũ.) Vetus Superadoratæ. nõ
facile dixerim utra ſit rectior. inclinat animus, ut utrãq; depraua tã
credã. Niſi Seuo, uel Sepo adornatæ legere uelimus. Itẽ infra. Ale
xandria quoq; longe ab huiusmodi immodicis cæloribus eſt poſita.
Niues nõ cadunt ſuperiora pluuia carent.) Vetuſta quoq; exẽplaria
propè eodẽ modo habent, ſed mihi hæc lectio tota diſtorta uidetur.
Neq; enim ſibi conuenit, nec quicq̃ ad argumentum facit, quo niues
in Aethiopiæ montibus non eſſe probaret. Quare, ut ſingula cohæ
reant, & ſequentia præcedentibus reſpondeant, legendũ eſſe cenſeo
hoc modo. Alexandriæ quoq;, quæ longe ab huiuſmodi immodicis cæ
loribus poſita eſt, niues non cadunt, ſuperiora etiam pluuia carent.
Ita hoc argumentum efficax erit. EX EODEM

Quemadmodũ ergo regio tantis ſubiecta feruoribus duraturas p̃ totam
æſtatẽ niueis recepit.) Legendũ ex uetuſtis Quomodo ergo. itẽ Reci-
pit? cũ interrogatione, nõ Recepit. Et qd̃ mox ſequitur. Quas ſane
aliqui montes illic quoq; excipiant? Legendũ eſt ſine interrogatione.
hæc. n. uerba non interrogantis, ſed admittentis ſunt. Interrogatio
autem debet poni mox poſt uerbum Recipit, ut diximus. Item mox.
Nunq̃ magis Alpes, quàm Thraciæ iuga.) Scribendũ ex antiquis
codicibus Nunq̃ tamen magis, quàm Alpes, quàm Thraciæ iuga. hoc
ſenſu. Et ſi aliqui montes in Aethiopia excipiant niueis, non tamen
maiores excipiũt, quàm Alpes, & quàm Thraciæ iuga. Item paulo
infra. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Cayſtrus.) Vetus lectio
Nec Iſter, nec Cayſtrus. Quamuis Cayſter frequentius proferant
authores in er, quàm in us, Senecam tamen credo propter uitandum
ὁμοιοτέλευτον Cayſtrus, non Cayſter protuliſſe.

Ex eodem

EX EODEM

Aeſtate proueniunt, & illis altiſſimæ in ſeptentrionalibus iugis niues ſunt. Phaſis quoq; per Indiæ campos oras tenens creſceret, ſi niues flumina poſſent contra æſtatẽ magna producere.) Vetus lectio æſtate. Sunt & illis altiſſimæ in ſeptentrionalibus iugiter niues. Phaſis quoq; p Indiæ tempus, & oris tenus creſceret, ſi niues flumina poſſent contra æſtatem magna producere. Harum lectionũ utra ſit, non dixo rectior, ſed corruptior, & portentoſior, difficile eſt diſcernere, ita fœde omnia uerba, partim mutata, partim luxata, & (ut ita dicam) delũbata, partim autẽ ſuo loco, & ordine mota ſunt. Ego, ſi quis coniecturæ locus eſt, legendũ ita cenſeo, ut illud uerbũ Aeſtate, ad præcedentẽ clauſulã ptineat, hoc modo. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Iſter, nec Cayſtrus ſubiacent malo æſtate. Cætera uero ſic. Altiſſimæ ſunt & in illis ſeptentrionalibus iugis niues, Phaſis quoq; per id tempus, eas oras tenens, creſceret, ſi niues, & reliqua. Quid ſi legatur? Altiſſimæ ſunt et in ſeptentrionalibus iugiter niues. uel, Iugesq; niues. Dicit enim paulo infra parteis ſeptentrionaleis ſemper hybernas eſſe. Virgilius de Scythia.

» Illic cluſa tenent ſtabulis armenta, neq; ullæ
» Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes,
» Sed iacet aggeribus niuẽis informis, & alto
» Terra gelu late, ſeptemq; aſſurgit in ulnas.
» Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

Phaſis Colchorum fluuius eſt in Moſchis ortum habens. hũc Ariſtoteles ex Caucaſo monte profundi dicit. Verbũ autem Proueniũt, tanq; inane, remouendũ cenſuimus, credo gloſſema illius uerbi Sunt, fuiſſe, ab aliquo ignaro appoſitum. EX EODEM

Præterea, ſi hæc eadẽ attollerent Nilũ.) Legendũ Hæc cauſa attolleret Nilum. Et infra. Eteſiæ deſcendentes Nilo reſiſtunt.) Lego ex uetuſtis codicibus Deſcedenti Nilo. Confirmat hanc lectionem quod mox ſequitur. Et curſus eius actus contra hoſtia maris ſuſtinet.) Lego Et curſus eius, acto contra oſtia mari, ſuſtinent. nã et uulgati codices Acto, nõ Actus. Plinius libro quinto de Nili incremento. Cauſas huius incrementi uarias prodidere, ſed maxime probabileis Etſiarũ,
» eo tempore ex aduerſo flantium, repercuſſu ultro in ora acto mari.
» Aut Eteſiæ per ea tempora flantes, inquit Mela, uenienti obuij, ad-
» uerſo ſpiritu curſum deſcendentis impediunt, aut arenis, quas cum
» fluctibus litori applicant, oſtia obducunt. Seneca quoq; paulopoſt.
» Tunc enim eijcitur mare inſtantibus uentis.

EX LIBRO

EX EODEM

Et quocunq; mox potuit incontextus erumpit.) Vetus lectio purior. Et quacunq; mox potuit, inconcessus erũpit. hoc est. quamuis includeretur, & cogeretur oppositis aggeribus, & chomatis intra alueum fluere, ne excedens regionem laceraret, ipse tamen, cum se non capit, ruptis molibus, per scissuras & diacopos aggerum errumpit. Plinius libro X. tradit Hirundines continuatione nidorum molem inexpugnabilem Nilo euaganti opponere. Item paulo infra. Inde Nilus fluit maior.) Vetus lectio Vbi Nilus fluit maior. Item. Cum resederint in pelagus, conquiescit.) Legendum Cum resederint, & pelagus conquiescit. hoc est. cum Etesiæ posuerint, & flare desierint, tunc & pelagus conquiescit, nec, fluctibus in ora Nili actis, cursum descendentis remoratur. Item Descendenti, non Discedenti legendum.

EX EODEM

Præterea non sit quo illi fauere uehementius.) Lego Præterea non sit maior, quò illi fauere uehementius? quam lectionem uerba sequentia probant. Nam si Etesiarum flatus causa est inundationum Nili, consequens esset, quò illi uehementiores flarent, eò maiora aquarũ fieri incrementa. Item. Quid quod Etesiæ litus uerberant.) Vetus lectio Litus Aegypti uerberant. Item infra. Nunc turbidus uenit.) Antiqua lectio Non, ut nũc, turbidus ueniret. Itẽ mox. Adde quod testimonium eius.) Vetus lectio Age quod testimonium eius. bona est utraq;. Itẽ paulo post. Cum ignota essent externa.) Vetusti codices addunt Litora, et recte. Et infra. Nunc uero tota extremi maris ora.) Vetusti codices nõ Extremi, sed Exteri, forte uerius.

EX EODEM

Quorum nemo narrat Mintum, Nilum, aut mare saporis alterius, quàm natura credi uetat.) Vetus lectio Quorum nemo narrat nũc Zeum Nili, aut mare saporis alterius, quod & natura credi uetat. Corrupta utraq;. Legendum ex præcedentibus crediderim. Quorum nemo narrat nunc cœruleum Nilum, aut mare saporis alterius, quod & natura credi uetat. nam superius dixerat. Præterea ex mari purus & cœruleus effllueret. Item paulo ante. Cæterum dulcis mari sapor est. Emendatori uero huic familiare est Mintum inculcare, ubi aliud non potest. Et paulo infra. Præterea quare hyeme nõ crescunt.) Lego Crescit, ut Nilum intelligas. Item infra. Semel populet Aegyptum.) Vetus lectio non Populet, sed Oppleret. & recte.

EX EODEM

Genopidechius ait.) Legendũ Oenopides Chius. Huius & apud Plinium fit mentio.

fit mentio. Item. *Sed in alijs terris augent imbribus flumina.*) Lego Augentur. Item *infra.* *Quod si uerũ esset, æstate abundaret.*) Vetus lectio integrior. *Quod si uerũ esset, æstate flumina crescerent, omnesq; putei æstate abundarent.* Item *mox.* *Déinde calorem hyeme sub terris esse maiorem.*) Vetus lectio *Déinde non calorem hyeme &c. & recte. refutat enim opinionem Oenopidis Chij. Sunt autem multi philosophi cum Oenopide, qui dicunt magnã uim terræ cauernis contineri caloris, eamq; hyeme esse densiorem, ob eamq; causam calorem insitum terris contineri arctius.* Item. *Ex eadem causa æstate frigidant.*) Vetus lectio rectior. Refrigent. Item. *Hunc & siccata tellus ex mari ducit, & ex cæteris aquis.*) Verior, elegantiorq; est uetus lectio, *Hunc exiccata tellus, tum ex mari ducit, tum ex cæteris aquis.*

EX EODEM

Sunt enim perforata omnia, & itinere peruia.) Lego *Inuicem peruia.* *Diximus superius capite XIX. Tertij, aquas in terra quibusdam foraminibus inter se confluere. Terram siquidem ipsam esse porosam, & uenis quibusdam, atq; foraminibus humori peruiam, argumento sunt cuniculi stillantes, & quasi sudorem quendam emittentes. Nisi quis dicat ex aëre incluso, & frigore illas guttas fieri, eadem ratione, qua supra terram aër uaporosus in aquam frigore cogitur. sed flumina quæ absorbentur, rursus alijs locis redduntur, citra omnem dubitationem, & calumniam aperte declarant terram anfractibus, & cauernis subhiare.*

EX EODEM

Ergo unde Sol trahit?) Vetus lectio *Ergo undas Sol trahit, absq; iterrogatione.* Item *mox.* *Sed ex his quæ premunt, maxime hæc remedia sunt.*) Vetus lectio Meridiana, *non* Remedia, *& recte. Præterea legendum* Premuntur, *non* Premunt. *hoc est excoquuntur, & torrentur propinquioribus, & directis ac ferè perpendicularibus radijs*
» *Solis. sequitur enim paulo post. Sic aqua illò incumbit, quò uis caloris, & terræ æstuantis arcessit.* Item *infra.* *Vnde ergo trahitur.*) Vetus lectio Trahit. utraq; recta, eiusdemq; sententiæ.

EX EODEM

Quod cuiq; superest, emuneret.) Vetus lectio sincerior Emitteretur. hoc sensu. Nisi Pontus semper in unam partem, hoc est in Meridiem flueret, nunq̃ reciprocis aquis, redundantiaq; humoris, ac luxuria, quæ Septemtrionalibus regionibus superest, hoc Ponti fluxu emitteretur, & humectaret æstuantes terræ Meridionalis partes, iam et Meridionalia omnia exiccata fuissent, & Septemtrionalia inundassent. Pontum autem semper in Propontidẽ & Aegeũ, dehinc in alia me-

diterranea maria exæſtuare, nec unq̃ inde aquas reuocare docet
» Ariſtoteles primo Meteoron. Plinius libro II. Et Pontus ſemper ex=
» tra meat in Propontidem, introrſus in Pontũ nunq̃ refluo mari. Idẽ
» libro IIII. ubi de Ponti inſulis. Non eſt, inquit, omittenda multorum
» opinio prius, quàm digrediamur à Ponto, q̃ omnia maria interiora
» illo capite naſci, non Gaditano Freto exiſtimauere, haud improbabili
» argumento, quoniam æſtus ſemper è Ponto profluens, nunquam re-
» ciprocetur ad eundem. EX EODEM

Interrogare Diogenem libet, quaſi cõpertus animus cuncta & inuicem commeat.) Vetus lectio Commeent, in cæteris ne uno quidẽ apiculo à uulgata diſſentit, quo` magis temerariũ erit hic coniectura piclitari q̃d legendũ ſit. nã hæc omnia immutata & mendoſa eſſe euidentius eſt, quàm ut aliquis dubitare poſſit. Nos tamen, q̃ nulla ambitione, ſed utilitatis cõmunis cauſa hunc laborẽ ſuſcepimus, nõ recuſabimus uel graue iudiciũ ſubire. tantũ quæſo meminerint legentes, nos nihil, niſi iuuandi gratia bonas literas quantũ in nobis eſt, facere, & ut hoc noſtro qualicunq; labore, legentiũ labor, et tædiũ diminueretur, laborare. Legendũ ergo tum ex ſuperioribus, tum ex inferioribus arbitror hoc modo. Interrogare Diogené libet, quare, cum Pontus & amnes cuncti inuicem commeent, nõ omnibus locis æſtate maiora ſunt flumina? Senſus apertior eſt, quàm ut uel exẽpli, uel declarationis indigeat. Iudiciũ uero legentiũ, ut toties præfati ſumus, ſicut in alijs, ita in hoc quoq; integrũ ſit uolo, ac liberũ.

EX EODEM

Dẽinde, quia illa pars terræ ſine humore eſt, omnis ad ſe ex alijs regionibus trahit, eoq; magis humidior, quo` cælidior eſt.) Vetus lectio Dẽinde, quare ulla pars terræ ſine humore eſt, cũ omnis ad ſe ex alijs regionibus trahat, eoq; magis, quo` cælidior eſt? Illud autem uerbũ Humidior, ſuperuacaneũ eſt, & ſine cauſa appoſitũ fuit. non. n. dicit terrã quo cælidior ſit, eo` humidiorẽ eſſe, ſed eo` magis humorẽ attrahere. EX CAPITE III.

Inter nullos magis, quàm inter philoſophos eſſe debet æqualitas.) Vetus lectio forſitan rectior. Cũ inter nullos magis, quàm inter philoſophos eſſe debet æqua libertas. EX EODEM

Et quomodo cœpi tibi moleſtus eſſe.) Cómodior, puriorq; eſt uetus lectio. Et quoniã cœpi. Item infra. Me uſq; ad mendacia hæc leuiora.) Lege Qui me uſq; ad mendacia. Item non Præſcidi, ſed Præcidi. Martialis II. Epigrammaton.
» Os tibi præciſum, quanto non ipſe Latinus

» Vilia Panniculi percutit ora sono.

Quod ultra notam significationé, aliam obscœnã habet, ut πόπτω
» apud Græcos, ut in Batrachis Aristophanis καὶ πόπτιτ' ἐγκεκυφώς.
Illud.n.uerbũ πόπτεται, ut etiam interpres Aristophanis admonuit,
κρεμφάτως pronuntiatur. Ab hoc uerbi significatu dicũtur Præcisi,
» muliẽbria patientes. Seneca. Quid porrò, nõ est iniquũ fortes arma
» sumere, & in castris proctare, & pro uallo obligatis stare uulneri-
» bus, interim in urbe securos esse præcisos, et professos impudentiã?
Et paulo infra. Aquilone flante & suũ cœlũ habente.) Vetus le-
ctio Et suum diẽ habente. potest utraq; sustineri, omnes enim uentos
uicibus spirare Plinius est author. ita suos flatus cuiq;, suasq; uices cer
to tempore redire. Quid si hic, non Suũ, sed Sudũ cœlũ legeremus?
Aglonis.n. confessa potestas est nubes abigẽdi, cœlũq; serenãdi, unde
et sudificus apposite dicatur à poëtis. propterea et ab Homero βορέης
αἰθριογενέτης, hoc est serenificus, seu sudificus Boreas dicitur. Neq; il-
lud obstabit, quod sequitur. Minutæ pluuiæ sunt, cũ etiam sudo, hoc
est, ut Nonius uult, semudo cœlo, possint alibi minutæ pluuiæ esse.

EX CAPITE V.

Quid.n. mali est, aliquid & faciliori iudici scribere.) Ita habẽt omnia
etiã uetusta exẽplaria, nullo tamen recto sensu. Nos Iudicio, nò Iudici
scribẽdũ arbitramur, sensus autẽ erit. Nihil esse mali, neq; uitio uerti
debere, si scribũtur aliqua ab authoribus nò adhibito acri iudicio.
Nam quis potest omnia argumenta ad amussim, et ad unguẽ excogi-
tare. quod si ab authoribus durius exigeretur, pauci admodũ, hac
difficultate territi, scriberent. His autẽ uerbis Seneca Latinis autho
ribus, q aliqd operæ leuioris scripserũt, patrocinatur. Vide quantã
faciat confusionẽ unius literulæ detrimentũ. Hanc nostrã lectionem
» confirmant etiã uerba sequentia authoris. Pauca.n. admodum sunt,
inqt, sine aduersario. Itẽ infra. Si uolueris uerũ exqrere.) uetus
lectio Experiri. bona utraq;. EX EODEM

Et hoc intelligere usu ipso potuere.) Scribe Potuisse. Et paulo infra. Pu
blicæ præpositos χαλαξοφύλακας.) Scribendũ χαλαζοφύλακας per ζ.
non per ξ. χάλαζα enim grando dicitur Græcis, nò χάλαξα. Et pau-
lo post. Aut ad scoreas.) Vetus lectio Scorta. forte legendũ Storeas,
hoc est tegetes, seu mattas, quæ ex ulua, siue scirpo, aut sparto fiunt.
Mihi non displiceret tueri authoritatem & fidẽ ueteris lectionis, cũ
Scorta, hoc est duriora & crassiora animalium coria, uestium im-
pluuiarum usum præbeant. EX EODEM

Immo pro se quisq; alius agnũ immolabat, alius pullũ.) forte rectius

legeretur. Immo pro se quisq; album agnum immolabat, aut pullũ, ut ostenderet illam antiquam sacrificandi consuetudinem, de qua est illud Virgilij.

» Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Vt pullũ, hoc est nigrũ, agnũ intelligeremus immolari consueuisse ad repellendã, et amoliendã grandinem, tempestatem q;. Albũ uero ad propitiandos quietioris aëris diuos. Sed cũ omnia uetusta exẽplaria, quæ qdem nos uiderimus, uulgatã lectionem custodiant, nihil mutare ausim. satis sit nõ insalutatũ hunc locũ præteriisse, nã id incuriosum uidebatur. Itẽ illud quod mox sequitur. Siquis nec agnũ pullũ habebat.) Vetus lectio Siquis nec agnũ, nec pullũ habebat, ego malim legere, si superiorẽ, cuius admonui, lectionẽ admitteremus, Si quis nec albũ, nec pullũ habebat. sed nec hic qdẽ innouandũ quicq, cũ tolerari possit uetus lectio. piculũ siquidem est, ne pro alienis natiua reijciamus, ut olim uir quidam Thracius insipiens, & ruris colendi insolens, fructiferas arbores, uiteis q; pro rubis detruncauit, et excîdit. Ego magis hæc, ne præterirẽ, quam quod probarẽ, retuli.

EX CAPITE VII.

Alteri suspicari ipsos aiũt.) Legendũ Se, nõ Ipsos. Itẽ infra. At Cleone iudicia reddebãt in illos.) Vetus lectio At Cleone iudicia in illos uertebant. Scribẽdũ ergo cẽseo Animaduertebãt. Item paulo post. Et attrahi imbres cantibus.) Vetus lectio Nubeis nõ Imbreis. sed hoc nõ in magno ponendũ discrimine.

EX CAPITE VIII.

Hanc. n. plus habere caloris ex quatuor causis.) Lego ex uetustis codicibus. Tribus, non Quatuor. nã neq; ipse plureis recẽset. De istis libro secundo abunde multa. Certũ est contra istorum rationem nubeis, pluuias, imbreis, niueis, grandines, pruinas, et rores illic concipi, ubi replicati a terra radij desinunt. Itẽ infra. Et in se currũt.) Lege Recurrunt.

EX CAPITE IX.

Sequitur, ut quemadmodum minora balnearia, & minora foramina citius calefiunt.) Vetus lectio sincerior, Et minora milliaria. cuius loco uerbi, Foramina, ut inculcaretur, eo errore factum existimo, quod pauloante dixerat Necesse est minora foramina esse. Milliariũ autẽ, et plurali numero milliaria, nõ tantũ spatiũ mille passuũ significat, sed etiã uas æneũ magnũ, multarũ mẽsurarũ capax, unde et nomen. ad balnearũ usum maxime aptũ. Seneca supra tertio uolumine

» capite XXIIII. Facere solemus dracones, milliaria, et cõplureis formas. Hoc genus uasis ὑπολείβυς Græcis dicitur. Milliariũ dicebatur etiã colũna aurea in capite fori Romani, in qua uiæ terminabantur,

ut docet Plinius *libro tertio, cui & Milliariæ porticus dicuntur à mille passuum spatio arbitror, uel à columnarum, quibus suspensæ pendent, numero. & Milliariæ Oleæ, à pondere olei, quod ferant annuo prouentu.* EX CAPITE X.

Ita in aëre spississima quæq; descendunt.) *Vetus lectio desidunt. Et paulo post. Sed editior aër quo longius à terrarũ colluuie recessit.*) *Vetus lectio forte purior est. Sed quo ædition est aër, & quo longius. &c. Bona tamen est & illa, idem enim manet sensus, nisi quod uetus elegantior, honestioŕq; est.* EX CAPITE XI.

Vt illorũ magnitudo sentire solis uiciniam possit.) *Vetus lectio Magnitudines. & Possint multitudinis numero. sed frequentior est in singulari usus. Et paulo infra. Ad æqualitatem ducta, hanc autem accipe.*) *Vetus lectio sincerior, Aequalitatem autem hanc accipe. Inepte enim, et sine causa apposita fuerunt illa duo uerba, Ad æqualitatem ducta, cum prius dixerit, Cum æqualitate quadam rotunditas. Item mox infra. Non multum illi commissuræ rimarũ nocent.*) *Vetusta & uulgata exemplaria, Non multum illi commissuræ, & rimæ earum nocent, & forte rectius. bona tamen & illa. Et quod mox sequitur. Nihil illa interualla officiunt.*) *Vetus lectio Vllanõ Illa, recte tamen utrunq;.* EX EODEM

Quia Solem propius excipiat.) *Vetus lectio Respicit. nihil muto. Item haud multo post. Sed sic, quo modo est pilus pilo grossior.*) *Legendum crassior, ne Senecam barbarum, & parum Latine loquentem faciamus. ut enim crassus Latine, ita grossus barbare, & non Latine in hoc significatu dicitur. Nam grossos Ficorum nouimus, quos Græci ὀλωώδους, & ἐπιπῶς ὀλωῶδον uocant. Nam & apud Latinos contra grammaticorum opinionem, inuenitur in singulari inflexum, ut apud Plinium & Macrobiũ. Et quod mox sequitur. Isto enim modo & arbor, & alia magis, quàm alia, dicentur uicina cœlo.*) *Vetus lectio Et alia magis, quàm alia terra dicetur uicina cœlo. Item paulo infra. Quia etiam si magno discrimine, tamen minima uincuntur.*) *Vetus lectio Quia & sine magno discrimine, tamen minima uincuntur. mihi neutra satis facit. ita nescio quo pacto à sensu ipso utraq; aliena uidetur, si quis introspexerit, quamuis primo aspectu blandiantur, fallant́q; parum diligenter intuentes. Quomodo enim, uel à quo ista, seu cum discrimine, seu sine discrimine uincuntur, si nihil interest quanto alterum altero sit maius? neq; intelligere possumus ab immenso totius uniuersi corpore ista uinci, id enim ineptum esset, nec quicquam argumentum authoris adiuuaret.*

nam collatione uniuerſi uel maxima inter ſe diſcrimina abſumuntur, et ferè nulla ſunt. Videtur ergo eſſe legẽdũ, Quia etiã ſi magno diſcrimine tamen minima iudicantur, uel, minima uidẽtur. hoc ſenſu, etiam quæ magnum diſcrimen inter ſe comparata habent, minima collatione totius uniuerſi uidentur.

EX CAPITE XII.

Nam uicinus aër plus habet frigoris, quàm ut in aquam, & imbrem tranſeat, & minus, quàm ut duretur in grandinem. hic medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis aquis.) Vetus lectio *Nam uicinus aër & plus habet frigoris, quàm ut in aquam & imbrem tranſeat, & minus, quàm ut duretur in grandinem, hoc medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis aquis.*

EX CAPITE XIII.

Iubes me cũ luxuria litigare Ha ha.) *Illã notã cachinni uel potius indignationis uetuſti codices nõ habẽt, neq; uidetur neceſſaria, aut digna graui philoſopho. Itẽ paulo ante. Quare emendæ nõ ſint niues.)* Vetus lectio *Quomodo, nõ Quare. Itẽ infra. Hanc ipſam inſpectionẽ.)* Addendũ ex uetuſtis exẽplaribus *Quid porro? hanc ipſam inſpectionẽ naturæ &c. Item infra. Vbi ebrietas continua uiſceribus inſedit, & præcordiale, in quod uertitur, torret)* Scribendum *Et præcordia Bile, in quã uertitur, torret. Bilis enim, ut ſcholæ medicorum docent, ex intemperanti & redundanti uictu, peſſimiq; ſanguinis purgatione colligitur, & præſertim Atra bilis, quã Græci μελαγχολίαν uocant, ex fecibus, & ex ſordibus coit. hæc inimica uitæ, cognataq; ſenio, & morti dicitur. Medici, & rerum naturæ periti, ut mundum quatuor elementis, ita hominem quatuor humoribus conſtare aſſerunt, Sanguine, Pituita, & utraq; Bile, Flaua ſcilicet & Atra. Sanguinem aëri, aquæ Pituitam, Flauam bilem igni, terræ uero illam quæ Atra bilis dicitur aſſimulari. Conueniréq; horum qualitates, quas Græci ποιότητας appellant. Sanguinem eſſe humidum & calidum, Pituitam frigidam & humidam, calidam uero aridamq; Bilem flauam, Atram autem ſiccam & frigidam. Sanguinis originem eſſe ex corde, ex cerebro Pituitæ, Flauæ bili ex iecore, et Atræ ex ſplene. Item infra. Nam ſicut animo relictos, ſtupentesq; aqua frigida ſpargimus.)* Vetus lectio *Frigida ſpargimus, ſimpliciter, non Aqua frigida. & certe honeſtior elegantiorq; eſt oratio ſi ſine Aqua legeris. multa enim cum maiore gratia intelliguntur,* » *quàm dicuntur, quale eſt illud Gelidæ calidæq; miniſter. Et mox infra. Ita uiſcera iſtorũ intus torpentia.)* Vetuſti codices Vitijs tor-

pentia. Et quod mox sequitur. Nisi *frigore illa uehementiore perusseris.*) Antiqua lectio Perfuderis, *bona tamen, & forte melior illa prior, ut* Penetrabile *frigus adurit.*

EX EODEM

Et *annonam pro pudore uariam.*) Vetus lectio Pro pudor. Item *paulo infra.* Cuius *calorem saporemq;.*) Forte rectius Colorem, *quàm* Calorem, *ut sit χρόαν, non καῦμα.* Item *infra.* Et raptim *indumento suo mersatos.*) Legendum uidetur In condimento *suo mersatos.* Boleti *inter opimos cibos habebantur, sed immenso exemplo in crimen adducti, ueneno Claudio principi per hanc occasionem à coniuge* Agrippina *dato, eius enim cibi auidissimus fuisse fertur.* Martialis.

» Dic mihi quis furor est, turba spectante uocata,
» Solus boletos Ceciliane uoras?
» Quid dignum tanto uentriq;, gulæq; precabor?
» Boletum, qualem Claudius edit, edas. Seneca *alibi* Boletos *uoluptuariũ uenenum appellat.* Item *mox infra.* Videbis, *inquã, quosdam graciles, & palliolo focaliq; circundatos.*) Vetus lectio Gracili palliolo, *focaliq; circundatos.* Fabius Quintilianus. Pallio*lum, sicut fascias, quibus crura uestiuntur, et focalia, & auriũ ligamenta sola excusare potest ualetudo.*) Et *quod mox sequitur.* Non *sorbentes solum niuem, sed etiam esse.*) Legendũ, *ut uerba sibi respondeant,* Sorbere, *non* Sorbentes, *quia sequitur* Esse, *hoc est man*dere *et comesse.* Plinius *libro* XIX. Hi *niues, illi glaciẽ potant.* Item *mox infra.* Inter *ipsam bibendi moram.*) Legendum *uidetur ex uetustis codicibus ad perfectionem sensus,* Ne *inter ipsam bibendi moram tepescant.*

EX EODEM

Nec *in cutem effuso calore deprehenditur.*) Vetus lectio Colore, *non Calore, potest defendi utraq;. febres enim & colore ægri, & calore deprehendũtur, sed quoniam dixit* Effuso, *quod colori magis conuenit, placet recentior lectio.* Et *infra.* Itaq; *nix ista, in qua etiam iam natatis, eò peruenit usu ad quotidianam stomachi seruitutem*) Vetus le*ctio & integrior & honestior.* Nix *inquam ista eò assiduitate peruenit, usu, & quotidiana stomachi seruitute.* Potest *etiam hoc modo ex utraq; legi.* Itaq; *nix ista, in qua etiamnum natatis, eò peruenit usu, & quotidiana stomachi seruitute. nam illud,* Etiam iam, *agreste, rude, & insuaue est, & quod aures nix patiuntur.*

ANNOTATIONES FORTVNATI IN LIBRVM QVINTVM SENECAE.

EX CAPITE PRIMO.

Vidam ita diffinierunt, Ventus est aër fluēs in unam partem) Vetus lectio Ventus est aër agitatus in unā partem, bona est utraq;, tamen paulopost hanc definitionem repetens, Fluens non Agitatus dicit quæ definitio uidetur accepta ex libro De mūdo Aristote
q
» lis, ubi uentū sic definit. ἄνεμος ὀυδέν γάρ ἐστι, πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων
» καὶ ἄθρόος. Secundo autem Meteoron dicit Ventum esse copiā siccarū
» ex terra aspirationum, quæ circa terram feruntur. ἐπεὶ δ' ὅδιν ἄνε-
» μος, inquit, πλῆθός τι τῆς ἐνῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως κινούμενον περὶ
» γῆν. Et paulo infra. Et duci, tranquillum est. &c.) Vetus lectio Et dici tranquillum, quia nec huc, nec illò impetum capiat, potest stare utraq;. Item infra. Ergo parum diligenter comprehendit, quod uult, qui dixit.) Lege Comprehendet, quod uult, qui dixerit, & paulo post Cauerit, & Fuerit, non autem Cauit, & Fuit.

EX CAPITE II.

Et diu fluctuata, ac dubia.) Vetus lectio Fluctuantia, sed nihil interest. Item mox infra. Nec arietare possunt nec impelli.) Vetus lectio forte probior Nec arctari possunt, nec impelli.

EX CAPITE III.

Et inde est spissior nubium grauitas.) Vetusti codices Et inde stipsatarum nubium grauitas est. Item mox infra. Artatis, conuunctisq; corporibus.) Antiqua lectio Congestisq; corporibus. sed hæc nó sunt ponenda in magno discrimine.

EX CAPITE IIII.

Quæ merserat, immutatio ipsa alicuius misti in uentum uertitur.) Vetus lectio probior. Quæ emiserat, mutatio ipsa halitus misti in uentum uertitur. Nam & Aristoteles uentos, qui flant in aëre, ex sicca terræ aspiratione impulsa frigore fieri dicit. Ventus enim est, inquit, siccarum ex terra aspirationum copia. Item paulopost. Quæ non sine magna iniuria emittitur.) Addendum Nariū ex uetustis codicibus, qui sic habent, Quæ non sine magna nariū iniuria emittitur. Item mox infra. Bene nobiscum agitur, quod semper excoquit.) Magis proprie dixeris, ut habent uetusta exemplaria, Concoquit, hoc est digerit, & consumit omnia alimenta, quibus nutritur. facete autem, & satis iocose irridet hanc opinionem.

Ex capite

EX CAPITE V.

Quin ego hanc solam esse causam uenti existimo.) Legendum ex uetustis uulgatisq; codicibus. Quid ergo? item Existimas, non Existimo. Est enim interrogatio ex opposito, non opinio authoris. cum paulopost di
» cat. Ego uero & hanc iudico, cæterum illa est longe uerior causa,
» ualentiorq;. Item infra. Cumq; densa steterint.) Legendum separatim. Cum quæ densa steterunt. Item scribo In ampliorem locum, non Inter ampliorem. Et paulopost. Aëra autem relictum & inertem & inagitabilem esse.) Vetus lectio eadem habet uerba, sed compositus ordinata. hoc modo. Aëra autem inertem & inagitabilem relictum esse.

EX CAPITE VI.

Animalia igne aliquando generari.) Vetus lectio Generătur. forte conuenientius. Gignitur autẽ ex igni in Cypri ærarijs fornacibus animal maioris muscæ magnitudinis. pennatum, quadrupes, appellatur Pyralis, à quibusdam Pyrotus, ut docet Plinius libro XI. Naturalis historiæ. Item. Aliquando per seipsum solum causa uenti est.) Vetus lectio Aliquando per se ipse Sol causa uenti est. Hanc lectionem confirmant ea quæ dicuntur infra nono, & octauo capite. Adijcit
» autem ei, inquit, stimulos ortus Solis feriens gelidum aëra. unde hic quoq; legere malim, Findens, uel Fundens rigentem aëra. Plinius li-
» bro II. Ventos, uel potius flatus posse & arido, siccoq; anhelitu
» terræ gigni non negauerim, posse & aquis aëra expirantibus, qui
» neq; in nebulă densetur, nec crassescat in nubes, posse & Solis im-
» pulsu agi. quoniă uentus non aliud intelligatur, quàm fluctus aëris.
» Aristoteles II. Meteoron. ὁ δ' ἥλιος, καὶ παύει, καὶ συνεξορμᾷ τὰ πνεύ=
ματα. ideſt. Sol autem & sedat flatus, & concitat. Plinius uero hæc
» uerba Aristotelis sic Latine extulit. Sol & auget & comprimit flatus. Syderalis scientiæ periti dicunt Solem excitare uentos ab Oriente, Iouem à Septentrione, ab Occasu Lunam, Martem à Meridie.

EX CAPITE VII.

Nunc iterum incipiemus illos excutere.) Legendum ex uetustis exemplaribus. Nũc uiritim incipiemus illos describere, hoc est singillatim, & unumquenq; per se. Prius enim summatim locutus de omnibus, nunc uero singillatim de singulis. Verbum Excutere, potest tueri quisquam. Item paulo infra. Nec fertur ultra terrarum conspectum.) Vetera exẽplaria. Nec fert ultra terrarũ aspectum, forte rectius.

EX CAPITE VIII.

Quomodo ergo talis flatus concipitur, quem Græci ἀνοπίαν uocant.) ἀνοπίαν idem ferè esse quod ἀνολίαν nouimus, sed ita uocari

aliquem flatum, uel uẽtum nuſq̃, nec apud Græcos, nec apud Latinos legimus, nec credo reperiri apud quenq̃. Legendũ ergo ex Ariſtotele arbitror ἐμπολπίαν, ſeu Enœlpiã, hoc eſt ex ſinibus flantem. Nã & uetuſti codices Euxolphiam parum corrupto & immutato nomine.

» Ariſtoteles libro, qui De mundo inſcribitur, τῶν δ' ἀνέμων οἱ μὲν ἐκ
» γενομένης γῆς πνέοντες, ἀπόγαιοι λέγονται. οἱ δὲ ἐκ πόλπων διεξάπτον-
» τες, ἐμπολπίαι. τούτοις δὲ ἀνάλογόντι ἔχουσιν οἱ ἐκ ποταμῶν καὶ λιμνῶν.
» οἱ δὲ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι, καὶ ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς
» πνεύμενοι, ἐκπνευρίαι καλοῦνται. μεθ' ὕδατος δὲ ἐκφερόμενος ἀθρόως, ἐξυ-
» δρίαι λέγονται. Venti q ex humida terra ſpirant Apogæi dicuntur, qui ex ſinibus Enœlpiæ, qui uero ex fluuijs & paludibus proflant, Enœlpijs proportione, & quaſi cognatione quadam reſpondent. At qui ſaſſa, concerptáq; nube erumpunt, & diſcuſſam craſſitudinem in ſe ipſos contorquent, Ecnephiæ uocantur, ut Exhydriæ, q ex aqua repente dirupta inferuntur. Plinius uidetur Enœlpias Altanos Latine appellare, quaſi ex alto ſpirantes. Apogæi autem dicuntur A terranei, quando a' terra conſurgentes in mare pergunt. cum uero e' mari in terram redeunt Tropei, quaſi uerſarij appellantur. Sed ipſa uerba Plinij cum fide de his ſubijciam, ut aperiatur in eo er-

» ror ex dictis Ariſtotelis & Senecæ. Quoniam uentus, inquit, non
» aliud intelligatur, quàm fluctus aëris. pluribuśq; etiam modis,
» nanq; & e' fluminibus, & e' ſinibus, & e' mari uidemus equi-
» dem tranquillo alios, quos uocant Altanos, & e' terra conſurgere.
» qui quidem cum e' mari redeunt, Tropei uocantur, ſi pergunt Apogæi. Male erat diſtincta Pliniana lectio, & loco uerbi Sinibus, perperam legebatur Niuibus. Ariſtoteles Apogæos dicit Aquilonij generis eſſe. Ventos ternos a' quatuor mundi partibus mitti authores tradunt. Ab oriente Solſtitiali καικίαν, qui Latinum nomen non habet, ab oriente Aequinoctiali ἀπηλιώτην, ab ortu Brumali εὖρον, hic Vulturnus, ille Subſolanus nobis dicitur. Ex aduerſo, ab occaſu Solſtitiali ſpirat ἀργέſτης, ab occaſu Aequinoctiali ζέφυρος, ab occidẽte Brumali λίψ. Primus Caurus, ſecundus Fauonius, tertius Africus Latinis dicitur. A' Septentrionibus autem poſt Caurũ βραχονίαν, qui apud Latinos ſine nomine eſt. dein a' uertice ἀπαρκτίαν, poſt hunc βορέαν. hunc Aquilonẽ, illũ Septentrionem appellamus. Contrarij a' Meridie, poſt Vulturnũ ἀφρόνοτος, poſt hunc νότος, deinde inter liba & Notum, ideſt inter Auſtrum & Africum λιβόνοτος, qui & Libophœnix dicitur. Notus Auſter Latine nominatur, Euronotus & Libonotus nondum Toga donati ſunt.

Ex eodem

EX EODEM

Nocte exhauritur montibus incluſum, & in unam regionem colligitur.) Vetus lectio rectior. Nocte non exhauritur, ſed montibus incluſum in unam regionem colligitur. Item infra. Vbi plurimum uacui eſt, & magna, & patens aëra.) Vetus lectio Et magno potens aëre. ſed rectius legeretur Et magna ac patens area. Et paulopoſt. Iam tantum lacęſſit & irritat.) Lege Iam tamen lacęſſit. Et mox infra. Cum ipſe præceſſit.) Malim legere Procęſſit. Et quod mox ſequitur. Alia ſuperius rapiuntur, alia finiuntur tepore.) Vetus lectio Alia diffunduntur terræ. forte Diffunduntur in terra, ut ſit oppoſitum illius, quod dixit. Alia ſuperius rapiuntur. Item. Ideo non ultra matutinum illis datur fluere.) forte legendum Flare, non Fluere. flatus qui ex fluminibus, ſimbus, paludibus, & conuallibus feruntur, prima fere aurora ſpirant, & ante Solis ortum reſidunt, hinc & Antelucani appellantur. etiam pertinacius, & ualentius flantes ante Meridiem langueſcunt. EX CAPITE IX.

Quia uer aquoſius eſt, & plurimis locis, ob humidam cœli naturam ſaturis, et redũdantibus maior euaporatio eſt.) Vetuſti codices Quia Vere aër aquoſus eſt, et ex pluribus aquis, locisq; ob humidam cœli naturã. &c. quæ lectio ſincerior uidetur, tametſi nõ mala ſit et uulgata. Item mox infra. Quia poſt occaſum Solis remanet diuturnus calor.) Scribẽdum Diurnus calor. Item haud multo poſt. Illa quoq; nubila & triſti luce calefiunt.) Nebula ſcribendum, non Nubila, ut ſit ſextus, uel ſeptimus ſingularis caſus, non nominatiuus pluralis.

EX EODEM

Et ideo, ut quibuſdam uidetur, inde flatus eſt, unde Sol.) Vetus lectio purior eſſe uidetur. Et ideo quibuſdam uidetur inde flatus eſſe, unde Sol eſt, bona eſt tamen & uulgata. Item paulopoſt. Et contra ortum plenis uentis nauigatur.) Legendum Velis, non Ventis. Seneca
» hoc ipſo capite. Nec qui uela impleant. Plinius. Et quamuis plena
» præterit uela. Ventum proſperum, ſecundum, & ferentem, uelaq; implentem Homerus πλοῆσιον uocat, ut diximus.

EX CAPITE X.

Nec minus propoſitum adiuuant.) Quanquam omnia uetera quoq; exemplaria Minus habeant, ipſe tamen ſenſus exigit, ut Nimis legatur. Ait enim paulo infra, Quare Eteſiæ illos non adiuuent, nec quicquam huic conferant cauſæ. EX CAPITE XII.

Dicimus ante lucem auram incitari, tandem ſubſidere, cum illam Sol attigit.) Legendum ex præcedentibus, & ex netuſtis codicibus Diamus

autem luce auram incitari, eandem ſubſidere, cum illam Sol tangit. Et *quod mox ſequitur.* At *quia Eteſiæ.*) Lege Atqui Eteſiæ. Item. *Quod non accideret, ſi ut auras, ita illos Sol commoueret.*) Vetuſti codices Cõminueret, *non* Commoueret, *ſed forte* Cõmoueret *rectius.*

EX CAPITE XII.

Hos Græci uentos ætnæphas uocant.) Scribendum Ecnephias. Plinius. » Repentini, inquit, flatus maiore illati pondere, incurſuq;, ſi late ſicæam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ uocatur à Græcis Ecnephias. Sin uero depreſſo ſinu arctius rotati effregerint ſine igne, hoc eſt ſine fulmine, uorticem faciunt, qui Typhon uocatur. ideſt uibratus Ecnephias. Defert hic ſecum aliqd abreptum è nube gelida conuoluens, uerſansq;, & reliqua. Ariſtoteles De mundo ut paulo ante retulimus, τῶν δ' ἀνέμων οἱ μὲν κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι, καὶ ἀνάλυσιν τῆς πάχους πρὸς ἑαυτοὺς ποιούμενοι, ἐπιπρίαι καλοῦνται, idem III. Meteo. ἐὰν δ' ἀθρόον πνεῦμα καὶ πυκνότερον, ἧττον δ' ἐπιρθῆ λεπτὸν, ἐπιπρίας ἄνεμος γίνεται. Idem paulo poſt. Vortex, inquit, efficitur cum ſpiritus procelloſus è nube craſſa, propter denſitatem, erumpere non poteſt, quæ luctatio circumagit, rotatq; nubem, & in terram defert, mouetq;, & torquet concitata uertigine. atq; id planè quod percellit proſtratum in cœlum refert, ſorbetq; in excelſum. Cum autem idem ſpiritus incluſus craſſæ nubis coriũ aliquo impetu ruperit, fit procella Ecnephias. Cũ uero idẽ ſpiritus effracta nube erũpens ignẽ cõceperit, Turbo accenſus dicitur, quem Præſtera uocant. Item pauloante. Et *in pronum ſolutæ præmittunt.*) Forte legendum Emittunt.

EX EODEM

Et *in modum tibiæ anguſta.*) Vetus lectio Diducta, *non* Anguſta. poteſt tamen utraq; tolerari. Item *infra.* Hic *fere breuis ſtatus eſt.*) Legendum Flatus, *non* Status. Item *paulopoſt.* Sicut *torrentes modicæ ualetudinis eunt, quãdiu ſeparatis ſuus curſus eſt.*) Vetus lectio Sicut *torrentes modicæ magnitudinis eunt, quãdiu ſeparatus eorum curſus eſt. bona utraq;, ſed recentior magis placet.* Item *infra.* Idem *credibile eſt fieri & in procellis, ut ſint breues, quãdiu ſingulæ ſunt.*) Vetus lectio Ideo *credibile eſt, ut ſpiritus, quãdiu ſinguli ſunt, breues ſint.* Idem *ſenſus eſt utriusq;.* Nos *autem ueterem adſcripſimus, non ut eam probandam cenſeremus, ſed ut eius copia fieret arbitraturis.* Item *paulopoſt.* Et *impetus illis accedit & mora.*) *forte* Motus, *non* Mora *legendum.*

EX CAPITE XIII.

Modo ipſa arietatio.) Vetus lectio Agitatio. *bona utraq;.* Ité *paulo ante.* Nonnunqnam conglobationem illam ſpiritus rumpit, nonnunq; incluſi,

incluſi,& inexitum nitentis luctatio.) Illud uerbum Nonnunquam, *ſecundo loco poſitum, delendum eſt,& ſic coniuncto ſenſu legendum.* Nonnunquam *conglobationem illam rumpit ſpiritus incluſi, & in exitum nitentis luctatio.* Item. Qui euenire in *flumnibus ſolet.*) Legendum *ita, ut illud uerbum* Qui, *in principio poſitum expungatur, ne obſtrepat ſenſui.* Et *paulo infra.* Ita ut circumlata *inter ſe ſorbeantur.*) Legendum Ita ut circumlatæ *in ſe ſorbeantur.* Item *infra.* Sed fere omnia *periculà.*) Legendum *ex uetuſtis codicibus.* Hi fere omnia *periculà. ut* Preſteras *intelligas, hoc eſt* Turbines *ac-*
» *cenſos,& non accenſos.* Plinius *libro* II. Quod *ſi maiore depreſſæ*
» *nubis eruperit ſpecu, ſed minus lato, quàm procella, nec ſine fragore,*
» Turbinem *uocant, proxima quæq; proſternentem.* Idem *ardentior*
» *accenſuſq; dum fuerit,* Preſter *uocatur, amburens contacta pariter,*
» *& proterens.* Eſt etiam πρηστὴρ χθόνιος. *hoc eſt* Preſter terreſtris. Ari*ſtoteli, quod* ἀναφύσημα *uocat, cum ſpiritus ex terræ hiatibus exploſus, maiore ui ſe circumagit, & contorquet.* Quid *ſi legeremus in* Seneca, *non* Hi fere *omnia pericula, ſed* Typhones fere *omnia pericula uenti erupti de nubibus produnt.* Typhonem *enim* Plinius *dicat præcipuam nauigantium peſtem, non antennas modo, uerum ipſa nauigia contorta frangentem.* Quamuis Turbines, Vortices, Typhones, *et uibrati* Ecnephiæ *non magno diſcrimine diſtent.* Item *paulopoſt.* Etiam *nunc quia uentos diuerſos ex ſe generant.*) Legendum Etiamnum *quidam uenti diuerſos ex ſe generant.*

EX CAPIVE XV.

Et *recto ſpiritu liberoq;.*) Lego Et *relicto ſpiritu libero.* Item. Oblitus *rerum naturæ melioris.*) Scribendum *ex ueteribus* Oblitus dierum, oblitus *naturæ melioris.* Item *ſupra.* Sed *iam ante antiquitus.*) Ante otioſum *eſt.* Item *infra.* Supra *quos auaritia ingens terrarum pondus iniecit.*) Vetus lectio Vrgens, *non* Ingens. Illa prior *tamen lectio probabilior.* Item *paulopoſt.* Et *aquarũ in illis fluentium horridos fontes.*) Vetuſti, *uulgatiq; codices* Et *aquarum nulli fluentium, forte melius, hoc eſt, nullo uſu, uel nulli uſui fluentium.*

EX CAPITE XVI.

Et *ſingulis uentis binos ſuffectos dant.*) Alij *legunt* Subditos, *neq; diſpliceat. uetera autem exemplaria* Sub *præfecto dant. hæc quoq; non mala.* Item *infra.* Imus Trachias.) Scribendum Thracias per Th. non per T. Vetuſti codices Thraſcias, id quoq; recte. hic enim & Thracias & Thraſceas, & Thraſcias indiſcriminatim dicitur. Ari

ſtoteles hunc inter Argeſten, & Aparctian, hoc eſt inter Caurum et Septentrionem ſpirare dicit. Item illud paulo ante, quod me uelut aliud agentem eluſerat. Græci illum ἐφηλίωτην uocant:) Legendum ἀπηλιώτην. Ita enim Ariſtoteli, Straboni, Plinio, & Gellio, cæteriſq; dicitur. Quanquam nó male uideatur per .Φ. ſcribi, ut habent omnes uetuſti tum Græcorum tum Latinorum authorũ codices. ἥλιος enim primam denſam & flatilem habet, cuius flatum .π. præcedens in ſe attrahit & in ſuam aſpiratam tranſit, ut in ἐφίππια, ἐξ ἐπὶ καὶ ἵππος. Eadem ratione libro I. Parhelia, ut habent antiqui codices, non Parelia ſcribendum pleriq; cenſent. Ariſtotelis tamen, cæterorũq; Græcorum impreſſa exemplaria παρήλια, non παρήλια. Nos hæc Grammaticis, quos ea cura tenet, diſputanda relinquemus. Frequens, et penè familiaris eſt Græcarum literarũ inuicem tranſitus, Tenues in Aſpiratas, ſeu Denſas tranſeunt, et contra. Item Mediæ in utrasq; & rurſus hæ utræq; in Medias. atq; talis ferè in iſtis literis mutatio eſt, qualem in mundi elementis fieri diximus, unde elementi nomine hæ quoq; appoſite cenſentur, quia elementorũ mundi non modicam ſimilitudinem habent.

EX EODEM

Deinde libanotus, qui apud nos ſine nomine eſt.) Vetera exemplaria Leuconotos. ſed rectius in uulgatis Libonotus. Quamuis nonneſciam apud Ariſtotelem Eteſias imbecilliores a' Bruma ſpirantes Leuconotos & Ornithias uocari. Poſt Brumam, inquit, qui Leuconoti appellantur, non tamen ita continentes ſpirant. Et paulo poſt. A' Bruma æque Ornithiæ flant, quos ſupra Leuconotos dixerat, hi enim imbecilli Eteſiæ ſunt, cum pauciores, & tardiores, quàm Eteſiæ flent. Hi ſeptuageſimo die poſt Brumam ſpirare incipiunt.

» Plinius quoq; libro II. de Etesijs ſcribens. Spirant autem, inquit,
» & a' Bruma, cum uocantur Ornithiæ, ſed leniores, & paucis die-
» bus. Cum tamen Seneca uideatur hunc uentum poſt Auſtrum ſiue Noton inter Meridiem, & hybernum Occidentem ponere, placet ut Libonotus legatur, a' Libe ſcilicet, & Noto compoſitus, et medius inter utrunq; ſpirans. Nam & Ariſtoteles libro De mundo Libonoton, inter Liba & Noton, hoc eſt inter Auſtrum et Africum ponit, quãuis hunc ſecundo Meteoron non agnoſcat. Dicit enim Meſæ, qui medium tenet locum inter Aquilonem, & Cæciam, nullum flatum ex aduerſo reſpondere, hoc eſt a' loco inter Auſtrum & Africum medio, unde p dimetientem ducitur linea ad locum qui eſt inter Boreã & Cæciam,

» & Cæciam, ubi Meſes oritur. Plinius libro II. Numeroſior, inquit,
» ratio interiecerat inter Liba & Noton compoſitum ex utroq; me-
dium inter Meridiem, & hybernum Occidentem, Libonoton. Stra-
bo Argeſten, hoc eſt Caurum, ſeu Corum, qui ab Occaſu Solſtitiali
ſpirat, Leuconoton, hoc eſt, Album Auſtrum appellari dicit. Hic. n.
» contra naturam Auſtri paucas nebulas facit. τὸν ὑφ' ἡμῶν, inquit,
» καλούμενον ἀργέσην, νότον τὸν λευκόνοτον, οὗτος γὰρ ὀλίγα τὰ νέφη ποιεῖ.

EX CAPITE XVII.

Pamphiliam Chagenus.) Vetus lectio Chagreus. Legendum arbitror ex
Ariſtotele Catægis, ideſt καταιγίς. Hunc uentũ procelloſum ſuperne
incumbere dicit, & quidem repente, ſicut Lælapa, & Strobilum
» in ſuperiora uolui. τῶν γεμὴν βιαίων πνευμάτων, καταιγὶς μέν ἐστι,
» πνεῦμα ἄνωθεν τύπτον ἐξαίφνης. Et paulo ante. Athenas Scyron.)
Scribendũ Sciron, uel Sceiron per .i. uel per .ei. non .y. Hunc enim
Athenienſes à Scironijs ſaxis, unde ſpirat, appellarunt. Hunc eun-
dem putant Argeſten, ſiue Caurum, & Olympian, & Helleſpon-
tion & Iapygа. Ariſtoteles dicit Scironem ab occaſu Solſtitiali mitti,
& Euroſiue Vulturno p dimetientem occurrere. Strabo & Zephy-
ros, q à Scironijs ſcopulis flant Scirones ab Athenienſibus appel-
» lari, ſed præcipue Argeſtas. καθάπερ καὶ τὴν ἀπηλιὴν ἀπὸ τῶν σκειρωνί-
» δων πετρῶν, ἀφ' ὧν καὶ σκείρωνες καλοῦνται οἱ ζέφυροι. καὶ μάλιστα οἱ
» ἀργέσαι.

EX CAPITE XVIII.

Vitalemq; terris.) Vetus lectio Tracturis, non Terris. Item Sinerent,
& Redderent, multitudinis numero, non Sineret & Redderet. Item
infra. Mouemus maria, & nauigia deducimus.) Vetus lectio Mo-
uemus manus, nauigia deducimus. bona utraq;, ſed uulgata magis
placet. Item ſupra. Non in hoc prouidentia. &c.) Vetuſti codices.
Nimirũ in hoc prouidentia. Item mox. Vt nos claſſes) Vetus lectio
Non ut nos claſſes. Item infra. Ergo non merito quis dixerit.) Le
go Non immerito. Et mox infra. Et in alto diſcurſu furentium.)
Scribo Inhibito, non In alto. Item. Nunc parum in domeſtica.)
Vetuſti codices Vi domeſtica. Et paulopoſt. Si circumſcriberetur na
turalis ſoli fine.) Scribendum Natalis fine ſoli. Item. Cui uidere
expeditur.) Legendum Expedit. Item. Quod non in contrarium
transferat culpa) Vetuſta exemplaria Tranſeat culpa. bona utraq;.
Item infra. Cum cogitaueris uita parari ea.) Legendum Vitæ
parari.

EX LIBRO
ANNOTATIONES FORTVNATI IN
LIBRVM SEXTVM SENECAE.

EX CAPITE PRIMO.

B *altera* Calcedonenſe.) *Vetera, uulgataq; exemplaria* Herculanenſe, *& rectius, ut & paulo infra.*

» a *Nam & herculanenſis, inquit, oppidi pars ruit, &*
» *capite* XXVI. *infra. Falſa hæc eſſe, inquit,* Pompeij
» *et* Herculaneum *ſenſere. Adde quod* Herculaneum *et* Pompeij *uicina erant oppida, eodem litore haud procul* Veſuuio *monte. Niſi forte* Chalcidenſe *legere malis, ideſt* Neapolitanum. *ſed* Pompeijs Herculaneũ *propius erat, quàm* Neapolis. *Et quod mox ſequitur.* Mare ex aperto conductum.) *Vetera exemplaria* Reductum, *ſed* Conductum *magis conuenire uidetur, ut ingenij, non naturæ opus intelligamus. Item.* Quos uacare à tali periculo maiores noſtri ſolebant permittere.) Legendum Promittere. Item Adijciuntur his illa.) *Vetus lectio* Adijciunt his ſexcentarum uiuum. *Et paulopoſt.* Impotentes ſui erraſſe.) Lege Impotes ſui.

EX EODEM

Diſcedit, ac titubat.) *Vetera exemplaria* Deſidit ac titubat. Legendum
» *uidetur* Deſidit, *aut titubat, ut infra capite* IIII. Cur modo tre-
» *mat, modo laxata ſubſidat, nunc in partes diuiſa diſcedat. Quare hic quoq; non male legitur* Diſcedit. Item. Sed gentes totas, regionesq; ſubuertit.) *Vetus lectio* Submergit, *parum tamen refert. Item infra.* Hoc habet inter cætera iuſticiæ ſuæ natura præcipuum, quod cum ad exitum uentum eſt.) *Vetus lectio* Hoc habet inter cætera iuſticiæ ſuæ munera præcipuum deus, quod cum ad exitum, & reliqua. bona & elegans profectò utraq;, ut quam magis eligas, non ſit facile diſcernere. Item non ita multo poſt, Aut quæ in futuram ruinam ſuam fulta ſunt?) *Vetuſti codices* Et quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt? ut de illis locis intelligas, quæ iam ſua ruina periculo defuncta ſunt, & in futurum tuta.

EX EODEM

Aſia duodecim urbes ſimul perdidit anno priore in Achaia & Macedonia. Quæcunq; iſta uis mali incurrit, nunc Campaniam læſit.) Legendum uidetur ex uetuſtis, ita ut illud, Anno priore, ſit principium ſequentis clauſulæ, ſcribendumq; hoc modo. Aſia duo-

decim

decim urbeis ſimul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcunq; eſt iſta uis mali, quæ incurrit, nunc Campaniam lædit. Nam quomodo diceret anno priore Aſiam duodecim urbeis perdidiſſe, cum hæc Neronis principatu prodat, in Aſia autem Tiberij principatu proſtratæ ſint duodecim urbes maximo illo in omni memoria mortalium terræmotu, qui fuit tempore, quo Chriſtus Saluator patiebatur, terra ipſa ſupplicium mundi principis non ferente. Illud quoq; abſurdum, Achaiam, & Macedoniam in Aſia eſſe, quẽ ſenſum prioris lectionis uerba habere uidebantur. Et paulo poſt. Quæ breuis, & caduca.) Legendum Qui, non Quæ.

EX CAPITE II.

Quid ergo.) Malim legere. Quid ago. Et paulo poſt Denuncio, non Pronuncio. Item infra. Hoc itaq; generi humano dictũ puta, quod illis ſubdita captiuitate rerum.) Legendum Subita, non Subdita. Hoc ne notandum quidem putaſſem, niſi omnes librarij in hunc errorem hactenus lapſi fuiſſent. Omnia enim exemplaria, quæ quidem ego uiderim, tam manuſcripta, quàm ære excuſa, habent Subdita. Illud quoq; uerbum Rerum, ſine cauſa poſitum eſt, reijciendum ergo cenſemus, idq; fide ueterum exemplarium approbante. Nota eſt hæc ſubita Troiæ captiuitas ex Secundo Aenei. Virgilij.

EX EODEM

Magni ſe æſtimat, qui flumina, & motus terrarum, hiatuſq; formidat.) Legendum Fulmina, non Flumina. Item paulo ante. Sine dubio id unum periculi nobis eſſet.) Videtur eſſe legendum Satis eſſet, non Nobis eſſet. Item infra. Et ſub terram ſe corripere fulminum metu.) Vetera exemplaria Et ſub terram correpere. neq; diſplicet hæc lectio ad oſtendendum illorum timorem, qui metu fulminum in anguſtiſſimos etiam ſpecus, & cuniculos irrepunt Vulpeculorum more, cum greſſum rectum anguſtiæ non capiant. Fulmen autem nunquam altius quinque pedibus deſcendit in terram. Item mox infra. Quid ſtultius quàm timere mutationem, aut ſubitos montium lapſus.) Legendum Nutationem, non Mutationem.

EX CAPITE III.

Nec ira numinum aut cœlum conuerti, aut terram.) Legendum Concuti, non Conuerti. Cæli enim conuerſio, quæ quotidie fit, nihil minatur, terra uero nunquam conuertitur. Gellius libro II. dicit incompertum eſſe, quæ cauſa, aut quis deus, dea'ue terram quatiat,

propterea, inquit, ueteres Romani, cum ferias eius rei causa indicebant, nomen dei, ita, uti solet, cui seruari ferias oporteret, edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. Philostratus in uita Apollonij dicit Neptuno, Telluriq; sacrificia fieri solita, cum terra concussa esset. Cum ciuitates, inquit, circa Hellespontum positas crebri terræmotus concuterent, Aegyptij Chaldæiq; sacrificuli apud eas, pecuniæ colligendæ causa, conuenerant, decem poscentes talenta pro sacris Neptuno Telluriq; faciendis. Multi enim aquarum in terræ cauernis spiritu impulsarum, & undantium fluctibus, pulsibusq; terrã moueri existimauerunt, unde Neptuno assignata hæc mouendi potentia, hinc uaria indita illi nomina. Dicitur enim alijs ἐνοσίγαιος, alijs ἐνοσίχθων, alijs autem σεισίχθων, hoc est, Terræmotor, uel quassator.

EX CAPITE VI. ET VII.

Et ea aliquando concuteretur.) Legendum uidetur Tota aliquando concuteretur. Item ex capite VII. Et Europam, Asiamq; disterminans.) Quis non iure miretur (nisi hæc uerba aliena, & adulterina sint) Senecam in tanta notitia, contra omnium opiniones, & contra ueritatem ipsam Danubium Asiæ Europæq; terminum statuere, quas Tanaim diuidere certum est. Mari enim mediterraneo, & Tanai, Niloq; uniuersum terrarum orbem in treis partes diuidi compertissimum est, mare Europam ab Africa dispescit, Africam ab Asia Nilus. ex aduerso latere Asiam ab Europa Tanais. Lucanus libro III.

» -Quà uerticæ lapsus
» Riphæo Tanais, diuersi nomina mundi
» Imposuit ripis, Asiæq;, & terminus idem
» Europæ, & mediæ dirimens confinia terræ.

EX CAPITE IX.

Ignem causam motus terrarum quidam, sed & quidam non ob eandem causam iudicant.) Vetus lectio sincerior, & ciuilior forsitan. Ignem motus causam quidam, & quidem non eandem iudicant. Itẽ mox. Qui existimat simili penè ex causa, et aëre concuti terram.) Legendum tum ex Aristotele, tum ex sequentibus, Et aëra
» concuti & terram. Plinius libro II. Neq; aliud est in terra tremor,
» quàm in nube tonitruũ, nec hiatus aliud, quàm cum Fulmen erumpit incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente. Item mox infra. Ex eadem uia.) Scribendum Eadẽ ui. Item. Hunc ipse.)

Vetus lectio. Hic ipſe. Item paulopoſt. Aut cum dubitauere, ſuper ea ſe, quæ ſuperſunt, quæ conſtant, ſe componunt.) Vetus lectio liquidior, & elegantior. Aut cum diu dubitauere, ſuper ea ſe, quæ ſuperſunt, ſtantq; componunt. Item paulo ante. Sed quia pluribus obuius locis ardeat.) Licet omnia exemplaria Obuius, ego tamen malim legere Obrutus, hoc eſt tectus in locis ſubterraneis.

EX CAPITE X.

Hic ipſe caſus uicinia concutit fluctum.) Lege Fluctu, non fluctum. Item paulo ante. Quæ cecidit, exultat.) Scribendum, ut ſenſus ſit perfectus, Quæ, cum cecidit, exultat.

EX CAPITE XIII.

Siue per anguſta eniſus eſt.) Alij eliſus. Vetuſti tamen codices Eniſus, hoc eſt eluctatus anguſtias. Et paulo ante. Déinde rixa ſpiritus.) Vetuſti, multiq; codices Dum rixa. forte rectius. uel legatur utrunq;. Déinde dum rixa. &c. Item infra. Motum, ac tumultum faciet.) Legendum ex uetuſtis codicibus Ciet. Item infra. In proxima quæq; re molitur ac iactat.) Scribendum Proxima quæq; remolitur, ac iactat.

EX CAPITE XIIII.

Quemadmodum animal totam uexationem ſentiet.) Scribo Tota, non Totam. Item mox infra. Alias citius impellit.) Neq; uetuſti, neq; multi codices illa duo uerba Alias citius, habent, neq; neceſſaria ſunt, cum honeſtius, atq; etiam clarius intelligantur, quàm ſcribantur.

EX CAPITE XV.

Sed multos illi caſus impoſuit natura.) Hoc uerbum Natura, non minus frigide, quàm inaniter nuper tantum inſitum, & inculcatum ab aliquo moleſto curioſo, ſummouendum ergo eſt, ne ſenſui noceat, nam ſine illo & elegantior, & apertior eſt ſenſus. ut Caſus uerbo Impoſuit, Multos uero, uerbo Aditus reſpondeat, quæ lectio uel indocti turbæ probabilis, & aperta eſt. Ariſtoteles etiam ex ſententia Anaxagoræ dicit terram totam in modum fungi naturalibus ſpiramentis ſubhiare, ſed ultra hoc multos in ea aditus, multoſq; ſpecus caſu, & externa ui factos, & apertos. Et quod mox ſequitur. Aqua alia torrentes cecidere.) Alij legunt Edidere, uetera tamen exemplaria Cecidere, ut ſit à uerbo Cædo, non Cado. Illud autem uerbũ Aqua, ad præcedentia pertinet, Alia uero ſequentis cæſi initium eſt. quare ſic diſtingue. Alicubi deduxit, quic=

quid ſuperne terreni erat, aqua, alia torrentes cæcidere.

EX CAPITE XVI.

Quemadmodum tam diuerſas radices aleret, atq; aliter in ſe merſas foueret.) Vetus, uulgataq; lectio Aliter, atq; aliter in ſe merſas foueret, quæ recta, ſinceraq; eſt. Quo magis miror temere, nulloq; iudicio ueram lectionem aliquem interpolauiſſe, & quaſi data opera Senecæ corrupiſſe. Item. Et tam uerſatile & uagatione gaudens?) Vetus lectio Et agitatione gaudens?

EX CAPITE XVII.

Non aliter, quàm ille pontem indignatus Araxes.) Vetuſti codices Quàm ille poëta, forte legendũ Quam illud poëtæ. uel, Ille poëtæ pontem indignatus Araxes. Hoc enim hemiſtichion Virgilij uatis eſt in calce octaui Aenei. Item mox. Vbi ſaxa manu, uel caſu in latere preſſere uenientẽ.) Quanq; & uetuſti codices In latere, rectius tamen meo quidem iudicio legitur Illata, quam lectionem Eraſmus reponit. uel forte utrunq; retinendum, ut ſit Illata in latere preſſere. Nam ſi In latere tantum legerimus, ſuſpenſai ſententia uidebitur. Eleganter, & copioſe ſcribit Mela Pomponius hanc Araxis fluminis contra oppoſita ſaxa uiolentiam. Cuius uerba non queo mihi
» temperare quin adſcribam. Araxes, inquit, Tauri latere demiſſus,
» quoad campos Armeniæ ſecat, labitur placidus, & ſilens, neq; in
» utram partem eat, quanquam intuearis, manifeſtus. Cum in
» aſperiora deuenit, hinc atque illinc rupibus preſſus, & quanto
» anguſtior, tanto magis pernix, frangit ſe ſubinde ad appoſita cau-
» tium, atq; ob id ingenti cum murmure, ſonansq; deuoluitur, adeo
» citus, ut, quà ex præcipiti in ſubiecta caſurus eſt, non declinet ſtatim
» undam, ſed ultra, quàm canalem habet, euehat plus iugeri ſpatio
» ſublimis, et aquis pendentibus ſemetipſum ſine alueo ferens. Deinde
» ubi incuruus, arcuatoq; amne deſcendit, fit tranquillus, iterumq; p
» campos tacitus, & uix fluens. Item infra. Citius eripitur.) Vetus lectio Eo citius rapitur. Item mox infra. Sæpe enim terræmotus fuit.) Legendum Sæpe enim, cum terræmotus fuit, ſi modo pars eius aliqua dirupta erat, inde uentus per multos dies fluxit.

EX CAPITE XVIII.

Infuſusq; per minima, laxamentum ſuperat. Indomitæ naturæ potentia libera eſt, utiq; cum concitatius ſibi ius ſuum uindicat.) Vetus lectio diuerſa. Fuſusq; per minima laxamentum ſuperatus, indomitæ naturæ potentia liberat. Eſt utiq; cum concitatus ſibi ius ſuum uendicat.

Poteſt utraq; utcunq; defendi, mihi tamen uetus & elegantior, & magis genuina uidentur. nihil tamen auſim mutare, ſuum igitur opinaturis liberum, integrumq; ſit iudicium. Illud hoc loco monere inter neceſſaria duxerim, non proprie dici Laxamentum ſuperari, quod mihi dubiam, ſuſpectamq; facit lectionem Eraſmianam. Præterea ſi ſic legatur, & ſequentia æſtuabunt nullo ſententiarum fundo. Item infra. Quicquid integrum tulerat.) Quanq̃ omnia exemplaria Integrũ, ego tamen legendũ arbitror Integer, ſpiritum enim refert.

EX CAPITE XIX.

Quomodo cum in dolio cauſatur uox, illa per totum cum quadam diſcuſſione percurrit, ac reſonat, & tam leniter morata circuit.) Vetus lectio probior, puriorq; uidetur. Quomodo in dolio cantantis uox per totum cum quadam diſcuſſione percurrit, ac reſonat, & tam leniter mota tamen circuit.

EX CAPITE XX.

Aut his plura.) Legendum Aut ex his plura. Item infra. Nonnunq̃ in coacta itinera coniectus.) Vetuſti codices In terrena itinera coniectus, forte legendum In arcta itinera. Item paulopoſt. Quibuſdam iam uitiatis.) Vetus lectio Quibus uitiatis &c.

EX CAPITE XXI.

Therem, & Theream hãc noſtræ ætatis inſulam.) Vetus lectio Therẽ & Themam, & hanc noſtræ ætatis inſulam. Videtur legendum ex Plinio. Theram, & Theraſiam, uel Theram & Thiam, quia ſequitur Et hanc noſtræ ætatis inſulam. Thia enim principatu Claudij, ætate Senecæ enata eſt. Thera autem & Theraſia ante Senecam plus minus ducentis annis emerſerunt. Quid ſiquis Theram & Hieram, hoc loco legeret? Quanquam Hiera quoque ante ætatem Senecæ enata credatur. Videtur ergo ſuæ ætatis inſulam illam intelligere, quæ inter Theram & Theraſiam cum flammis totum mare inuoluentibus illa ætate enata eſt, de qua ſupra capite XXVI. libri II. Strabo libro I. ἀνὰ μέσον γὰρ θήρας, καὶ θηρασίας ἐκπιπτούσας φλόγες ἐν τῷ πελάγους, ἐφ' ἡμέρας τέσσαρας, ὥς τε πᾶσαν ζέειν, καὶ φλέγεσθαι τὸν θάλασσαν. &c. Sed circa hæc, non debet eſſe nobis anxia diligentia, ad alia properantibus. Item paulo ante. Et nouos montes ſubiectos extollere.) Lege ſubiectus.

EX EODEM

Altera inclinatio, quæ altera nutat.) Legendum Qua in latera nutat, nauigij more. Tales motus, quibus in obliquum, & in latera, atq; in unam partem inclinatione facta, aut uolutatione fluctuum more terræ mouentur, Ariſtoteles Oſtas uocari dicit. hi maxime infeſti &

periculosi labefactant, & subuertunt quæcunq; mouerint. Qui autẽ, inquit, in obliquum quidem, sed alterno pulsu, contrarioq; ictu, mucronatis quassant angulis, & quadam arietatione uicissim se impellunt, Epiclintæ uocantur. Illi uero qui sursum, ac deorsum terram rectis angulis succutiunt Brastæ dicuntur. Quibus terra in caua desidit, Chasmatiæ. quibus aperitur & discedit, Rhectæ nominantur. Quidam uibrant in utranq; partem crispante ædificiorum crepitu, & id quod uibrant, ipsa quassatione dirigunt, hos Palmatias uocant. Seneca latine Tremorem numero singulari. Ostas Inclinationem, Brastas Succussionem, Chasmatias autem nos possumus dicere Recessus, Rhectas Hiatus, Epiclintas uero Acclinationes. De hoc ipsa

» Aristo. uerba, siquis legere uoluerit, subscripsi. τῶν δὲ σεισμῶν οἱ μὲν
» εἰς πλάγια σείοντες κατ' ὀξείας γωνίας, ἐπικλίνται καλοῦνται. οἱ δὲ ἄνω
» ῥιπτοῦντες καὶ κάτω κατ' ὀρθὰς γωνίας, βράσται. οἱ δὲ σωλῆνας ποιοῦντες
» εἰς τὰ κοῖλα, χασματίαι. οἱ δὲ χάσματα ἀνοίγοντες καὶ τὴν ἀναῤῥηγνύν-
» τες, ῥῆκται καλοῦνται. Et paulo infra. τινὲς δὲ ἀναῤῥίπτοντες κατὰ μίαν
» πρόωσιν, ὃν καλοῦσιν ὦστας. οἱ δὲ ἀναπάλλοντες καὶ ταῖς εἰς ἑκάτερον
» ἐπιπλήσεσι καὶ ἀναπάλσεσι διορθοῦντες ἀεὶ τὸ σειόμενον, παλματίαι λέγον-
ται. Item paulo ante. Vtriusq; nomen.) Vetus lectio Vtriq;.

EX CAPITE XXII.

Vt ex his quæ impendere rupibus aqua resoluta.) Vetusti codices Vt ex his quæ impendent rupibus, aliqua resoluta. Item paulo post Cadat, non Cadant. ut sit sensus, & ordo uerborum. Aliqua rupes resoluta cadat ex his rupibus, quæ impendent. Item infra. Nec tamen pondere suo. Legendum ex uetustis codicibus. Nec tantum pondere suo. Item paulo infra. Vt desinant esse oneri ferendo idonea.) Hoc uerbum Idonea, otiosum est, & inane.

EX CAPITE XXIII.

Quemadmodum Helicæ Burisq; mersa sunt.) Plinius libro II. & Quarto Buran non Burim uocat Oppidum Corinthio sinu ablatum. Aristoteles quoq;, et Strabo Helicen et Buran. i. ἑλίκην καὶ βοῦραν.

» βοῦρα δὲ καὶ ἑλίκη, ἡ μὲν ὑπὸ χάσματος, ἡ δ' ὑπὸ κύματος ἠφανίσθη.

Bura uero & Helicæ, inquit Strabo, hæc terræ hiatu absorpta, illa undis submersa est. Ouidius.

» Si quæris Helicen & Buram Achæidas urbes,
» Inuenies sub aqua, & adhuc ostendere nautæ
» Inclinata solent cum mœnubus oppida mersis.

Item paulo infra. Quisquis primas literas Græcas didicit, scit illum apud Homerum ἐννοσίγαιον uocari.) Vetusti omnes, uulgatiq;

codices Sibithona, non ἐννοσείγαιον. Vnde, & ex Homero legendum est hic σεισίχθονα. à σείω, quod est quatio, & χθών. ονος. ideſt terra, quaſi Motorem terræ dicas. Ipſum quoq; terræmotum σεισμὸν Græci uocant. Scio Neptunum eadé de cauſa ἐνοσίγαιον quoq; dici, ab ἐνόω καὶ γαῖα, & aliquando gemino νν metri cauſa, ut apud Iuuenalem.

» Ipſum compedibus qui uinxerat Ennoſigæum.

Dicitur etiam ἐνοσίχθων ſimili ratione, quod ſcilicet terram concutiat, ut diximus.

EX CAPITE XXIIII.

Immó, inquit, ſeu cum frigore.) Legendum Ceu cum frigore per.c. non per.s. Ariſtoteles quoq; ſecundo Meteoron dicit terræ ſimile quiddam noſtris corporibus accidere. quemadmodum, inquit, plerunq; poſt urinam redditam, quodam quaſi tremore corripimur, exteriore ſcilicet, & frigidiore aëre in interiora ad ſedem emuſſi lotij penetrante, ſic ipſam terram per cauernas ingreſſi frigidi ſpiritus quatiunt, & uibrant.

EX EODEM

Atalantam inſulam.) Vetuſti codices Atlantem, ſed legendum putauit Hermolaus in Plinio Atalantem ex Strabone, Stephano, & Thucydide. Quanquam & Atlantem inſulam eſſe ſciamus, contra montem Atlantem ſitam, ſed Atalantis, de qua hic fit mentio, Euboeæ adiacet, quondam eidem iuncta, deinde maris interuentu auulſa. Sed forſitan nó male exit etiam in.a. Græca enim efferunt ἡ ἀταλάντη. ἡ. autẽ finale ſæpius in.a. quàm in.is. à Latinis cõuertitur. Strabo

» libro IX. πλησίον δὲ καὶ ἡ ἀταλάντη, ὁμώνυμος τῇ περὶ Εὔβοιαν καὶ

» Λοκρούς. proxima eſt Atalante, cui cognominis alia eſt ad Euboeam

» & Locros. Idem in eodem. καὶ ἡ ἀταλάντη δὲ, νῆσος, κατὰ ὄπουντα

» ἵδρυται, ὁμώνυμος τῇ πρὸ τῆς Ἀττικῆς. Et Atalante inſula locata eſt in Hopuntem, eiuſdem nominis cum illa, quæ contra Atticam ſita eſt. Item paulopoſt. Aut certe maxima ex parte ſuperfuſam.) Vetus lectio Suppreſſam, ſed uulgata lectio probior. Item. Id Sidoniæ accidiſſe.) Vetuſti codices Sidone. Forte legendum Sidoni. Strabo In Phœnice facto terræmotu, inquit, oppidum ſuper Sidonem ſitum abſorptum fuiſſe Poſſidonius author eſt, & Sidonis duas fere partes corruiſſe.

EX CAPITE XXV.

Decidant in illum ſubteruacantem locum.) Vetus lectio Subteruacantem. Item paulopoſt. Et ſciſſam unius magnitudinẽ montis in duas partes tunc effugiſſe.) Diſtinguendum ita, ut illa ultima uerba Tunc

effugisse, ad sequentia pertineant, hoc modo. Tunc effugisse Penæon. Tametsi Effudisse, uel Efluxisse magis probauerim, quàm Effugisse. Præterea scribendum per ei Græcam diphthongum, ut & supra libro III. monuimus, quandò ipsi Senecæ sic scribi ex Græco placuisse uidemus, ita enim habent omnia uetusta exemplaria. Item. Ni laxos specus.) Legendum In laxos specus. Et paulo infra Spiritum, non Spiritui. Item infra. Quod nisi essent magna terrarum spatia.) Legendum Quod nisi esset; singulari numero. hoc est. nisi spiritus in laxos specus conueniret, magna terrarum spatia commouerentur. Et paulo infra. Cum laborauit Aegine, tam propinquas illi patrias de motu nihil audisse.) Forte legendum Patras, non Patrias, Patræ enim in promontorio longissimo Peloponnesi conditæ, quinq; fere Mil. Pass. ab Aegina, siue Aegine oppido distant.

EX CAPITE XXVI.

Multumq; secum limum trahens.) Vetus lectio Multumq; secũ cœnitrahens. Item mox infra. Et eum subinde.) Legendũ Et id súbinde. Aegyptum totam ferè à Nilo aggeratam docet Aristoteles primo Meteoron. & Plinius II. Naturalis historiæ. Item infra. Nec ulla interualla in se habet, & sic creuit in solidum arescente limo, cuius pressa erat.) Purior est uetus lectio. Nec ulla interualla intra se habet, sed creuit in solidum arescente limo, quo pressa erat, & sedens structura. &c. Item paulo post. Falsa hæc Pompeium, & Herculaneum sensere.) Legendum ex uetustis codicibus Pompeij, πλησιοχωρῶς, ut supra in principio libri. Item infra. Sic nobilis, & huic iã familiaris Maloniçopolis.) Legendum separatim, malo Niçopolis, ut
» Malo sit dandi casus. Plinius libro II. Nec montosa tali malo carẽt. quamuis mendose legatur in omnibus Plinianis codicibus Tali modo
» carent. Strabo libro I. de Terræmotu τὸ δ' αὐτὸ πάθος καὶ ἐπὶ πλὼ
» συρίαν ὅλην διέτεινε. hoc malum in totam Syriam extentum est. hoc est, hæc clades & affectio terrarum. Hæc leuia admonere superuacuum esset, nisi delicatum lectorem uel fallerent, uel morarentur, & (ut Plautino utar uerbo) remoram facerent. Niçopolis Epiri urbs est, à uictoria augusti ad Actium sic appellata, quæ prius Ambracia dicebatur. Est & Alia Niçopolis in Aegypto, non longe ab Alexandria ab eadem Augusti uictoria.

EX CAPITE XXVII.

Vel corruptus æternorum igniũ uitio.) Rectius forte uetusti codices Internorum ignium, hoc est, in terra latentium. Item quod mox sequitur. Cum est longo situ emissus, parũ habet liquidũ quod maculat, ac polluit

ac polluit.) *Vetusti uulgatiq; codices paulo sincériorem habent lectionem hoc modo. Parum hunc liquidum quod maculat. Legendum ergo Cum è longo situ emissus, purum hunc, liquidumq; maculat, ac polluit. Ipso Sole clarior est sensus. Item. Ante, quam ab homine posset trahi.*) *Vetus, & uulgata lectio forte probatior, & integrior. Ante, quàm ut ab homine posset trahi, surgeret.*

EX CAPITE XXIX.

Nam quod aliquos insanis, attonitisq; similes discurrere facit motus.) *Legendum est. Nam quod aliquos insanis attonitisq; similes discurrere facit metus. Cum enim Pompeij terræmotu desederunt, aliqui attoniti ipotesq; mentis discurrerunt. Seneca supra statim à principio*

» *huius sexti libri. Adijciunt, inquit, his sexcentarum ouium gregem*
» *exanimatum, & diuisas statuas, motæ post hoc mentis aliquos, atq;*
» *impotes sui errasse. Confirmant hanc lectionem etiam sequentia.*

EX EODEM

Hæc loca ui quondam, & uasta percussa ruina.) *Vetus lectio Conuulsa ruina. Item. Venit ingenti ui pontus.*) *Vetusti codices Medio ui pontus. Item Et undis hesperium, non Ingens. Et paulo infra. Littore, nõ Aequore diductas. Virgiliani quoq; codices nó discrepant unico apiculo à uetustis Senecæ exẽplaribus. Item paulo infra. Cum pars naturæ concita est, deesse & aliquo mare ignem spiritu impegit.*) *Ita habent omnia exemplaria, quæ ego uiderim, adeo pertinaciter in errorem conspirarunt. nisi quod unus uetustissimus codex loco uerbi Concita, habet Concitata. Præterea Spiritus, non Spiritu. Robustior est, altiusq; longo tempore hic error demisit radices, quàm ut obiter extirpari queant. Quare in loco tam insigni coniectura periclitari uix citra reprehensionem possumus. sed quoniam nobis propositum est non recusare, causa cõmunis utilitatis, etiam ancipitis iudicij aleã subire, non dissimulabo nostram super hunc locum sententiam, quam late missa coniectura assequor. Legendum enim arbitror. Cum pars naturæ concitata est de se, uel aliquod mare ingens spiritus impegit. Nam maria & de se naturali motu concitantur, ut docet Aristoteles, & spiritu p occulta foramina subeunte aquas impelluntur. Spirituum autem in omni mundi parte indomita, miraq; potentia est. Verum hoc nolo ita esse decretoriũ, quin integrum sit opinaturis iudicium.*

EX CAPITE XXXII.

Quos magis refert natura fortiores fieri.) *legendum ex uetustis codicibus Quos magis refert uestra fortiores fieri. Vt supra circa finem*

» *secundi.* Intelligo *quid iandudum desyderes, quid efflagites. malo,*
» *inquis, fulmina non timere, quàm nosse, itaq; alios doce quemadmo=*
» *dum fiant, ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam*
» *indicari.* Item *paulo infra.* Quid *est enim cur ego hominem aut feram quidem.*) Legendum Quid *est cur ego hominem aut feram?* *quid est cur sagittam &c.* Item. Siue *mors æquo &c.*) Legendū. *Siue nos æquo.* Item *infra.* Cum *libet illi eam accipiat.*) Vetus lectio Qui *uolet illā accipiat. ut sit communiter dictum.* Item *mox infra.* Et *cum omnibus bonis.*) Lego Et *cum bonis omnibus, hoc est precationibus & auspicijs.*

EX EODEM

Nec *quod fuit in puncto fugientis temporis.* Pendeoq; *, & magni est modicum fuisse.*) Ita *legendum, & distinguendum est, ut* Pendeo *uerbum, ad præcedentia pertineat. &* In *puncto sit initium huius clau*
» *sulæ, hoc modo.* In *puncto fugientis temporis pendeo, & magni est*
» *modicum fuisse.* Nihil *habemus de tempore nisi præsens, dicit philo-*
» *sophus.* Senecæ *in libro* De *breuitate uitæ.* Præsens *tempus, inquit,*
» *breuissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum uideatur.* Et *paulopost.* Solum *igitur ad occupatos præsens pertinet tempus, quod tam breue est, ut arripi non possit.* Hinc *est illud uulgatissimū apud Græcos authores.* στιγμὴ χρόνου. *ideſt. momentum, seu punctum tem*
» *poris.* Plutarchus *de pueris instituendis.* στιγμὴ χρόνου πᾶς ὅλον ὁ βίος.
» Punctum *temporis est omnis uita.* Terentius. Tum *temporis adhuc punctum mihi est. hoc est, breuissimum spatiū.* Punctum *enim apud Mathematicos est pars indiuidua lineæ.* Tria *sane dicuntur esse tempora* Præteritum, Præsens, *&* Futurum. *sed præteritum iam non est. futurum nondum uenit. præsens instans est, nullum spatium, nullamq; partem suam habens. prima enim eius pars est præteriti, secunda futuri. tertia siqua est media, illa instans & incomprehensibilis est, atq; omnino puncto indiuisibili similis.* Item. Hoc *assignemus animo.*) Vetus lectio Hoc *affigamus animo.* Item *mox.* Hoc *nobis subinde semper dicamus.*) Legendum Hoc *nobis subinde dicamus.* Illud *enim* Semper, *supervacaneum & inane est, ac* χολιον *illius uerbi subinde.* Et *in fine libri.* Vel *si ita tulerit, possis illi ut obuiam exire.*) Honestior *puriorq; erit lectio, si mutato ordine uerborum sic legerîmus.* Vt *si ita tulerit, possis illi uel obuiam ire.*

ANNOTATIONES MATTHAEI FORTVNATI IN LIBRVM SEPTIMVM ET VLTIMVM NATVRALIVM QVAESTIONVM SENECAE.

EX CAPITE I.

Pſi quoq; quamuis ſpargantur, & longius exeram faces, æque tamen ignei, ſplendidiq; ſunt.) Magna *arte corrupta eſt, & mutata hæc lectio, frigida tamen eſt & inepta.* Legendum *ergo tum ex uetuſtis, tum etiam uulgatis exemplaribus, nam & illa uno uerbo parum deflexo, ſincæram lectionem habent.* Ipſam *quoque, quamuis ſpargatur, & longius exeat, faciem, æquæ enim ignei ſplendidiq; ſunt.* Senſus *autem eſt.* Cometas *cæteris ſyderibus non ſolum ortus & occaſus communes habere, ſed ipſa quoq; facie ſimiles eſſe, quamuis ſparſa ſit, & latius, liberiusq;, quàm cæterorum ſyderum diffuſa, atq; multarum ſtellarum regionem complexa.* Item *mox infra.* Mouenturq; *ſenis menſibus.*) Vetus lectio Manentq; » *ſenis menſibus. ut infra capite* XII. Atqui Cometæ *ſenis menſibus manent.* Plinius *uero libro* II. *dicit longiſſimum ſpatium, quo cernerentur, octoginta dierum annotatum eſſe, breuiſſimum ſeptem.* Item *paulo poſt.* Et *nuper in* Græcia *inuenta.*) Rectius uulgati codices In Græciam *inuecta, uel* In Græciam *tranſuecta, ut uetuſta habent exemplaria.* Nam *obſeruatio rerum cœleſtium non inuenta in* Græcia, *ſed in* Græciam ex Aſſyria, & Aegypto *inuecta eſt.* Seneca *paulo infra.* Eudoxus, *inquit, primus ab* Aegypto *hos motus in* Græciam *tranſtulit.*

EX CAPITE III

Plureis *ſtellas eſſe quæ currant.*) Quanquam Currant *legatur in omnibus, quæ nos uidimus, exemplaribus, ego tamen malim legere* Coëant, *uel* Concurrant. Anaxagoras *enim, &* Democritus, *ut docet* Ariſtoteles I. Meteoron, *arbitrantur nihil aliud eſſe* Cometen, *quàm iunctam effigiem, lumenq; commiſſum, & confuſum duarum, uel plurium ex propinquo* Errantium *ſtellarum.* Nam *quædam ſydera* » *diſſolutis etiam crinibus conſpecta fuiſſe tradiderunt.* Ἀναξαγόρας » μὲν οὖν καὶ Δημόκριτός φασιν εἶναι τοὺς κομήτας, σύμφασιν τῶν πλα- » νητῶν ἀστέρων. ὅταν διὰ τὸ πλησίον ἐλθεῖν δόξωσι θιγγάνειν ἀλλήλων.

EX LIBRO

» Item non ita multo post de sententia Democriti φησὶ γὰρ ὦ φθαυδια
» λυομέων τῶν κομητῶν κοὐ ἀστέρας τινάς. Item paulo infra. Nec omnia.) Lege Nomina, ut habent uulgati codices. Virgilius.
» Nauita tum stellis numeros, & nomina fecit.

EX CAPITE IIII.

Hinc uidetur.) Legendum Huic uidetur, ut sit dandi casus. Item mox infra. Hæc cum proxima signa Martis, aut in Lunæ uicina transit.) Vetus lectio Hæc cum proxima signa Martis premit, aut in lucem uiciniam transit, ut forte legendum sit. In lunæ uiciniam, aut certe Lucem uicinam, ideſt Iouis sydus, cui stella Saturni uicina est. Verum hoc ut uidebitur legentibus. Illud sciendum, Saturnum ideo plus uirium ad omneis motus habere, quia quodq; signum bis repetit. In Capricorno facit grauissimas pluuias, præcipue in Italia, in Scorpio grandines, item in alio fulmina, in alio uentos. Item paulo post. Præterea, inquit, aliam naturam habent fulmina.) Scribendum tum ex uetustis codicibus, tum ex sequentibus uerbis Materiam, non Naturam, nam sequitur Aquarum enim, & omnis humidi euaporatio &c.

EX CAPITE V.

Syluas interim & tecta corripiens.) Interdum forte, non Interim legendum. Item. Callisthenes tradit antequam Burim & Helicen mare absorberet.) Vetusti aliquot codices sic habent. Talem effigiem ignis longi fuisse Collisthenes tradit, ante, quàm Burim & Helicen mare absorberet. Sed hæc uerba mihi addita, et insita ab aliquo uidentur, quod alioqui imperfectus, & abruptus sensus prima fronte apparebat. Scribendũ præterea Callisthenes gemino ll. ubiq;.

EX CAPITE VI.

Et stellas non prætermeant.) Legendũ absq; negatione. Et stellas prætermeant. ut capite sequenti. Qui & procedunt, & signa prætereunt.

EX CAPITE VII.

His accedit illud quoq;, uentus multas aëris parteis impellit.) Legendum ex uetustis codicibus Quod uentus &c. Et paulo post. Si illos Aquilo propelleret, ad meridiem semper augeretur.) Legendum Agerentur.

EX CAPITE VIII.

Num quis nostrum aut accideret.) Legendum ex uetustis Num quis nostrum crederet, aut Lunam &c. Item paulo post. Non tantum supra Lunam efferrent.) Scribendum Non tamen supra Lunam &c. Item capite IX. Plurium uentorum, non Plurimum. Et paulo post.

Nam cum

Nam cum uagus, & incertus ſpiritus certi uolatus eſt.) Vetus lectio Certi uolutatus eſt. Videtur eſſe legendum Cum cæteris uolutatus eſt. ſequitur enim. Nouiſſime uni uis cedit. Vortex enim ſeu Turbo, eſt plurium uentorum inter ſe luctatio, ut pauloante dixit Seneca. Item In exitum ſui, non In exitium. Et capite X. *Cœliq; uolumina torquet.)* Legendum Celeriq; uolumine torquet ex Ouidio, cuius ex II. Meta. ſunt carmina hæc.

» Adde quod aſſidua rapitur uertigine cœlum,
» Syderaq; alta trahit, celeriq; uolumine torquet.

EX CAPITE XI.

Forma eius non eſt una.) Videtur eſſe legendum abſq; negatione. Forma eius una eſt. ut apparet ex ſequentibus. Item paulopoſt. Et eorum quibus fuſus adeſt ignis.) Scribendum ex uetuſtis codicibus, Quibus fuſus qdem eſt ignis. Item. Ita dicit, aut lucidiorem eſſe.) Vetus lectio Ita ait aut liuidiorem eſſe, aut rubicundiorem. hoc tamen non caſtigandi, ſed admonendi gratia poſuimus. Et quod mox ſequitur. Aut in latera diuiſos.) Vetus lectio Demiſſos.

EX CAPITE XII.

Quanto celerior debet fieri in ſtellis congreſſio?) Scribendum Digreſſio? Item paulopoſt. Cum ſint ingenti ratione diductæ.) Legendū Regione, non Ratione, hoc eſt ſpatio & interuallo. Item infra. Quemadmodum arcum alterne ſol uiſit.) Vetus lectio caſtior. Quemadmodum alterne arcus Solis uiſitur. Et paulopoſt Intra breuiſſimum ſpatium, non Inter ſcribendum.

EX CAPITE XIII. ET XIIII.

Aut per obſcuritatem luminis.) Legendum ex uetuſtis. Propter obſcuritatem. Et mox infra Propter circulorum, non Per circulorum. Item ex capite XIIII. Velim cum mihi dicat.) Legendum Velim tamen mihi dicat. Item mox infra Qui mundo, non Cum mundo ſcribendum. Item infra. Quid eſt deinde quod probes.) Legendum Quo probes.

EX CAPITE XVI.

Sicut hic dicit Cometen.) Verbum Dicit otioſum eſt, ponitur enim infra aliud uerbum ſenſui reſpondens. Ita autem eſt diſtinguendum, ut illa particula Sicut hic, ad ſuperiorem clauſulam pertineat. ſubintelligendumq; eſt uerbum Decipit. Item paulo infra. Qui ingentis traxit euentus.) Vetus lectio Quia ingentis rei traxit euentus. Item ſupra capite XV. Quid ergo coire ſtellas oportet.) Scribendum Quot ergo. Et paulo infra. Quot ergo conueniſſe debent Erraticæ.

EX LIBRO
EX CAPITE XVII.

Illi simílem fuísse negans.) Verbum Negans, antiqui códices non habent, & profectò cónfundit sensum, neq; enim potest ad Apollonium apte referri. Et quod mox sequitur. Qui post diui Iulij Veneris ludis genetricis.) Hic necessárium uerbum deesse uidetur, arbitror illud uerbum Negans, quod pauloante repudiauimus, huc pertinere, sed immutatum esse, scribendum enim uidetur hoc modo. Qui post ne=

» cem Diui Iulij, Veneris ludis genitricis. Plinius libro II. Comites
» in uno, inquit, totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum
» fausto Diuo Augusto iudicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit lu
» dis, quos faciebat Veneri genitrici, nó multo post obitum patris Cæ
» saris, in collegio ab eo instituto. Hæc Plinius. Cometes hic natalem Christi Saluatoris prænunciasse creditur. Item cápite XVIII. Non autem manet illis prima fácies.) Legendum Nunc autem.

EX CAPITE XX.

Multos cometas uidemus.) Legendum cum negatione Non uidemus. Item infra. Quem Sol uicinus traxerat.) Scribendum Texerat. uel, ut uetusti códices habent, Obtexerat. hoc est, obscurauerat, & hebetauerat.

EX CAPITE XXI.

Ignium materia alimentum suum sequitur.) Legendum Ignium modo alimentum suum sequitur. Item mox infra. Quamuis enim ad superiora uisus est,) Vetus lectio sincerior, et clarior. Quamuis enim illi ad superiora nisus sit. hoc sensu. Quamuis Cometes, utpote igneus, naturali cursu ad superiora moueatur, tamen materia alimenti deficiente retroit, descenditq; in aëra humiliorem, & crassiorem, pa-

» stum sequens. Senecæ non ita multo post. Huc itaq; descendunt inui-
» tante materia, non itinere. quamuis non hæc sit opinio Senecæ. Item infra. In diuersum illi Claudiano circumactum.) Lego Circumactus. Item. Videlicet ille humiliora habuit.) Legendum Humidiora. Item. Et ibi se subduxit.) Vetusti códices addunt Oculis.

EX CAPITE XXII.

Quam quæ natura ne unquam excuterentur aptauit.) Vetus lectio Quam quẽ natura ne unquam excuteretur aptauit. bona est utraq;, sed uulgata probior. sensus autem est. Cometas in aëre uago, & fluido locum habere non posse, qui tam pertinaciter suis sedibus hæreant, quàm illi sempiterni ignes, quos natura partim cœlo, partim suis orbibus ita affixit, ne unquam excuterentur. Cometas itaq; certos, & perpetuos ignes à natura aptatos credibile esse.

Ex cápite

EX CAPITE XXIII.

Sic quæ tranſuerſæ dicuntur ſtellæ cadentes.) Vetus lectiocõmodior uidetur. Sic qua tranſuerſæ ducuntur ſtellæ, & cadentes. ſed hoc arbitrarium ſit. Item paulo infra. Cometes poteſt ſic altum habere circulum, ut modo in hunc parte aliqua ſui incidat.) Videtur eſſe Legendum. Cometes poteſt ſic latum habere circulum, ut in hunc tamen aliqua parte ſui incidat. neq; enim altitudine, ſed latitudine potius Cometarum circulum à Septentrione, ubi fere Cometæ uiſuntur, ad Zodiacum uſq; extendi, & aliqua parte in eum incidere credibile eſt.

EX CAPITE XXIIII.

Vt in multa itinera diuiſus, hinc non unam deterat ſemitam.) Vetus lectio Vt in multa itinera diuiſus hinc &, nec unam deterat ſemitam. Vnde legendum arbitror. Vt in multa itinera diuiſus ſit, nec hãc unam deterat ſemitam. Item paulopoſt. Quæ minime uacuũ, & inertem eſſe patiuntur.) Vetus lectio Quæ aëra minime &c. Item. Quinq; ſtellas eſſe.) Lego ex uetuſtis codicibus Quinq; ſolas eſſe.

EX CAPITE XXV.

Nondum teneri legibus cæteris.) Scribo Certis. Item infra. Qui nullam ſtellam.) Lege Qui ullam. Item. Quæ nõ tenor.) Vetus lectio Quæ nunc tenor. Item. Alia ex diuerſo.) Vetuſti codices ex áduerſo.

EX CAPITE XXVI.

Vt certo tempore intuentes afflent.) Vetuſti codices Vt certo tempore uel inuentis intuens afflant. Vnde legendum arbitror. Vt certo tempore illis inuentis afflet, uel, illas inuẽtas afflet. Certo enim tempore, certiſq; partibus cœli Sol deprenſas ſtellas afflat, propelluntur q; aut in ſummas, Sole ſubeunte abſidas, aut ſuperueniente in imas deprimuntur. Quod ſupra in præfatione primi uoluminis Seneca his
» uerbis notauit. Obſeruat, inquit, ubiq; quæ ſtella primum terris lu
» men oſtendat, ubi culmen eius ſummum, qua curſus ſit, quouſq; deſcendat. Vbi ſi Proximum, non Primũ legeres, clarior, & uerior forſitan lectio eſſet. Proximæ enim ſunt terris ſtellæ, & altitudine & latitudine in Occaſu ueſpertino. contra uero in Exortu ueſpertino altiſſimæ, & remotiſſimæ à terris utraq; ratione, & altitudinis ſcilicet, & latitudinis. A matutinis enim, primiſq; ſtationibus (quas Saturnus, Iupiterq; facit in triquetra, ſeu triangula forma à partibus CXX. Mars uero, quippe Soli propior, etiam in quadrato à partibus LXXXX.) Solis radio pauſæ rectum agere curſum pro-

hibentur, & ignea ui in ſublime, abſidumq; altitudinem ſubire co-
guntur. Deinde progrediente radiorum uiolentia retroaguntur, dimi-
nuiturq; ſemper motus, ac detrahuntur numeri uſq; ad alterum ab
altero latere triquetrum, ubi faciunt ſtationes ueſpertinas, ſeu ſecun-
das. Itaq; harum trium ſuperiorum ſtellarum (nam Veneris, Mer-
curijq;, quæ infra Solem ſunt, penè contraria ratio eſt) à primis
ſtationibus ad ſecũdas adeo diminutus eſt motus, ut intuẽtes fallant,
ſtareq; credantur, ac multo magis in exortu earum ueſpertino,
cum minimo motu feruntur, propterq; nimiam ſublimitatem uix
cernuntur, expulſæ ſcilicet in ipſos ſummarum abſidum uerticẽs, to-
to ſole à partibus CLXXX. aduerſo, ac diu in nullam partem
ſtellam propellente, ſed totis per dimetientem aduerſis radijs, in ar-
ticulo ſummæ abſidos ſydus urgentibus. Hoc ergo tempore maxime
pertinaciter ſtare uidetur, intuentesq; fallit, & præſertim, ſi id
in Septentrionalibus ſignis, quæ altiora ſunt, euenerit. Quare hic
quoq; forte legendum erit. Vt certo tempore uel intentius intuentes
fallant. Quæ mihi uidetur ueriſſima, & germana lectio, conue-
nienſq; tam præcedentibus, quàm ſequentibus. confirmat maxime
hanc lectionem exemplum quod ſequitur de nauibus. Syderum ue-
ro ſublimitatem, uel humilitatem facit etiam abſidum, ſeu circulo-
rum eccentricorũ uaria poſitio. præterea obliquitatis, latitudinumq;
Signiferi ratio, per quas ſtellæ euagantur nunc in Auſtrum de-
ſcendentes, nunc in Septentrionem ſubeuntes.

EX CAPITE XXVII.

Quomodo nihil prohibet? ita ſydera eſſe.) Legendum ſine interroga-
tione. Quomodo nihil prohibet iſta ſydera eſſe. Item infra. Intra
breuiſſimum tempus Aries excolitur.) Legendum Extollitur. Item.
Libra tardiſſime mergitur.) Legere malim Emergit. ſequitur
enim, Hoc diu proferatur. Videtur loqui de ortu utriusq; ſigni, quàm
uarius ſit, illius uelox, huius tardus. Hæc autem inæqualitas in
emerſu ſyderum, uel ſignorum ſit ſecundum quod recta, uel obli-
qua emergant. Item paulopoſt. Vides enim ſimillima eſt illa.)
Sic in omnibus. Legendum tamen arbitror Vides quàm diſſimilli-
ma eſt illa. Item paulopoſt. Alia moroſiora.) Vetera, uulgataq;
exemplaria Maiora, non Moroſiora, & certe Moroſiora abhor-
ret à ſenſu, neq; enim idem ſignificat, quod tardiora, ut arbitra-
tus eſt ille, qui hoc uerbum appoſuit. Nam moroſum, moroſa,
& inde moroſiora, non à mora, ſed à moribus deducatur. mo-
roſus enim dicitur, qui habet multos ac uarios, diſcordesq; &

inter

inter se contrarios mores. Item capite XXVIII. *Ex quo apparet illum non ex proximo.*) Vetus lectio Non ex *improuiso, & rectius forsitan.*

EX CAPITE XXIX.

Non *desijt in rectum assidue celerior ferri.*) Legendum Celsior ferri. *Seneca supra de eodem. Ille enim, inquit, a Septentrione in uerticem surgens. Item infra. Quæ an uera sint dij sciunt.*) Legendum *ex uetustis non* Dij *sciunt, sed* Discutiant *quibus est sententia ueri. supra quoq; Contenti, inquit, sumus inuentis, aliquid ueritati & posteri conferant.* Discutiant *autem hoc sensu dixit, ut palàm disputent, & exquirant, quos ea cura tenet. sequitur enim,* Nobis rimari illa et coniecturare in occulto tantum licet. *Illud enim dictum* Dij sciunt, *puerile & putidum est, neq; huic loco conueniens. Tragici solent ad aliquem deum confugere, ubi explicare argumenti exitum non possunt, atq; ubi aliquis dignus uindice nodus inciderit.*

EX CAPITE XXXI.

Multa *præterea cognata nimium summo.*) Lege Numini *summo. hoc est deo. Item paulopost.* Ne quidem hæc multa, uenientis æui populus.) Legendum *uidetur ex uetustis codicibus, ut sensus constet,* Ne hæc quidem multa. Multa uenientis æui populus ignota nobis sciet. *hoc sensu.* Multa quidem hoc primum seculo cognouimus, sed longe plura cognoscent posteri. ex ipsius enim naturæ sacrario interiore quælibet ætas habebit, quod promat. *Item infra.* Vtiq; si labor cessat.) Ita legendum, distinguendumq; est, ut hæc uerba ad præcedentem clausulam pertineant. In quod autem inchoet sequentem. *Item paulo ante.* Ex quibus hæc ætas.) Scribendum. Ex quibus aliud hæc ætas. *Item.* Non ambulamus sed incedimus.) Vetus lectio commodior. Non ambulamus, sed repimus. Cicero de officijs. Cauendum est autem ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut simules pomparum ferculis esse uideamur. *Item.*

Aut traducatur.) Vide ne legendum sit, Vt traducatur. hoc est dedecoretur, & deturpetur, atque infamia afficiatur. ut apud Iuuenalem.

» Squalentes traducit auos.- Seneca XVI. Epistolarum,

» Volo luxuriam obiurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi. Item infra. Et locatus ad mortem infamiæ armatur.) Vetus lectio In fame armatur. neq; displicet, subiungitur enim, Egenus etiam, in quo morbum suum exerceat, legit.

EX CAPITE XXXII.

Quis philosophum.) Lege Philosophiam. Seneca libro XV. Epistolarum. In Rhetorum, inquit, ac Philosophorum scholis solitudo est,
» atqui celebres culinæ sunt. Idem libro XI. Cogito mecum, quàm
» multi corpora exerceant, quàm pauci ingenia, quantus ad spectacu
» lum non fidele, & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes
» bonas solitudo, quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos, humeros q; miramur. Item paulo post. *Sine successione deficiunt.*) Vetusti codices sine successore. Item mox infra. *Academici ueteres, & minores*) Rectius forsitan legeretur Iuniores. Item. *Vt detur latus.*) Legendum ex antiquis codicibus Vter det latus illis. Item.

Transitur ad galeam.) Vetera, recentia q; exemplaria forsitan
» rectius Galeam. dixit enim. Deinde sub persona cum diu trita frons est. Nam prius & uiri & fœminæ impudentiores exercebantur sub persona, deinde, quasi ad ueram arenam se præpararent, sub galea. Iuuenalis libro II.
» Quem præstare potest mulier galeata pudorem?
Idem paulo post.
» Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
» Et quanto galeæ curuetur pondere.=
Hæc fœminarum impudentia eò progrediebatur insaniæ, ut aliquando in ueram arenam, ueram q; pugnam prodire auderent, & cominus Apros, Leones, Vrsos, & alias id genus feras in arena confícere. Iuuenalis libro I.
» = Cum Meuia Thuscum
» Figat aprum, & nuda teneat uenabula mamma. Item
Martialis primo Epigrammaton
» Belliger inuictis quod Mars tibi sæuit in armis,
» Non satis est Cæsar, sæuit & ipsa Venus.
» Prostratum Nemees & uasta in ualle Leonem
» Nobile, & Herculeum fama canebat opus.
» Prisca fides taceat, nam post tua munera Cæsar
» Hæc iam fœminea uidimus acta manu. Papini. in Syluis
» Stat sexus rudis, inscius q; ferri,
» Et pugnas capit improbus uireles.
» Credas ad Tanaim, ferum q; Phasim
» Thermodontiacas calere turmas.
Refert Suetonius Domitianum non modo uirorum, uerumetiam fœminarũ pugnas edidisse. Cum hæc proderem, consului iudicia ui=

ri in utraq; lingua eruditissimi tum de alijs, tum præsertim de illo Senecæ loco libro primo, capite XV. Quæ asparsoplecta Græci uocant. quid loco illius uerbi Asparsoplecta legendum censeret. Tardius, quàm uolebam, & iam formatis excusisq; primi libri annotationibus respondit his uerbis. Ex Aristotelis libro de mundo, » conijcere possumus, & ex eo præcipue loco, ubi de fulminibus agit, » legi oportere Apyroplecta. uel Apresteroplecta. ut sit uel ἀπυρόπλη- » κτα. uel ἀπρηστυρόπληκτα. Quæ uerba uel præposterè, quando suo loco non licuit, reddenda censuimus, ne iudicio hominis doctissimi legentes defraudaremus. In eodem libro primo capite V. de speculis & nubibus sic legitur. Cum illæ non perlucæant, hæc transmittant lucem? Illæ densæ & coactæ, hæc rara sint?) Verior uidetur esse lectio, si legerimus. Cum illa non perlucæant, hæ transmittant lucem? Illa densa & coacta, hæ raræ sint? Hanc lectionem & lex ipsa dicendi, et ueritas requirit. specula enim sunt densa, ideo non perlucent. Nubes uero & raræ sunt, & lucem transmittunt. » Seneca infra capite VIII. de Sole & nube. Cũ radios transmittere » soleat, & omnem densitatem perrumpere.

FORTVNATVS LECTORI.

Non est quærendum Lector candide, quot loca corrupta, & depraua ta, sed potius quot sincera, ac integra in istis Naturalium rerum quæstionibus fuerint ante, quàm nostro labore, & industria, uetustissimorum codicum auxilio restitutæ essent. Nam si scrupulatim rationem colligere uoluerimus, maior profecto illorum, quàm istorum numerus pullulabit. Ita fœde omnia erant infecta, deformata, & in labem tracta, ut nihil inoffense legi potuerit. Mirari non sufficimus, quibus tantum de nobilissimo, & grauissimo authore licuerat. Siquis nostram recognitionem cum exemplaribus hactenus impressis, diligenter contulerit, inueniet certe multa millia locorum in tam paruo opere à nobis restituta. Nullum enim locum, ac ne uerbum quidem inexcussum reliquimus. Laborauimus, fateor, omni cura, & diligentia, ut hoc nostro labore, omnis labor, ac fastidium legentium tolleretur, atq; omnia ita complanarentur, & leuigarentur, expolirenturq;, ut ne minima quidem asperitas relinqueretur. Quod quantum effecerimus aliorum sit iudicium. scio id me magis uoluisse, quàm præstitisse. neq; enim omnia consequimur, quæ uolumus. Illud audeo citra suspicionem arrogantiæ

pollicëri, has Quæstiones naturales ex nostra recognitione nitidiores, & sinceriores in lucem prodire, quàm à multis seculis prodierint. Videbis studiose lector quamplurima exoleta esse renouata, subsultantia resecta, adulterina remota, legitimus in familiam restitutis. confusa in ordinem redacta, præposteru suo loco reddita, truncata, & necessarijs membris priuata, ad integritatem perducta. Supplemimus enim non uerba tantum, uerumetiam integras sententias. Creuerat in immensum labor. Nam & uetusti codices mendosi sunt omnes, habentq; varias, & nonnunquam contrarias lectiones, in quibus difficilis est & electio & diuinatio. Nunc ego facile intelligo quantum debeant omnia tempora Aldo Manutio assertori, & Camillo utriusq; facundiæ maximo, cuius excellenti uirtute, laboribusq; immensis effectum est, ut uirtutum studia colantur. Hic amissa iampridem eloquentiæ ornamenta reparauit. huius diligentia extinctum Græcæ Romanæq; gentis lumen reuixit. Incredibile profecto est, si uero iudicio æstimare uolumus, quanto labore, & industria, quanta ue cura, & diligentia, uir ille ingens, dono quodam prouidentiæ genitus, & supra mortalium naturam euectus, tantum scriptorum utriusq; linguæ à tenebris reuocauerit, & ab infinitis erroribus, quibus temporum iniuria, & librariorum uitio oppleti erant, uindicauerit. Incredibile etiam quantum omnibus seculis tam pio labore, ac munere profuerit. Sed quamuis magna, totiq; posteritati celebranda fecerit, parua tamen præ illis, quæ diuino animo concepta ad utilitatem mortalium moliebatur, magnoq; & pio conatu iam multos annos parturiebat, uidentur. Hoc ipsum, credo, aduertens sæua, & importuna mors properauit pulcherrimo conatui obstrepere, & obsistere, ipsumq; tantæ molis opificem ex altissima immortalitatis specula deijcere. Nimirum in eos solet uiolentius, atq; acerbius sæuire, quos nouerit immortalia, suisq; legibus non obnoxia facere, ac moliri. Sed in Aldo, cuius nomine audito semper instaurator literarum intelligitur, non omnino ex uoto processit detestandum truculentæ mortis consilium. uiuit enim Aldi gloria per orbem, quem ipse meritis impleuit. uindicata est ab iniuria obliuionis eius memoria. celebratur, ac celebrabitur, dum erunt literæ, fama tanti in omnia tempora meriti. Nulla erit tam surda & tam ingrata posteritas, quæ summis laudibus in cœlum non ferat tam insignem in literas, humanumq; genus pietatem. Post mortem Aldi hoc egregium iuuandi homines, bonasq; literas institutum, ac munus quasi hæreditarium, & singu-

lari dei immortalis beneficio Asulanæ genti datum, susæpit Andreas Asulanus socer Aldi, uel hoc unico pietatis testimonio uir maxime insignis. Accessit cohæres, et particeps huius pij muneris Franciscus Asulanus Andreæ F. iuuenis ingenij, animiq; dotibus ornatissimus, cuius animum succendit eximiæ laudis amor, & uirtus æmula pectus eius peracuit. Incitat eum Aldi gloria, & imago oculis proposita, stimulat iuuandi omnem ætatem ardens studium, insignis amor, & memoranda pietas. Non impensis, non laboribus, non uigilijs parcat, ut omnem uetustatem ab Orco reuocet, & uindicet ab omni situ & squalore. Huius egregios conatus tum alijs studijs, tum uetustorum exemplarium inquisitione iuuare debent omnes, qui Reip. literariam saluam uolunt. Nostra enim ætas hoc genere studiorum maxime indiget, ut antiquorum scripta quamcastissima habeat. quandò deest nobis felicitas noua inueniendi, quæ in aliqua parte uetustatem imaginentur. Nos primo eius studij iuuandi causa has Naturales Senecæ grauissimi philosophi, & optimi uirtutum, formandorumq; ingeniorum magistri quæstiones, ab omni squalore, quo obsitæ erant, præter pauca admodum loca, repurgatas, tanquam præludia nostri laboris dedimus, mox Plinium, in quem iampridem molimur, daturi. plerosq; alios suæ lectioni nostro labore & diligentia, præsidioq; uetustissimorum haud dubiæ fidei exemplarium tum restitutos, tum restituendos (faueant modo numina cœptis) dabimus. idq; maiore diligẽtia sumus facturi, si uiderimus hæc nostrorum studiorum progymnasmata non ingrata studiosis esse. In quibus, ut erraverim, legentes tamen non decepi, indicata cum fide uaria lectione, ut quam uellent sequi magis probantibus liberum esset. Vbi uetus lectio suspecta erat, secuti sumus uel rationem, uel historiam, uel authoritatem, coniectura modice usi. Quædam aperta, & nuda, suaq; luce clara, annotare tantum inter agnoscentes satis esse duximus. Alioqui neq; tempus hoc bimestre, quo hæc, & quidem succisiuis tantum horis curauimus, sufficiebat ad excutiendas bibliothecas, ut cuncta authoritate firmaremus. Quare, ut in opere tumultuario, tuum erit Lector carissime & cognoscere errores, & ignoscere, non me maledictis onerare. Scio nonnullos errores non mea culpa, sed impressorum præcipiti consilio factos esse. hæc enim est cõmunis labes omniũ librorum. Distinximus autem quenq; librum per capita, ad distinctionem uetustorum exemplarium, ut facilius ea, quæ notata essent, inuenirentur. Annotauimus uero loca deprauata ex his exempla-

ribus, quæ nuper ab Eraſmo Roterodamo maximo bonarum literarum aſſertore & principe recognita, & in Germania Baſileæ ſeptimo ab hinc anno impreſſa ſunt. quæ caſtigatiora inter cætera uulgata, ut ſunt, credidimus. atq; ea tantum, quæ Eraſmum, qui primus aliquam lucem in Senecam aperuit, ſpemq; dedit poſſe illum emendari, præterierant, quæ propè infinita ſunt, quoad licuit reſtituimus. Ille enim iandudum ad faſtigium uſq; euectæ famæ ſecurus, negligentius iſta, ut ſua curatione minora, tractauit, alioqui, certo ſcio, noſtro labori conſuluiſſet. Vale. IIII. Nonas. Auguſti. M. D. XXII. FINIS.

Errores, qui inter imprimendum inciderunt, qui alicuius momenti uiſi ſunt emendauimus. reliquos tute lector cariſs. emendabis. Hic autem uerã tantũ ponimus lectionẽ, quomodo legi debeat, ut tu expuncta erronea, ſic legas, ut infra notauimus. Horũ uero triũ numerorũ, primus oſtẽdit carthã, ſecũdus paginã carthæ, tertius uerſum paginæ.

an mundus. Liceat		Ita illic	8.2.19	influxit	25.1.5
cartha 1. pagina 1.		tempeſtas	8.2.32	fluminum	25.1.25
uerſu	23.	Cypariſſiæ	9.2.9	ſentiant?	25.2.9
poſſit,	2.1.25	circundedit.		flãma, &	26.2.37
reſpõde, ſatius	2.2.3	Et	10.1.22	Cappadocia	30.1.5
colores,	4.2.1	immolãdus	10.2.11	Cutyliarũ	30.1.27
ſingulis	4.2.15	conſiſtit	11.1.17	Ambracij	33.2.9
cum illa non plucãt, hæ tranſmittant lucẽ? Illa denſa et coacta, hæ raræ ſint?	6.1.17	materiæ	12.1.18	Aegyptum	37.1.15
		quo deprimatur	14.2.4	ueniret	37.2.39
uelut duro corpori	6.2.1	ingeſta ex deſtinato	18.2.15	cuſtodiunt	41.1.23
dum enim particula ſupflue eſt appoſita.		omnium	18.2.21	lucæ	42.2.39
perbreuem	6.2.3	aut non	18.2.39	extenditur	43.1.35
cũ aduentat	6.2.23	uenit, ſed tñ	19.2.6	circumlatæ	44.1.10
multo	6.2.29	ne fulmen	20.1.13	obiectu retunditur	47.2.7
interitus.	7.1.1	ut peregrinationem	21.1.17	maxime appareat	49.2.27.
multiplex	8.1.13	impetu	21.1.29	Quæ ſiquando	50.2.26
exhibendam	8.2.14	natura	22.2.2	Calliſthenes	54.2.16
		Ita'ne ſalus	23.1.3	ita ubiq; ſcribendum	
		te Iunior	24.2.2	propria	55.2.38

oro te 57,233
cingunt, intra 61.2.7
caput XVIII.
62.2.30
non idem 62.2.31
poteſt 63.2.27
Græcia 64.2.8
orationem. 68.2.14
clariſſimi 69.1.6
interpolari 70.1.11
ὀξυοπίαν 73.1.12
Effuſurus 79.1.9
connexa 80.1.21
quod & ſentinã ſigni
ficat. hæc tria uerba
ſuppſiue addidit chal
cographus ex mar-
gine aliunde acce-
pta. 81.1.5
συλλήβδην δὲ 82.1.29
φοράς 84.1.6
Arellius Fu-
ſcus 90.2.13
EX EADEM
91.1.14.& .24. hic
error in paucis tan-
tũ exẽplaribus eſt,
cum pila atramenti
tenacitate euelliſſet li
teras, & impreſſor
alias repoſuiſſet.
flumnum 93.2.33
codicibus 96.2.6
Galatia 98.2.33.
(& .27
interpolata 101.2.
(30. & .104.1.23
ſpectatorũ 108.1.32
ſerenandi 112.1.13
fluens 114.2.9
ſuſpenſa 120.1.17

Dum chalcographorũ errores ꝓquirerẽ, incidi in quædã fugitiua man cipia, quæ me prius latuerant. Hæc tibi nũc ad tuũ arbitriũ pœnas datura lector expono. capite. 53. libri. 2. Quod in fulminis inſpectio ne.) Videtur eſſe legendum Quod fulminis inſpectione. abſq; præpo ſitione. cap 7. lib. 3. Putei in altũ actũ.) Forte legendũ Puteis in altũ actis. cap. 15. lib. 3. Aut ictus, aut quaſſatio.) Arbitror legi debere Cum aut ictus, uel, Quando aut ictus. In calce Tertij libri. Iterum aquas terra ſorbebit, terrã pelagus ſtare, aut intra &c.) Forte ſcri-bendum Iterũ aquas terra ſorbebit, pelagusq; ſtare, atq; intra ter-minos ſuos furere coget. Cap. 2. lib. 4. In unam partẽ ſemper pro-nus, et torrens.) Forte legendũ Sed in unam partẽ &c. Cap. 2, lib. 6. Imperitis fit magna ex deſperatione ſecuritas.) Rectius forſitan In peritis, ut ſint duo uerba. Cap. 6. lib. 6. Siue illud Oceanum uocas.) Aptius uidetur legi Siue illũ Oceanũ. Cap. 25. eiuſdẽ. Ladon flu-men inter Elim & Megalempolim.) Plinius lib. 4. Megalepolim. Strabo lib. 8. μεγαλόπολιν ubiq;. Hæc urbiũ Arcadicarũ ampliſſima eſt, unde et nomen. Hanc ab Homero Oechaliã appellari dicit Stra bo. Cap. 6. lib. 7. Hoc unum intereſt, quod illi turbines.) Hoc uerbum Turbines otioſum eſſe uidetur. Cap. 28. eiuſdem. Et compreſſa legi-bus mundi.) Quamuis et uetuſti codices hãc lectionẽ habeãt, ego ta-men malim legere Cõprehenſa, quàm Cõpreſſa. Cap. ultimo eiuſdẽ ſeptimi, cur dicat inuidioſam turbã Pythagoreæ ſcholæ, te quærere Lector amice uolo. item cap. 41. lib. 2. quiſinã Inuoluti dij. ne omnino otioſum te relictum exiſtimes.

ELENCHVS, SIVE INDEX RERVM NOTABILIVM QVAE IN HISCE ANNOTATIONIBVS CONTINENTVR.

Aβατος petra Nilum diuidens. capite. 2. libri. 4.

Abſides ſummæ imæq; 26.7

Acclinatio genus terræmotus 21.6

Adoleſcentiam à Venere agi 32.3

Adulatores polypos dici prologo. 1.

Adulatores à Græcis apte ſcolecas uocari ibidem

Adulatores coruis peiores eſſe, prologo. 4.

Adulatores ſummopere cauendi ibidem

Aegine. 25.6

Aegyptum Nilo pingueſcere 2.4

Aegyptum totã fere à Nilo conuectã 27.6

Aëre colliſo, uel fricto maiora minora'ue edi lumina 1.1

Aërem omnia penetrare 9.2

Aëris imam partem calidiorẽ eſſe 10.2

Aëris miraculorũ aliqua apparere, aliqua ſubſtare 12. & (55.2

Aëris ſumma pars tenuior calidiorq; 14.2

Aeſtus maris ſenis ſemper horis accedere et recedere 28.3

Aeſtus æquinoctialis qui dicatur. 28.3

Aeſtus maiores minores'ue qua ratione fiant 28.3

Aetates ſeptem, Planetis totidẽ ſubeſſe 32.2

Aeterna contrario cãrere 13.2

Aetheris ima pars dẽſior frigidiorq; 14.2

Africus uentus 8.5

Alba pecude bonam Tempeſtatem propitiari ſolitũ apud ueteres 6.4

Alexander ſagitta ictus 20.3

Alexandri dictũ memoria dignum 20.3

Alexander Stygis aqua necatus 25.3

Alexãder conſilio Ariſtotelis necatus 25.3

Alpheum in Arethuſam permeare 26.3

Alpheũ Elidis fluuiũ in ſe iacta i arethuſa reddere 26.3

Altani uenti 8.5

Ambracia oppidum 29.3

Amicarũ proteruitas grata prologo. 4.

Anaphoræ 32.2

Anaxagoræ de igne nubiũ opinio 12.2

Anaphyſema 13.5

Animal ex igne gigni 6.5

Animum cœleſtem originem habere 56.2

Anni temporum uices, ſyderum accẽſſu & receſſu fieri 32.2

Anteluciani flatus 8.5

Antipheron Oretanus 3.1

Antlia trahendæ aquæ inſtrumentũ 9.2

Aparctias uentus 8. & 16.5

Apeliotes uentus 8. & 13.5

Apheliotes idẽ ibidẽ

Apis natales 2.4

Apogæi uenti 8.5

Apoteleſmaticorũ curioſitas 32.2

Aqua ſtagnans percuſſa orbes facit 2.1

Aquari 3.1

Aquatius uinum 3.1

Aquæ tollendæ instrumenta 9.2
Aquas nullo fere pondere distare 2.3
Aquæ collectitiæ 7.3
Aquarum differentiæ 7.3
Aquas subterraneas foraminibus quibusdã cõfluere 19.3.et.2.4
Aquarum medicinæ 20.3
Aquam sine igni fervere 24.3
Aquæ in quibus nihil mergitur 25.3
Aquis pluuijs tenuissimæ 25.3
Aquis pluuijs Crystallum gigni 25.3
Aquas pluuias probari 25.3
Aquarum pluuiarũ genera & differentiæ 25.3
Aquam maris noctu percussam scintillare 55.2
Aquilo 8.5
Araxes fluuius 16.6
Arcessere et accersere eiusdem significatus 49.2
Arcus cœlestis uarijs coloris 2.1
Arcũ non tantũ duos habere colores 3.1
Arcum duobus coloribus duo iudicia exprimere 3.1
Arcus pluuiarum uel serenitatũ idices 6.1
Arcũ tauri caput habere 6.1
Arcum bibere 6.1
Arcum ἵππιον a Græcis dici 6.1
Arcum nunquam in circulum iungi 8.1
Arcus colores apparentias esse 12.2
Aretissa lacus Armeniæ 25.3
Arethusam cũ Olympia celebrantur fimũ redolere 26.3
Arethusa fons Syracusanus 16.3
Ἀρρῆτες fulminum genera 14.1
Argestes uentus 8.5 (&.16.&.17.5
Aristotelis cõsilio necatus Alexãder 15.3
Artificũ spectabilior ars in minimis prologo 1.
Artium bonarum negligentia 32.7
Aruspicũ uanitas 32.2
Asphaltites lacus Iudææ 25.3
Atalãtis insula 24.6
Aterranei uenti 8.5
Atlantis insula 24.6
Atram bilem quid generet 23.4
Atterranea fulgura 49.2
Auaritiæ reprehensio 17.1
Aurum ad uitæ perniciẽ repertũ 17.1
Auster 8.5

B

Balineas sine igni cale fieri 24.3
Belus Assyriorum rex 29.3
Belus Iupiter 29.3
Belus syderalis scientiæ inuentor 29.3
Berosus 29.3
Berosi statua inaurata lingua 29.3
Bilis atra & flaua 23.4
Boleti inter opimos cibos 13.4
Boletus uoluptuarium uenenum 13.4
Boleti ueneno suspecti 13.4
Boreas sudificus 4.4
Boreas uentus 8.5
Brastæ terræmotus 21.6
Bura & Helicæ submersæ 23.6

C

Caligula prologo 4
Calamnæ insulæ 25.3
Calorem in omnibus mũdi ptibus esse 5.2
Calore omnia nutriri 10.2
Caloris naturam uim uitalem

uitalẽ habere 10.2
Canaliculi in cõlum=nis 7.1
κανονικὴ pars Geometriæ 6.2
Captatores prologo 1.
Cataclysmus 13.3
Catægis 17.5
Cataractæ Nili 2.4
Caurus uẽtus 8 & (17.5
Cauſas rerum cognoſcere felicitas eſt præfatione.
Cayſter uel Cayſtrus fluuius 2.4
Cæcias uentus 8.5
Celonium aquæ trahendæ inſtrumentum 9.2
Chaſmata 14.1
Chaſmatiæ genus terræmotus 21.6
Cherroneſus Cariæ 25.3
Chomata Nili 2.4
Chriſto patiente terræ motus maximus 1.6
Chriſti natalem cometes prænũcians 17.7
Cixnia aquæ trahẽdæ inſtrumentũ 9.2
Claudius princeps ueneno boleti necatus 13.4
Climactericus periculoſus 32.2
Cœlũ ſingulariter tantũ inflecti prologo 1
Cœleſtium obſeruatio à quibus primum celebrata, præfatione
Colorẽ animaliũ quæ cauſa mutet 5.1
Colorũ uarietatem lucem facere 5.1
Columbæ Veneri ſacræ 5.1
Columbarum pennæ plurium colorũ 5.1
Cometas aliquando mortes principum prænunciare 1.1
Cometarũ facies 2.7
Cometas aliquando ſenis menſibus apparere 2.7
Cometes qd ſit ex Democriti opinione 3.7
Cometes Iulij Cæſaris 17.7
Cometes Romæ cultus 17.7
Cometes Chriſti ſaluatoris natalem prænuncians. 17.7
Cometas paſtum ſecutos in humiliorem aëra deſcẽdere 21.7
Cometas Seneca ppetuos credit ut cætera ſydera 22.7
Cõiectura fallax 6.1
κοίλω obſcœnæ interdũ ſignificationis, ut præcido apud Latinos 4.4
Coronarũ triplex habitus 2.1
Coronæ cœleſtes nũc turbidi, nũc tranqlli aëris indices 2.1
Corus uentus 8.5
Coruſcatio 12.2
Corycus mons 11.3
Cretenſes mendaces. prologo 4.
Crocodilos pro Nilo tanquam pro regno dimicare 2.4
Crocodili Tentyritas fugiunt 2.4
Cryſtallus ex aquis pluuijs 25.3
Cutyliæ lacus 25.3
Cypariſſiæ ignes prodigioſi 15.1

D

Decrepitam ætatem à Saturno agi 32.2
Delphinos prolem.X. meſs.geſtare 2.4
Delphinos æſtate ſemper parere 2.4
Delphinorum uelocitas 2.4
Delphinos uela nauium tranſilire 2.4
Delphinos cõiuges uagari 2.4
Demptanea fulgura 49.2
Diacopi Nili 2.4
Diei cuiusq; in.XII. horas diuiſio 28.3
Diluuiũ uniuerſæ terræ fieri non poſ=

se 13.3
Diogenis dictum de adulatoribus prologo 4
Dracones qui dicantur 24.3
Dracones Vitiũ 24.3
Dracones balinearum 34.3

E

Eccentrici circuli 26.7
Εὐροκλύδων, uentus 8.5
Ecnephiæ uenti 8.5
Ecnephias procella 12.5
Ecnephias uibratus 12.5
Ecpyrosis 13.3
Elementa inter se mutari 15.2
Eloquentissimi q fuerint præfatione.
Eluuio terrarũ 13.3
Empedoclis de igne nubium opinio 12.2
Enneades annorum 32.2
Εὐροσίγαιος, & ἐνοσίχθων Neptuni epitheta 3.& 23.6
Epiclintæ terræmotus 21.6
Eraſinus amnis terras ſubit 26.3
Eteſiæ imbecilliores 16.5
Eteſiarum flatu Nilũ creſcere 2.4
Euronotus 8.5
Eurus 8.5
Exhydriæ uenti 8.5
Exta 32.2
Exuſtio terrarũ 13.3
Εὐνοτία 8.5

F

Fati legem inuictam eſſe 34.2
Fati neceſſitate omnia fieri 29.3
Fatum an ſit mutabile 35.2
Fati legibus mundum obnoxium eſſe 29.3
Fato regi uitam hominis 29.3
Fauonius 8.5
Ferri uſum innoxiũ aurum nocere docuit. 17.1
Fidei lapſus ubi pronior 20.3
Flãmæ crepitus 12.2
Flãmæ ex mari erũpentes 21.6
Flumina in defectu aliorũ creſcẽtia 1.3
Flumina omnia à mari ſine ſenſu abſorberi 27.3
Fœminas in arenam prodire 32.7
Fortunatæ ĩſulæ 28.3
Fortunatarũ inſularũ ſitus 28.3
Fulgẽtra 12.2
Fulgores cœleſtes 15.1
Fulgura & fulmina ferè idem 39.2
Fulguratio 12.2
Fulgurita dici fulmine tacta 21.2
Fulgurũ genera 49.2
Fulmen 12.2
Fulmen clarum 40.2
Fulmen quæ cauſa in terras deprimat 24.2
Fulmen q̃ alte in terram penetret 2.6
Fulmen oblique ferri 58.2
Fulmina ab Hetruſcis dici fulgura 39.2
Fulmina cur in obliquũ ferantur 14.2
Fulmina familiaria 47.2
Fulmina duplici motu agi 14.2
Fulmine cur innoxij petantur aliquando 42.2
Fulminum differentiæ et genera 40.2
Fulminum ſignificationes nullas eſſe 39.2
Fuſca ubi naſcuntur omnia 25.3

G

Galatia 25.3
Gallio frater Senecæ prologo 4
Garum quid ſit 17.3
Garum Sotiorũ 17.3
Genethliaci 32.2
Genethliacorum uanitas 32.2

Genitura

Geniturae obseruatio 32.2
Gnidus oppidum cariæ 19.& 26.3
Grando 6.4
Grossi fœrum & in singulari grossus 11.4
Gulam pretiosa iuuant 18.3
Gula uitæ inimica 18.3
Gylippus 1.1

H

Halituum duo esse genera 12.2
Hebdomades annorum 32.2
Hellespontion uentus 17.5
Helicia fulmina 14.1
Helicæ & Bura submersæ 23.6
Hemus mons 11.3
Heraclea Latmia 19.3
Herculaneum oppidum 1.6
Hetruscorum scientia circa quæ uersatur 41.2
Hiatus 21.6
Hieme terra calidior 2.4
Hirundines Nilo aggerem opponere 2.4
Hominem natura ipsa ad cœlestium rerũ contẽplationem formauit præfatione.
Hominum mentibus quæ res potissimum religionẽ incutiant. præfatione.
Horarum differentiæ 28.3
Horas pares in sexaginta momenta distribui 28.3
Horæ æquinoctiales 28.3
Horæ æstiuæ siue solstitiales 28.3
Horæ brumales siue hybernæ 28.3
Horæ uulgares siue tẽporales 28.3
Horæ pares 28.3
Horæ pares uigesimã quartã partem diei cõplectuntur 28.3
Horis uulgaribus regiones cœli terrarumq; positiones notari solitum. 28.3
Horoscopantia signa 32.2
Horti pẽsiles prologo 1
Hospitalia fulgura 49.2
Humanum nihil diuturnum præfatione.
Humanum est errare 11.1
Humore terreno syderа, mundum, naturãq; rerũ pasci 5.2
Humores quatuor, elementis mundi assimilari. 13.4
Humorũ quatuor qualitates 13.4

I

Iapyx uentus 17.5
Iecur caput extorum 32.2
Ignem belluæ auidissimæ conferri 10.2
Ignes transcurrentes an edant tonitrua. 55.2
Ignem pascentia 15.1
Ignem in nubes peruenire 12.2
Ignem nullũ sine pastu 5.2
Ignis an possit ab æthere decidere 14.2
Ignis fœcundã rationum esse 10.2
Ignorantiæ temeritas 1.1
Imperitia proxime præteritorum seculorum 2.1
Inclinatio 21.6
Infantiam Lunæ consentire 32.2
Intensionẽ nõ esse nisi per unitatem 6.2
Inuentor syderalis scientiæ 29.3
Iouis natura 32.2
Ἰπνολέβης nasis balnearij genus 9.4
Irim triplici colore

distinguí 3.1
Iupiter belus 29.3
Iupiter ὄμβριος 2.4
Iupiter ὑέτιος 2.4
Iuuentutem à sole regi 32.2

L

Legentes à magnis uiris sæpe decipi 20.3
Leges æquitate ducuntur 43.2
Lælaps uentus 17.5
Leuconoti uenti 16.5
Leucophæa 25.3
Liberos natura, non fortuna facit præfatione 3
Libertas animi præfatione 3
Libonotus uentus 8.&.16.5
Libophœnix 8.5
Libs uentus 8.5
Literarũ inuicem mutatio 16.5
Literæ cur elementa dicantur 16.5
Literulæ unius detrimentum sensum confundere 5.4
Luæm rebus colorem attribuere 5.1
Lucilius Iunior 1.3
Ludouicus Cælius antiquarum lectionem author 3.1
Lunæ arbitrium in oceanum 28.3
Lunæ natura 32.2
Luxuria damnosissima 18.3
Luxuriæ furorẽ ingeniosum esse 18.3
Luxuriæ improbatio 18.3
Lycus amnis terras subit 26.3
Lynœstium amnẽ uini naturã habere 20.3

M

Marcus Apitius 17.3
Magnos uiros cautos esse oportere 20.3
Mare animal esse 26.3
Mare figuram orbis habere 28.3
Mare fluminum accessum cur non sentiat 27.3
Mare simile esse animali 26.3
Maria mundo esse coæua 22.3
Maria se purgantia 26.3
Maris aquam percussam noctu scintillare 55.2
Maris fluxus & refluxus uariæ causæ 26.3
Maris se purgantis ratio incerta 26.3
Marsos serpẽtibus dominari 2.4
Martis natura 32.2
Matta 6.4
Melancholia 13.4
Mente æterna omnia plena prologo 1
Mercurij natura 32.2
Messana 20.3
Messapia 25.3
Meses uentus 16.5
Meteora maximè miramur, præfatione.
Meteora quæ sint, præfatione
Meteoron scientia necessaria, præfatione
Metus insanos, attonitosq; facit 29.6
Milliariæ ollæ 9.4
Milliariæ porticus 9.4
Milliarium columna aurea 9.4
Milliarium uasis balnearij genus 9.4
Morosum à moribus deduci 27.7
Morosus quis dicatur 27.7
Mors oĩa æquat 59.2
Mors tributum mortalium 59.2
Mortali lege omnes nasci 59.2
Mortem naturæ legem esse 59.2
Mortem non timendam esse 59.2
Morte nihil certius 59.2
Mortis solatiũ 59.2
Mulierum impudentia

tia 32.7
Mullorum piſcium luxuria 17.3
Mullos in garo necari ſolitum 17.3
Mullum expirantem mutare colores 18.3
Mullum uitro incluſum ſpectari ſolitum 18.3
Mundi formæ 32.2
Mundi renouationem per exuſtiones & eluuiones fieri 13.3
Mundum eſſe animal 26.3
Mundum humore paſci 5.2
Mundum in oceano nares habere 26.3
Mylæ 26.3
Myndus 19.3

N

Naturæ ſacrarium cuiq; ætati ad promendũ ſufficit 31.7
Naturales quæſtiones utiliſſimas & neceſſarias, præfatione
Naturam humore nutriri 5.2
Nebulæ unde fiunt 12.1
Neptuni aliquot epitheta 3.6
Neptunus terræmotor 3.6
Nicopolis urbs 27.6
Nigra lana 25.3
Nigra pecude hyemi ſacrificari ſolitũ 6.4
Nili accolæ ſurdi 2.4
Nili cadẽtis fragor 2.4
Nili cataduppa 2.4
Nili cataractæ 2.4
Nili chomata 2.4
Nili fiſſurã deltam facere 2.4
Nili diacopi 2.4
Nili incrementi cauſæ 2.4
Nili maximũ minimũq; icrementũ 2.4
Nili iuſtum incrementum 2.4
Nili uerticem octo ſtadijs ſuſpendi 2.4
Nilo agger ab hirundinibus oppoſitus 2.4
Nilũ ab Aegyptijs uicæ numinis coli 2.4
Nilum Aegyptiorum colonum eſſe 2.4
Nilum diuidens petra ἄβατος dicitur 2.4
Nilus Aegyptum oblimat 2.4
Nilus Iupiter Aegyptius 2.4
Nilus Saturnius 2.4
Nilus unde dictus 2.4
Noctis cuiusq; in duodecim horas diuiſio 28.3
Nonacris 25.3
Nonarius climactericus 32.2
Notus 8.5
Nouenarij poteſtas 32.2
Nouitas rerũ, q̃ magnitudo ad excitandas hominũ mentes potentior, præfatione
Numeri decretorij 32.2

O

Oceanum mundo æquæuũ eſſe 22.3
Oceanus ad Lunæ arbitrium fluit & refluit 28.3
Oceanus Lunæ comes 26.3
Ὄλωθος 11.4
Olympia uetus 17.5
Ornithiæ uenti 16.5
Os præcidere 4.4
Oſtæ terræmotus 21.6
Oues nigras ex albis, & contra potu fieri 25.3
Ouidij locus ex primo metamor. 13.3

P

Palmatiæ 21.6
Parhelia an parelia dici debeat 13.5
Partus menſes à planetis regi 32.2
Partus octaui menſis cur nõ uitalis 32.2
Patræ 25.6
Peremptalia fulgura 49.2
Pinthiæ aquæ 25.3
Perillus ærei tauri au

chor, præfatione 4
Perillus suum taurum primus mugire docuit, præfatione 4
Pestifera fulgura 49.2
Phalaris tyrannus præfatione 4
Phasis fluuius 2.4
Philas totas oppidum eiusdem nominis occupat 2.4
Phile insula 2.4
Philosophia latinis literis à paucis culta, præfatione
Philosophiæ quale orationis genus conuenit præfatione
Philosophorũ de fulminibus dissidentes sententiæ 12.2
Philosophum quale orationis genus deceat præfatione,
Physicus quis sit 3.1
Phiala locus 2.4
Planetas partus menses regere 32.2
Planetis totam uitæ rationem subesse 32.2
Plinij locus de Castorũ stellis, præfatione
Plinij locus de ecpyrosi enarratus 13.3
Plinij locus de Fortunatis insulis 28.3
Plinij locus de Mullo prologo 3
Plinij locus de Nili auctu repurgatus 2.4
Plinij locus de aquis calidis 24.3
Plinij locus de terræmotu 25.6
Plinij locus de uentis castigatus 8.5
Plinij locus ex libro XIX. de horto rigando 9.2
Plinij locus ex libro IX. de Delphinis castigatus 2.4
Plinij tria loca exposita 28.3
Plinij locus ex libro septimo prologo 4
Πλανήτους uẽtus ferẽs 8.5. & prologo 1
Pluuiæ, grandines, niues &c. quomodo concipiantur 8.4
Pœnam in authores recidere prologo 4
Pocula speculis adornari 17.1
Pogoniæ ignes prodigiosi 15.1
Pompei oppidũ 1.6
Pontũ semper in Propontidem fluere nec unq̃ refluere 2.4
Postulatoria fulgura 49.2
Præcidi interdũ obscœnæ significationis ut πόπτο apud græcos 4.4
Præcisi q̃ dicãtur 4.4
Præster 12. et 13.5
Proxime præteritorũ seculorũ iperitia 2,1
Pruina uredinem fieri 25.3
Psyllos serpentibus dominari 2.4
Pueritiam Mercurio subesse 32.2
Pulla lana 25.3
Pullum à nigro q̃tũ differat 25.3
Purpuræ tinctura 3.1
Purpurariarũ insularum situs 28.3
Putei cur hyeme caleant 2.4
Pyctæ qui dicantur prologo 4
Pyralim siue pyrotũ ex igne gigni 6.5
Pyrenes seu nuclei digitis expressi 24.2

Q

Qualitates humorũ quatuor 13.4
quirites et í singulari declinari prologo 3
Quirites qui sint prologo 3
Quirito uerbum prologo 3

R

Recessus 21.6
Rectores reip. quales esse debent 43.2
Regalia fulgura 49.2

Rhectæ terræmotus 71.6
Rhetiæ uitis 11.1
Rhodiorũ fons purgamenta egerit. 26.3
Romanorũ religio circa exta 23.2
Rore scabiẽ fieri 25.3
Rubigo maxima segetum pestis prolog. 4
Ruris fidem incertam esse prologo 4

S

Saltares insulæ 25.3
Sarmẽta sulfurata 1.1
Saturni natura 32.2
Saturnũ bis quodq; signum repetere 4.7
Saturnus cur filios deuorare dictus 32.2
Saturnus cur osor uitæ humanæ 32.2
Saturnus oĩbus motibus uiolentus 4.7
Scíron uentus 17.5
Scironia saxa 17.5
Scorta 6.4
Scythia semp niuibus informis 2.4
Selas 15.1
Semina minuta í q̃tũ coalescant 6.2
Senecæ error 11.1
Senecæ naturaliũ quæstionũ uolumina maxime fuisse corrupta præfatione.
Senecæ nõ infelix orator grauissimus'que philosophus præfat.
Senecæ præcipue apd latinos sublima latinis literis ornauit præfatione.
Σείω uerbum 23.6
Σοί χθων Neptunus 23.6
Σεισμός 23.6
Senili ætati Iouẽ dominari 32.2
Septenarij potestas 32.2
Septentriouentus 8.& 16.5
Septimanus climactericus 32.2
Serpẽtibus qui dominantur 2.4
Siculi adulatores prologo 4
Signorũ uelocem tardum'ue ortum et occasum quid efficiat 27.7
Sinus Ambracius 24.3
Solini ingratitudo 2.4
Solini locus de Byzantio pugile prologo 4
Solis boues ubi stabulant 26.3
Solis natura 32.2
Sol uẽtos concitat 6.5
Specula uarie formata uarie imagies reddere 4.1
Speculis Socratem ad morum disciplinam usum fuisse 17.1
Speculorum imagines inanes esse 15.1
Spirituũ indomita potentia 29.4
Stellæ quando terræ proximæ quãdo remotæ 26.7
Stellarum contrariæ potestates 13.3
Stellarum inerrantiũ orbis 32.2
Stellarum occasus & ortus uespertini & matutini 26.7
Stellarum sublimitatẽ & humilitatem qd̃ faciat 26.7
Stellarũ stationes primæ quæ & matutinæ 26.7
Stellarum stationes secundæ quæ & uespertinæ 26.7
Stellas igneas esse 5.2
Stellas quid subire & descendere faciat 26.7
Stelliser an sit extimus orbis 32.2
Stelliseri orbis conuersio 32.2
Storea 6.4
Striæ columnarũ 7.1
Strigles columnarum 7.1
Strobilus uentus 17.5
Stygis aqua Alexan-

der necatus 25.3
Stygis aquam nullo uase contineri 25.3
Stygis aquam ungula tantum iumenti contineri 25.3
Stygis aqua pestifera 25.3
Subsolanus 8.5
Succussio 21.6
Sudum quid sit 4.4
Sulfuris odorẽ graueis anhelitus facere 53.2
Summos quoque uiros labi 20.3
Sydera humore pasci 5.2
Syderalis scientiæ uanitas 32.2
Sydera p latitudinem Zodiaci euagari 26.7
Syderum duæ conuersiones 32.2
Sderum duo genera 32.2
Syderum quinque in genituris obseruatio 32.2
Syluæ tonsiles prologo 1
Syluas tonsiles qs primus instituit prologo 1

T

Tages deus Hetruſco rum 41.2
Tanais Europã Asiamq; diuidit 7.6
Taurominitanum litus ποτρίαν dici 26.3
Teges 6.4
Temeritas 11.3
Temeritas ubiq; turpis 5.1
Temeritate nihil turpius 13.3
Temperatura 2.1
Tempora tria 32.6
Tẽporis nos nihil nisi instans habere 32.6
Tẽporis punctũ 32.6
Tempus præsens breue esse 36.6
Tentyris insula 2.4
Tentyritas Crocodilis domunari 2.4
Terræmotu cui sacrificium fieri debeat 3.6
Terræmotũ quis deus deáue faciat incertum 3.6
Terræmotus sex genera 21.6
Terræmotus maximus 1.6
Terræ uniuersæ in tres partes diuisio 7.6
Terram frigidi spiritus quatiunt 24.6
Terram multos specus habere 15.6
Terrã qd moueat 3.6
Terram totam fungi modo subhiare 15.6
Terra porosa 2.4
Thera insula 21.6
Therasia insula 21.6
Thia insula 21.6
Thracius uir ruris colendi insolens 6.4
Thrascæas uentus 8.5
Thrascias, Thracias, Thrascæas idem uentus 16.5
Threcas gladiatores prologo 4
Tibicines 27.3
Tollones 9.2
Tronitru 12.2
Tonitru acerbũ 27.2
Tonitru quomodo fit 12.2
Tonitru quomodo editur 54.2
Tonsiles syluæ prologo 1
Torrebia lacus 25.3
Trachones 24.3
Traducere quid sit 31.7
Tragicorum mos ad deũ confugiẽdi 29.7
Tremor terræ 21.6
Trimorion qd sit 32.2
Tropei uenti 8.5
Turbines 8.5
Turbinis uiolentia 22.2
Turbo accensus 12.5
Turbo quid sit 9.7 (& 13.5
Turbo terrestris 13.5
Typhon 13.5
Typhones 8.5

V

Varietas colorum in arcu unde sit 3.1
Veneris natura 32.2
Venti duodecim 8.5
Venti duplex definitio 1.5
Ventos à quatuor syderibus cõcitari 6.5
Ventorũ genera 8.5
Ventos quæ causa gignat 6.5
Ventos sol sedat & concitat 6.5
Venti à quibus excitantur 6.5
Ventus qd sit & unde fiat 4 & 6.5
Versarij uenti 8.5
Vestæ risus qd sit 12.2
Veterum scriptæ religiose tractanda esse 5.1
Vicinia rerum etiã discordium similem esse 14.2
Virgilij locus expositus 6.1
Virilẽ ætatem à Marte regi 32.2
Vniuerso collata uel maxima nulla eẽ uidentur 11.4
Vocũ differentiæ 6.2
Vortex procella 12.5
Vrbes uarijs modis pire prologo 3
Vrina reddita cur tremore corripimur 24.6
Vulturno spirãte res maiores apparere 3.1
Vulcani risus quid sit 12.2
Vulturnus 8.5

Z

Zephyrus 8.5
Zephyri leuconoti 16.5

* a b c d e f g h i K l m n o p q r

Omnes sunt quaterniones præter * & r terniones & h quinternionem.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI
ET ANDREAE ASVLANI
SOCERI, MENSE
FEBRVARIO.
M. D. XXII.

0933

ALDVS

Aldine
522
54750
c.2